NOTIONES ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE

DISCIPLINIS THEOLOGICIS COORDINATAE

AVCTORE P. SYXTO O. C. R.

VOL. II PARS TERTIA

SCVLPTILIA - MVSIVA - PICTVRAE SACRAE "MINIATVRAE" - INSTRVMENTVM DOMESTICVM TEXTILIA - SVPELLEX SACRA - NVMISMATA VESTIMENTA LITVRGICA



ROMAE - DESCLÉE ET SOC. EDITORES - M CM XI

NOTIONES

Archaeologiae Christianae

P. SYXTVS O. C. R.

NOTIONES

Archaeologiae Christianae

DISCIPLINIS THEOLOGICIS ET LITVRGICIS COORDINATAE

VOL. II. PARS TERTIA

SCVLPTILIA, MVSIVA, PICTVRAE SACRAE "MINIATVRAE", INSTRVMENTVM DOMESTICVM SVPELLEX SACRA, NVMISMATA VESTIMENTA LITVRGICA



Biblioteka Instytutu Archeologii i Etnologii PAN
0034674

ROMAE
DESCLÉE ET SOC. EDITORES
Piazza Grazioli (Pal. Doria).

Conceditur ut figurae libro propriae reproducantur, dummodo debito modo et auctoris et operis nomen referantur.

II 1401/II cz 9
R. 1960. 10/0

IMPRIMATUR
† Fr. AUGUSTINUS MARRE Ep. Const.,
Abbas Gen. O. C. R.

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPHUS CEPPETELLI Patriarcha Constantin., Vicesgerens.

Romae - Ex off. typogr. Senatus.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

AVGVSTINO MARRE

EPISCOPO CONSTANTIENSI

ABBATI GENERALI O. CIST. R.

LIBER SACER

ESTO

AD LECTOREM

RATIO *viaque huius libri eadem est atque in praecedentibus eiusdem operis fuit partibus, nimirum ut vel ipse possit liber separatim adhiberi. In eo secundum volumen finem facit, unde quattuor, qui in lucem hactenus prodierunt, libris omnia ad theologicas disciplinas pertinentia pro nostro instituto explicantur. Iam primi voluminis posterior deest pars, quae praecipuorum monumentorum enucleatam descriptionem deberet complecti. eamque Latino quoque praestare sermone mens quidem erat mihi; at, propter ipsius rei opportunitatem, in aliam ivi sententiam. Scilicet vulgari eam tradere lingua, quo omnibus etiam laicis obvia evaderet melius consilium visum est et a quamplurimis studiosis praebitum desideratumque, eo magis quod, ad tot monumenta describenda unicus liber haud sufficeret.*

In praesenti autem libro monumentorum artem plurimum tractavimus, multoque ultra quam solito in huiusmodi studiis sumus progressi, idque propterea quod ars Orientalis, quam Byzantinam vel Medioaevalem aliqui vocant, quantum a primaeva Christiana hauserit arte satis nemo, in huiuscemodi parvis institutionibus, demonstrasse hucusque mihi visus est; quod nihilominus arti religiosae studendae quam maxime confert.

Feci quod potui, faciant meliora potentes; *egregiis autem viris, Rmo P. Bonaventurae Stürzer ac praesertim Leoni de Kerval, qui paterno pene affectu operi corrigendo incubuit, nuper vero e vivis, sic Deo volente, erepto, Christus et Maria pro meritis reddant.*

P. SYXTUS O. Cist. R.

DE POSTCONSTANTINIANA ARTE

Consideratio praevia.

Picturis sepulcralibus iam illustratis, cetera nobis manent monumenta consideranda quae ipse libri titulus indicat, nempe funerariae capsae, sive sarcophagi, ac statuae; basilicarum omnimoda ornamenta, relictis tamen his quae ad formam genusque aedificiorum spectant, quia alteri prioris voluminis parti reservata; sacra vel profana, quae relligionis aliquod exhibeat signum, supellex; liturgica indumenta; exiguae in codicibus depictae imagines, quae vulgo minutae picturae (*miniature*) dicuntur; encolpia ceteraeque parvulae res ad devotionem pertinentes, ac denique numismata. Multiplex itaque materia extat ac varia; in qua tamen nobis dogmatica, si qua est, cogitatio deprehendenda potius quam modus artis describendus, licet etiam de eo, pro instituto nostro, satis sit dicendum. De nimia vero audacia seu procacitate vitanda in repraesentationibus, sive singulis, sive pluribus simul, interpretandis suo loco redibit sermo. Nihilominus teneri non possum quin, iam in limine, hanc indomitam omnia radicitus explicandi atque historicam argumentorum evolutionem, ut aiunt, adamussim describendi, necnon proinde veterum artificum animum propositumque intime perspiciendi, notem cupidinem, qua quidem nonnulli recentiores auctores intemperanter flagrant; quippe qui ita confidenter sententias, quandoque valde temerarias, proferant, ut eos diceres antiquorum pictorum sculptorumve aequales et familiares fuisse, ipsosque nihil omnino effugisse.

Profecto inquirendi et argute scrutandi cupido laudanda est; sed ne quid nimis, nec genuini fines historiae praetermittantur. Potissime autem cum indicium aliquod e pluribus factis seu monumentis occurrit educendum, sufficiens sedulaque semper singulorum discriminatim argumentorum consideratio praecedat necesse est, ne aut aliter, aut minus recte quam revera res ferunt concludatur.

Huiuscemodi erroris exemplum, quoad a nobis iam relata, adducam. Sunt qui, de Orphei imagine loquentes, dixerint eam primum a Christianis artificibus eodem prorsus adhibitam modo quo ab ethnicis exhiberi consueverat, deinde vero paullatim, etiam ad formam quod attinet, Christiana indole indutam fuisse, cum posterius Orpheus boni instar Pastoris, id est inter duas oves, fuerit adumbratus. Atqui contrarium prorsus verum est; nam antiquissima Orphei imago, quae nempe apud Callisti coemeterium cernitur, Thracium musicum non animalia fera sono allicientem, sed inter oves duas lyram pulsantem profert.

Haec lectorem praemonitum volui, ut quaenam sit ratio viaque huius operis intelligat; eo magis quod, ob angustiam spatii, omnium monumentorum imagines, ad quasdam demonstrationes perficiendas, haud semper afferri queant.

CAPUT I.

Anaglypta funeraria et statuae.

Art. I. — Anaglypta funeraria Praeconstantiniana.

Sarcophagorum usus ex Aegypto in Italiam provenit; apud Christianos vero iam ab apostolorum tempore extitisse superstitibus evidenter ostenditur monumentis. Romae, in Flaviorum hypogeo, quod quidem saeculo effossum est primo, loca sepulturarum ita primitus erant parata, ut corpora in sarcophagis clauderentur. Evidens autem est hunc sepeliendi modum Christianis plerisque, utpote pauperibus, minime convenisse; unde modestior apud eos cito mos invaluit: in ipsis hypogeorum parietibus scilicet nudamque rupem excavando sepulcra sibi paraverunt.

Christianorum sarcophagorum, quae ad saeculum primum pertineant, exempla duo solummodo certa, praeter fragmenta plurima, adduci posse videntur; nimirum marmorea capsa, haud procul a maxima Vaticanae basilicae ara, saeculo decimo sexto inventa, ac in qua Linus, apostoli Petri successor, conditus fuisse reputatur; [1] item et sarcophagus Aureliae Petronillae, a pontifice Paulo I (757-767) e coemeterio Domitillae in Vaticanam translatus aedem, quique, anno millesimo septuagesimo quarto denuo detectus, sequentem titulum habuisse perhibetur:

AVRELIAE PETRONILLAE FILIAE DVLCISSIMAE [2]

(1) Torrigio, *Le sacre grotte Vaticane*, Viterbo, 1618, p. 61.

(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1865, p. 46; 1879, p. 12. — A quibusdam excogitatum est Petronillam apostoli Petri filiam naturalem fuisse; verum enimvero « nomen Petronilla, ut ait Baronius, magis pro-

His autem, si I. B. De Rossi assentiri velimus, sancti Syri, primi Papiensis episcopi, arca addenda esset, (1) quae, sicut S. Lini sarcophagus, nihil aliud nisi nudum nomen initio prae se fortasse ferebat (Tab. I).

Quin autem saeculo secundo tertioque sarcophagorum apud Christianos perduraverit usus, non est ambigendum. Nam plura marmorearum capsarum fragmenta in Romanis coemeteriis et alibi sunt inventa, necnon adhuc in hypogeis iacent, quae, sive ob symbola inscriptionesque, sive in quibus sita erant locorum ratione, haud saeculo tertio posteriora sunt agnoscenda; et, quod plus est, integra fuerunt, ante pacem datam Ecclesiae, praesertim in Galliis, coemeteria congestis sarcophagis constituta. (2) Aliunde tria quaedam Romanorum sarcophagorum fragmenta, titulis instructa, aetatis notam expresse exhibent Praeconstantinianam. (3) Hisce praemissis, ad sarcophagorum anaglypta proprie veniamus.

Paucissima, duo vel tria nimirum, sarcophagorum tertio saeculo antiquiorum hucusque detecta sunt exempla, quae insculptum aliquod plane Christianae indolis symbolum, seu argumentum, producant. In Luparae (Le Louvre) museo, apud Parisios, Liviae Primitivae cuiusdam lapidea extat arca, e Vaticano coemeterio quondam avulsa, quae, praeterquam striis, boni Pastoris inter geminas oves imagine, necnon piscis ancoraeque erectis figuris cernitur exornata, et secundo saeculo assignanda habetur. Alius, eiusdem circiter aut paullo posterioris aetatis, in Gallia inventus est sarcophagus, nunc apud Brinoniense seminarium asservatus; quem omnes antiquitatis periti pulcherrimum quoad artem pronuntiaverunt: boni quoque

prie a Petronio quam a Petro deductum affirmandum est: nam a Petro Petrilla, ut a Prisco Priscilla, a Druso Drusilla dicenda (virgo illa) potius videretur» (*Ann.* an. 69, n. 32). Si autem non naturalis, saltem spiritualis S. Petri filia Petronilla esse potuit; quo sensu forsan antiquissima haec traditio accipienda est.

(1) Cf. De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1876, pp. 95–106.

(2) Vol. I, pars prior, Tab. 187, p. 424.

(3) De Rossi, *Inscr.* t. I, nn. 8, 9, 12.

Pastoris ac animae orantis, simul cum solis simulacro piscatoreque et sedentibus personis, eximias prodit effigies;[1] quibus praeterea anchora, electorum grex atque paradisi arbores adsunt. Arca etiam quaedam antiquissima, apud viam Salariam reperta et in Lateranensi museo nunc posita, ex aliquorum opinione, eidem monumentorum classi annumerari potest.[2]



Tab. I. Sarcophagus S. Syri primi Papiensis episcopi.

Num autem ab ethnicis utique, an a Christianis quandoque artificibus, eiusmodi imagines et symbola fuerint exsculpta, disputari potest; de eorum tamen Christiana significatione, nisi omnino ignarus, nemo est qui dubitet.

Ut I. B. De Rossi sane animadvertit, aliarum capsarum fragmenta, quae merito tribus prioribus addici possint saeculis, nequaquam quavis Christiana imagine insignita deprehenduntur fuisse; et tamen comperiuntur nihil exhibuisse quod deorum cultum idololatriaeque ritus vere saperet. Usitatiora enim harum sculpturarum argumenta sunt venatoriae, piscatoriae, pastoriaeque repraesentationes, ruris prospectus seu topia, quattuor tempora anni, marina animalia, etc. Quod si interdum, in sarcophagis apud ethnicorum officinas promiscue emptis, aliqua figura Christianam fidem laedere posset, ista aut contundebatur scalpro, aut gypso aliterve obtegebatur.[3]

(1) *Collection de documents inédits sur l'hist. de France,* vol. I, p. 40–41.

(2) Cf. MARUCCHI, *Elém. d'arch. chrét.* Rome, 1900, t. I, p. 326.

(3) Praestat ipsius I. B. De Rossi, de quodam sarcophagi fragmento loquentis, verba fuse referre: « Quas imagines (nempe venatorias, pastorias etc.), etsi vel ethnici artifices, vertente praesertim saeculo tertio, sar-

Ceteroquin profanae nonnullae anaglyptorum, perinde ac, ut alibi vidimus, picturarum imagines haud difficulter ad Christianas doctrinas verti poterant, et reipsa vertebantur. Sic pastoralis vitae spectacula divini pastoris sollicitudinem beatumque electorum gregem in memoriam revocabant; sic variorum anni temporum inductio terrestres hominis vicissitudines futuramque eius resurrectionem adumbrabat; sic et in marinis, praesertim delphinorum quandoque natantium, figuris, haud raro apud Christianorum sarcophagos usurpatis, plerique archaeologi aliquantam cum allegoricis cogitationibus congruentiam deprehendendam arbitrantur. Id autem veri videtur simillimum; nam istis in imaginibus saepe, veluti natationis meta, tridens, Neptuni quidem insigne, e mari emergens erectumque conspicitur: quem certe tamquam crucis symbolum in nonnullis monumentis scimus apparere. (1) Ipse Aureliae Petronillae sarcophagus, de quo supra, delphinis quattuor, in angulis, erat decoratus.

Immo vel quibusdam mere ethnicis fabellis Christianae potuerunt significationes attribui. Exempli gratia, Orphei ci-

cophagis interdum insculpserunt, tamen in Christianorum potissimum gratiam ab illis adeo frequentatas fuisse credibile est. Hoc enim, quod modo prodit, exemplo manifesto docemur fideles, iam inde ab illa aetate, marmoreas arcas anaglyphis ornatas comparasse, vel etiam, data opera, insculpendas ethnicis fortasse interdum artificibus locasse. Qua in sententia valde me confirmant reliqui sarcophagi, non exiguo sane numero, in eadem, qua hoc fragmentum, coemeterii parte, proximis his annis, reperti; quos ab ipsis Christianis, longe ante Constantini aetatem, adhibitos ibique positos fuisse, plurimis indiciis iisque certissimis, quae non est huius loci enarrare, mihi est plane persuasum. Sunt porro non Christiani artificii, quales saeculo quarto usurpare consueverunt; sed neque ea praeferunt anaglyphis expressa argumenta, quae Christiani hominis sepulcrum, ethnica adhuc superstitione vigente, minus fortasse decuissent, Inque his, fere ut in eo de quo loquor fragmento, boum et equorum armenta et pastor ovem humeris portans plus semel occurrunt. Contra, quaedam ethnici prorsus argumenti sculptura, uni loculo claudendo ibidem adhibita, non modo, anaglyphis ad ipsum sepulcrum obversis, occultata fuit, sed, quod maius est, antequam loculo affigeretur, scalpro penitus tota deleta» (*Inscr.* I, p. 20).

(1) Cf. vol. II, pars secunda, p. 40.

tharizantis effigiem de Christo, sublimibus doctrinae suae incantamentis hominum corda trahente, intellectam esse iam iterum iterumque diximus; necnon, rarius quidem occurrens, Amoris et Psyches consociatio, ut opinor, quasi animae Deo inhaerentis similitudo quaedam fortasse accipi visa est.



Tab. 2. Sepulcrum arcam marmoream continens.

His adiungantur Ulyssis casus, quem, ad malum navis alligatum sociosque a sirenum voce audienda prohibentem, tanquam Christi figuram, ad crucem affixi et ne fideles sui voluptatum illecebris aurem praebeant edocentis, Maximus Taurinensis est interpretatus (Tab. 5).[1] Eiusmodi exemplum aliud est in Callisti coemeterio quidem inventum, sed nunc apud Lateranense musaeum (parte ethnica), nescio quare, reconditum.

(1) S. Maximus, *Opp. omnia*, Romae, 2ª ed. 1784, p. 151. — Cf. De Rossi, *Roma sott.* I, p. 344–345: « Ciò che deve sembrar strano è che le sculture medesime (quae nempe Ulyssem exhibent), nell'intenzione dei primi fedeli, simboleggiarono la croce e il crocifisso. Queste sculture rappresentano da un lato Ulisse, legato all'albero della nave, che ascolta il canto delle Sirene, non udito dai suoi compagni, le cui orecchie egli aveva turato con cera. Dall'altro, un giovane, palliato con volume e sedente, certamente ascolta le lezioni d'una Musa o d'un filosofo, che gli sta dinanzi poggiato ad una stela od altro fulcro ... L'insieme adunque della composizione è ispirato a un concetto morale che non potea offendere la fede dei Cristiani ... Ma per i fedeli quella scena non era una lezione di morale filosofica; quali pensieri essa destava nella loro mente, lo spiega per disteso S. Massimo di Torino nell'omilia prima *De cruce Domini*, che

Inter illa, quae Praeconstantiniana videntur, inscriptionum anaglypta, quoddam, et unicum usque adhuc, memorandum venit, quo artis marmorariae quam defunctus exercuit in vita exhibitio offeratur. Monumentum scilicet Eutropii cuiusdam illud est, quem, simul cum puero, lapideo sarcophago exsculpendo incumbentem tabulae adumbrat sculptura (Tab. 6). Hic lapis, Romae, iuxta Labicanam viam, olim inventus, nunc in Urbini civitatis museo est. Eo autem quod, praeter alteram mortui, orantium more cum columba, in parte superiore efficti speciem, lapis iste nil Christianae indolis praetendat, sane et verisimiliter Eutropius ea existimatur aetate vixisse, qua nondum, aut parum, Christiana symbola in anaglyptis fuerint adhibita, id est igitur ante pacem Ecclesiae.

Tab. 3. Sarcophagus tempore Constantiniani anterior (Ex photographica Dr. Styger repetitione).

Praeterea vero, in huiusce temporis sarcophagis, plura sunt nulli, quod sciam, interpretationi obnoxia, mereque ad exornationem idonea, ut genii, Victoriae, belluae alias nonnunquam bestias devorantes, capita leonina vel arietina, potissimumque undulatae quaedam striae, quarum forma, cum sit strigilis si-

comincia: *Saeculi ferunt fabulae Ulyssem* ... Egli nella navę di Ulisse vede la Chiesa, e nell'albero la croce, dalla quale il Signore crocifisso insegna ai fedeli a turare le orecchie alle seduzioni dei sensi: *Ex quo enim Christus Dominus religatus in cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure transimus; nec pernicioso saeculi detinemur auditu, nec cursum melioris vitae deflectimus in scopulos voluptatis*».

millima, effecit ut arcae eiuscemodi striis decoratae vulgo *strigilati* sarcophagi hodie vocentur. In lapide Eutropii (Tab. 6) talis habes specimen ornamenti, necnon et leoninorum capitum, quae vir ille artifex terebra ipse perficere illic fingitur; eademque tabula sarcophagum prodit alterum, in quo quattuor delphini titulum sustinent.



Tab. 4. Sarcophagus in museo Lateranensi asservatus (Ex photographica Dr. Styger repetitione).

Nunc totius huius articuli conclusionem, – quam quidem sagax lector prospicere iam potuit, – expromere pronum est scilicet, dum biblica argumenta et alia quae ad Christum, virginem Mariam, sacramenta, suffragia defunctorum et aeternam beatitudinem attinent, a saeculo inde secundo, in hypogeorum picturis quasi profusa sunt, e contrario in anaglyptis funerariis Praecostantinianis fere nusquam talia, aliquatenus aperte, fuisse adhibita.

Cuius rei caussa, ni fallor, non ex eo repetenda est quod, ut a quibusdam asseritur, Ecclesia tunc reformidaverit ne novi

Christiani, sculptis eiusmodi imaginibus illecti, ad idolorum cultum reverterentur; nam de picturis quoque idem fuisset timendum; sed ex eo potius quod in subterraneis coemeteriis haud potuerint officinae institui marmorariae. Cum enim deberent fideles sculptilia sua aut sub ethnicorum oculis facere, aut ipsa facienda ethnicis operariis concredere, aut etiam plerumque inter sarcophagos iam in publicis officinis paratos ea eligere, hinc factum est ut, tunc temporis, nec effinxerint, nec

Tab. 5. Sarcophagi fragmentum coemeterii S. Callisti (Ex photographica Dr. Styger repetitione).

effingi iusserint in anaglyptis quidquid inutiliter fidem suam impiis manifestasset et profanae infensaeque plebis contemptui et ludibrio sacra mysteria obiecisset. (1)

(1) Praestat hic quaedam De Rossi verba adducere: « È un fatto che ho costantemente notato nei sotterranei cemeteri, avere i Cristiani nei primi secoli assai adoperato sarcofagi ornati di sculture che niun segno portano di cristianesimo, e sembrano usciti dalle officine dei gentili. Le immagini però ritratte in codeste sculture sogliono essere quelle del ciclo cosmico, o scene di pastorizia, di agricoltura, di caccie, di giuochi. Egli è evidente che i fedeli, quando non poterono avere arche sepolcrali con sculture di sacro argomento simili alle pitture delle sotterranee pareti ed ai graffiti delle iscrizioni, posero molto studio in iscegliere quelle che non

Haec profecto enodatio haud parvam de Christianorum cum ethnicis necessitudine conditioneque lucem affert.



Tab. 6. (Ex photopraphica imagine)
« Eutropius sanctus Dei servus in pace, filius fecit ».

ART. II. — **De architectonica sepulcralium apud Christianos anaglyptorum forma eiusdemque origine.**

Ut cuilibet monumenta vel leviter intuenti patet, sarcophagorum Christianorum forma, ante pacem Ecclesiae, haud multum, et aliquando minime, differt ab ea quam ethnici sarcophagi praebent: externa capsae superficies, quoad anaglyptorum ordinationem, ita plerumque dividitur et componitur, ut, praeter ac super principalem altitudineque maiorem sculpturarum seriem, zona seu fascia quaedam oblonga, quam Atticam vocant, figuris minoribus et ipsa exornata, iuxta oras operculi currat (Tab. 14, p. 20).

Idem est de Postconstantinianis sarcophagis dicendum; sed decorandam superficiem dividendi modus in his varius fit, propter sollicitudinem quam artifices habent multas in angusto spatio res repraesentandi. Cum nempe sarcophagi essent interdum in effossis apud parietes loculamentis disponendi, latus illud, quod oculis obiiciendum erat, tantummodo exculpebatur; tunc vero ita Attica zona ampliabatur, ut duplex aliquatenus non autem unicus sarcophagus saepe videretur.

Inscriptio aut in media Attica fascia, aut in sarcophago incidebatur medio, ubi clypeata, hoc est in orbiculato conca-

offendevano direttamente la loro fede con rappresentanze di riti idolatrici, o di immagini delle false divinità, o di scene troppo manifestamente proprie della pagana teogonia » (*Roma sott.* t. I, p. 343).

voque spatio, dimidia imago defuncti saepe cernebatur; quae etiam inter aulaea seu vela apparens effingebatur nonnunquam.

Ceterum, perinde ac apud ethnicas arcas, columnae, arcubus vel trabibus colligatae, sarcophagorum Christianorum faciem haud raro dividebant, ac in eiusmodi quasi porticulis seu spatiolis dispertita extabant anaglyptica argumenta (Tab. 9). Columnarum denique in locum arbores quandoque substituebantur, inter quarum frondes et ramos columbae volitantes aliaeve cum nidis aves pulchre erant insculptae (Tab. 10).

Tab. 7. Anaglyptum sarcophagi Lateranensis ante pacem Ecclesiae exculptum. (Ex photographica repetitione).

Haec praecipua lineamenta generatim ubique perstiterunt praesertim Romae, Ravennae ac in ceteris Italiae regionibus, necnon in Galliis, in Hispania, in Africa, in Asia; sed unaquaeque regio aliquid proprium in illa sarcophagorum exhibet arte, sive quoad operculi capsaeque formam, sive quoad peculiares aurgumentorum repraesentatorum notas.

Sunt qui, in sculpturae apud priscos Christianos primor-

diis determinandis, plus quam satis est Orienti adscribant, necnon, ad proprias opiniones tuendas, tum naturam adhibitorum marmorum, tum rerum effictarum fontes et effingendi genus, quasi certissima testimonia allegent. De his, pro opportunitate, erit suo loco dicendum; tamen nonnulla hic et nunc animadvertere proderit.

Tab. 8. Lateranensis sarcophagi anaglyptum in duas zonas distinctum. (Ex photographica Moscioni repetitione).

Profecto, haud secus atque innumera alia, non secus praesertim ac metalla, frumenta, escaria et vestiaria quaedam, ab

Tab. 9. Sarcophagus Lateranensis.

exteris certum est undique regionibus, potissimeque interdum ex Orientalibus, marmora in Romam fuisse advecta. Graeca, ut videntur, vel Asiatica fuerunt ea quibus Christiani ad sua claudenda sepulcra sunt usi. Graecum etiam Romanorum plerorumque sarcophagorum marmor esse invenitur.

Asiaticis denique, Graecis et Africanis marmoribus templa domusque saepius, Romae et alibi in Italia, decorandi mos erat, ac nota sunt illa Horatii verba:

> Non trabes Hymettiae
> Premunt columnas ultima recisas
> Africa . . . . . (1)

Sed ex marmorum sic in Italiam, aut in alias Occidentales regiones, transvectorum origine originem quoque deducere huius proprii et specialis sculpturae generis, quo, in istis marmoribus exsculpendis, operarii Christiani ibidem enisi sunt praecellere, quantum futile sit et incertum quis non videt?

Neque magis rem conficiunt qui ex arte Orientali structuram formamve Christianorum anaglyptorum ortam esse asserunt, eo quod Romae plures Asiatici sculptores, a primo ad quartum usque saeculum, floruerint. (2) Ex omnibus equidem gentibus confluebant in Urbem artifices, ipsaque revera Romana ars nonnihil Graeca venustate est aucta; sed neque Graeca proinde omnino facta est, nec Etruscam indolem prorsus amisit. Proprium quid nempe semper illi fuit, quod ceteris mundi nationibus largita est. Si vero absonum est dicere ethnicae apud Romanos sculpturae artem quidquid industriae habuerit ab Orientali arte primitus et penitus accepisse, cur minus temerarium esset tale de Christiana in sepulcralibus sculptura affirmare?

(1) Hor. *Od.* seu *Carm.* lib. II, 15, vv. 3–5.

(2) Plures revera ex Oriente artifices in Italiam venerunt, quorum tres Flavium nomen habuere: Flavius Zeno, Flavius Chryseros et Flavius Andronicus, omnes ex Aphrodisia, e qua etiam quidam Menestheus et Atticianus fuerunt. – Cf. Brunn H. *Geschichte der griechischen Künstler*, 2 Aufl. I, p. 400–402; *Bullettino della Comm. arch. comunale*, Roma, 1886, p. 322.

Tab. 10. Sarcophagus Lateranensis.

Nihilominus Ioseph Strzygowski, decem abhinc annis, sarcophagos, quorum anaglypta columnis ac porticibus distincta fuerint, Asiaticam habuisse scripsit originem. Egregius nempe hic auctor intercolumnia tamquam loculos, vel cellas quasdam, reputat, et ubicumque capitula carduo potius quam acantho sunt ornata, interque illa et fastigium adest orbiculatum quoddam corpus intermedium, quo ipsum nititur fastigium, haec minime Romanum ingenium, sed Asiaticum omnino sapere contendit genus, cuius verissimum et absolutissimum tanquam exemplum cuiusdam sarcophagi fragmentum, hodie in Berolinensi museo asservatum (Tab. 11), indicat.[1]

Verum enimvero quid, qualibet aetate, communius quam porticus columnaeque sarcophagi anaglypta distinguentes? Neque dicendum intercolumnia veluti cellulas esse, seu aliquatenus tabernacula, ideoque Orientalis prorsus originis. Egregius Mendel satis demonstravit hic minime agi de cellulis, sed de plana superficie ornamentis divisa.[2] Idem praeterea nobis persuadetur, eo quod huiusmodi divisiones quandoque arborum, vice

(1) I. Strzygowski, *Oriens oder Rom*, Leipzig, 1901, p. 40.

(2) Mendel, *Le musée de Konia*, ap. *Bulletin de correspondance hellénique*, 1902, p. 232. — Mendel argumenta rem prorsus conficiunt ac plerisque probantur; nihilominus hanc aut illam rationem Strzygowskianae sententiae vindicare adhuc conantur nonnulli, illi scilicet qui vulgo Orientalistae audiunt. Confer, exempli gratia, A. Muñoz, *Sarcofagi asiatici*, ap. *Nuovo bull. di arch. crist.* Roma, 1905, p. 79–102, et 1907, p. 301–310.

columnarum, inductione obtineantur. Ceteroquin, etiamsi artifices vere intercolumnia illa quasi cellas effingere voluissent, Romae etiam in hoc quid novi? Antiquissima talis modi exempla, et in Urbe et in Occidentalibus provinciis, invenire haud difficile est. Nec mirum magis ibidem in capitulis, loco spinosi acanthi, carduum videre. Orbiculati aliunde, seu sphae-

Tab. II. Fragmentum sarcophagi in Berolinensi museo asservatum.

rici, illius adiuncti, quod inter capitella et fastigia interiectum nonnunquam deprehenditur, vetustiora Romae quam in Oriente specimina haberi possunt. Dum enim huiusce structurae anaglypta in Oriente inventa tertio plerumque, vel etiam, ut Berolinensis musei fragmentum (Tab. II),[1] quarto assignantur

(1) Fragmentum hoc quarto generatim saeculo tribuitur; Reinach solus illud ad tertium spectare saeculum contendit (*Le sarcophage de Sidamara*, *Monuments Piot*, 1902). Alioquin alii non desunt qui saeculo quinto vel etiam sexto illud adscribant.

saeculo et etiam quinto, quaedam, quae in Occidente fuerunt reperta,[1] utique a peritissimis quibusque viris agnoscuntur saeculo secundo adscribenda.

Non ergo Occidentalium sarcophagorum cum Orientalibus sarcophagis similitudo, quasi quid decretorio modo enodet, tanti est facienda!



Tab. 12. Sepulcrorum iuxta aediculam *Quo-vadis* restitutio.
(Ex architecti Canina delineatione).

Potiusquam sic plurima per coniecturam congerere,[2] archaeologi illi qui, Strzygowski sententiam secuti, sarcophagorum spatiolis inter columnellas seu, ut aiunt, cellulis tantum momenti tribuunt, undenam et in Orientalibus anaglyptis cel-

(1) Ad initium saeculi tertii pertinet Alexandri Severi eiusque matris Mammeae sarcophagus, qui in museo asservatur Capitolino; ad secundum vero saeculum referuntur quidam sarcophagus nunc Florentiae in palatio Riccardi expositus, necnon quoddam sarcophagi fragmentum, quod in museo Vaticano conspicitur (W. Amelung, *Die Sculpturen des Vaticanischen Museums*, I, p. 524).

(2) Cf. *Nuovo bull.* 1905, p. 79–102.

lularum illius speciei usus depromptus fuerit, saltem exquirere et explicare deberent. Porro, si mihi quid sentiam exprimere liceat, morem illum e Romanorum aliquorum sepulcrorum forma profluisse libenter dicam. Revera enim, licet paucissimae, apud Romae suburbia, nobis integrae maneant aedes funerariae, primaevam tamen monumentorum, quae iuxta vias consulares sita erant, formam e nudis ruderibus haud raro deprehendere fas est; nec quisquam negabit genus ibi quoddam extitisse sepulcrorum, quae cellulis, sive parvulis absidibus, ita exterius munita erant, ut eorum imaginem aliquatenus sarcophagi nostri redderent: sic, exempli gratia, sepulcrum quod Priscillae vocant, quodque in dextero viae Appiae latere, contra ecclesiam *Quo vadis* dictam, surgit; sic et aliud in sinistra parte eiusdem viae, paullo ulterius. Hic parvae absides seu concavae cellulae evidentissime apparent; monumenta vero ambo ad primum saeculum spectant. Curnam igitur, tali in nonnullis circumcirca sepulcris absidum seu cellularum serie conspecta, sculptores, in sarcophagorum quoque anaglyptis elaborandis, aliquam cellularum absidumve minutarum seriem adhibendam interdum non excogitavissent?

Christiani artifices, qui quidem ante pacem Ecclesiae, ut animadvertimus, in anaglyptis exsculpendis mere profana et indifferentia, ruralia scilicet marinave argumenta, potissimum usurpaverant, pace demum stabilita, ipsas biblicas historias, iam subterraneis in sepulcris depingi solitas, in sarcophagis sub dio ac apud basilicas expositis effingere coeperunt. Si vero qualis fuerit, quoad industriam, exsecutio operis inspicere velimus, notandum est talia non infabre et quasi praepropere, ut in hypogeorum picturis plerumque, sed exquisitissimo scalpro, necnon cum diuturna accuratissimaque sedulitate, fuisse confecta. Quantam cetero eiusmodi ars cum pulcherrima Graeca-Romana Antoninorum aetatis arte habeat congruentiam, exempla tabulis 7, 8, 10, 13 relata aperte satis demonstrant. Immo notandum est ipsis ethnicis eiusdem temporis sculptilibus Christiana anaglypta venustate longe praeminere. Qui hoc sibi prorsus compertum fieri cupit, sarcophagorum nostrorum ima-

gines cum pluribus Constantiniani arcus ectypis imaginibus solummodo conferat.



Tab. 13. Sarcophagus Iunii Bassi in cryptis Vaticanis iacens.

Haec tamen praestantia parum duravit; nam post medium quartum saeculum, simul cum perfectione formae, quaelibet in disponendis ac rite inter se ordinandis anaglyptorum argumentis peritia pessum ivit, ita ut plerosque opifices nec iam artis regulis attendisse, nec amplius symbolicarum repraesentationum sensum deprehendisse, libenter dixerim.

Art. III. — De anaglyptorum sepulcralium indole.

Quae in praecedentibus huius voluminis secundi partibus exposita sunt unum nos docuerunt, scilicet Praeconstantiniana Christianorum sepulcra congruis sibi, hoc est quoad indolem et sensum plane funerariis, sive picta sive sculpta essent, ornamentis decorata extitisse.

Porro, servata estne talis Christianae artis indoles, cum non iam in catacumbarum recessibus, sed sub dio circaque basilicas coadunata sunt sepulcra? Responsum, – etsi alicui leviter intuenti forsitan obvium videatur, – revera valde complexum nec facile est reputandum. Nam haud praetermittendae sunt variae peritorum in monumentis explicandis sententiae

opinionesque; adde aliquarum repraesentationum obscuram adhuc significationem: quae nempe obstant quominus certa atque ultima rem conficiens dari possit enodatio. Illud tamen

Tab. 14. Sarcophagus coemeterii S. Callisti.

indubium haberi debet: indolem scilicet artis sepulcralis, per aliquod tempus, funerariam omnino generatim permansisse, cum nulla esset ratio illam abolendi; at dein, propter novum

quoddam genus artis invalescens, sensim sine sensu evasisse aliam; ac aliunde, etiam in funerariis argumentis exhibendis, plura nec parva, praesertim a saeculo ineunte sexto, fuisse immutata.

Huius quidem rei caussa multiplex apparet, ac primum ipsa ad opus adhibitae materiae diversa natura, nempe ut in marmore effingi deberet quod facilius antea brevioreque tempore penicillo fieret; indeque evenit ut argumentorum repraesentandorum electio, propter angustiora spatia diversitatemque laboris, multo difficilior evaderet. Aliud enim est pingere, et



Tab. 15. Pictura saec. II coemeterii S. Callisti.

quidem eo modo quo Christiani artifices plerumque pingebant, aliud in duro exculpermore.

Secundo autem, animadvertenda est norma, qua in extremis sarcophagorum partibus, iuxta ethnicam bonamque artem, convenienter oculorum aciei compositio finem faceret. Aliquid itaque, in his ultimis ad dexteram et ad sinistram partibus, parieti tanquam adhaerens esse oportebat; exempli gratia, in saepe iam memoratis argumentis, rupes a Moyse percussa, Mariae Virginis, vel Pilati, vel regis Nabuchodonosor sedes, vel sepulcralis Lazari aedicula, vel saltem arbor aliudve, quod congruo modo compositionem clauderet. Quod si per figuram humanam argumentorum series finiretur, haec ad medium compositionis locum conversa esse debebat; unde ista omnia effecerunt, ut novae aliquando res effingerentur, idque non quidem ad clariorem argumenti significationem reddendam, sed ad complexum materialis compositionis perficiendum.

Tertio, consideranda lex quam *symmetriae* vocant. Haec enim plura aliquando adducebat quae ad compositionis sensum haud erant necessaria, ut tertiam quamdam personam, ubi duae tantum requirebantur. Sic, exempli gratia, haud raro apud anaglypta, in Habacuc escas ad Danielem prophetam afferentis repraesentatione, altera exhibetur Danieli adstans persona, quae prorsus, nisi quod faciem anaglypti terminet, quid sibi velit nescitur (Tab. 14, p. 20).

Verum quidem est eiusmodi legem maioris quam par est a quibusdam auctoribus, Edmundum Le Blant secutis, factam esse. Alioquin, saepe etiam lex symmetriae cum *oppositionis* lege confunditur, quae quidem iam in picturis saeculi secundi animadverti potest. Ut exemplum aliquod proferam, in sacramentorum quod vocant cubiculo A^3, apud coemeterium Callisti, extrema cycli, seu extrema seriei argumenta, in eodem sunt pariete exhibita, alterum contra alterum, ac pariter aquae cogitationem suggerentia, diverso tamen sensu: nimirum, ex una parte, est fons e rupe quam Moyses percussit scaturiens, spirituâlisque vitae initium significans; ex altera parte, puteus e cuius labris, coram Iesu mulierequе Samaritana, diffunditur aqua, quae quidem undae in vitam aeternam salientis notionem adumbrat. Item, in eodem cubiculo, utrinque iuxta eucharisticum convivium, duplex sacrificii adumbratio deprehenditur: nempe, ad dexteram inspicientis, sacrificium cruentum crucis, Abrahae sacrificio expressum; ad sinistram vero, mysticum sacrificium, seu consecrationis eucharisticae inductio. (Tab. 15).

Lex illa, praeter quam symmetriae legi plerumque non adversatur, haud parvo in repraesentationum interpretatione auxilio est, de quo infra erit dicendum. Interim animadvertatur quaenam quantaque sculptoris cura esse debuisset in schemate compositionis efformando, si eiusmodi leges ceteraque artis praecepta sibi observare proposuisset.

Quarta mutationis ratio ipsa est nova monumentorum et temporis conditio; nam capsae marmoreae persaepe circa basilicas frequentioraque sanctuaria tunc erant, necnon, magis

in dies Christianae relligionis auctoritate praevalente, libere ac sine plebis offensa omnium oculis expositae. Plura igitur in ipsis effingebantur quae a funeraria hucusque artis indole fuerant aliena, praesertim quaedam passionis Dominicae mysteria, Ecclesiae discriminum ac triumphi adumbratio, maiestas Christi, nonnulla argumenta ex apocryphis libris excerpta, quaedam insuper ad ethnicam artem pertinentia et ea omnia quae personam terrestremque vitam defuncti respiciebant.

Denique novi cuiusdam generis ars, ad loca sacra seu basilicas exornandas deinceps adhibita, praecipue etiam huius mutationis caussa habenda est.

Iam si haec probe fuerint perspecta, facile intelligetur quomodo apud Christianos sepulcralis ars indole mutari potuerit. Hinc licet concludere, Postconstantinianorum sarcophagorum artem, praeter funeraria argumenta, plura complecti, quae historica seu historico modo repraesentata sint, et praeter ea quae aliquam directe sive moralem sive dogmaticam cogitationem inspicientibus exhibeant symbolisque adumbrent. Quibus positis, alii, praeter adductos in antecedenti libro, fontes interpretationis proinde sunt adeundi.

Est tandem animadvertendum, de Christianorum funerariis anaglyptis ita fuisse prorsus ac de ethnicorum sculptilibus sepulcralibus: nempe primitus quidem apud sculptores cura fuit ordinem aliquem in symbolis disponendis servandi, sive iuxta desiderium vel suggestionem committentium, sive secundum quasdam artis normas, quae artifices, praesertim praestantiores, latere nequiverunt; Christianorum autem numero magis in diem augescente, simul ac in arcis cadavera condendi invalescente more, ita tunc de sarcophagis evenit sicut hodie fit de lapidibus cippisque funerariis, qui plurimi in officinis marmorariis iam parati et venales iacent. Cuius quidem assertionis evidens ac palmaris probatio habetur in innumeris fere sarcophagis apud quos defuncti persona inter sanctos exhibetur orans. Ubi enim ars est accuratior, aut defuncti persona minime apparet, aut, si adsit, polita finitaque adeo conspicitur, ut vera vultus sui lineamenta prodere reputari possit (Tab. 8); ubi vero ars dete-

rior, mortui persona saepe saepius non deest, sed tam imperfecto dumtaxat delineata modo, ut an viri, an mulieris, imago referatur haud facile discernere valeas (Tab. 14).

Praeterea in eiusmodi sarcophagis, antequam emerentur iam paratis, nedum tardioris aetatis, factum est ut non raro ineptissime symbola effingerentur, ordo argumentorum perturbaretur eorumque denique significatio amplius non intelligeretur.

Art. IV. — Argumentorum e picturis depromptorum apud anaglypta mutationes.

Duo sunt hoc articulo inquirenda, nempe: quae sint picturarum argumenta quae, ceteris omissis, in sarcophagorum perdurent anaglyptis; et quae in illis argumentis apud sculptilia effingendis mutationes sint adhibitae.

Picturarum argumenta quae et in anaglyptis adsunt. (1)

— Quoad Christum et Mariam:
Mariae Virgini incarnationem Verbi Angelus nuntians,
Virgo Maria cum Iesu infante, cui adstat propheta,
Magi, et interdum pastores, Christum infantem adorantes,
Iesu baptisma.
— Quoad Christum miraculorum patratorem:
Paralytici sanatio,
Caeci curatio,
Mulieris Samaritanae conversio,
Curatio mulieris fluxu sanguinis laborantis,
Resurrectio Lazari,
Iairi filiae resurrectio.
— Quoad Christum pastorem, legislatorem et doctorem:
Christus sub Orphei figura
Bonus pastor cum grege,
Bonus pastor ovem in humeris, portans,
Christus Evangelistarum seu Apostolorum magister,

(1) In hoc prospectu, ut par est, eumdem prorsus ordinem ac in picturarum interpretatione (vol. II part. sec., c. IV–VIII) secuti sumus.

Christus inter Petrum et Paulum.
— Quoad sacramenta:
Piscatoris evangelicus,
Catechumeni baptisma,
Moyses percutiens rupem et fons inde scaturiens,
Christus aquam in vinum convertens.
— Quoad defunctorum suffragia:
Adam et Evae peccatum, humanam infirmitatem declarans,
Noe columbam recipiens,
Abraham sacrificium, seu Isaac liberatio,
David adversus gigantem pugnans,
Iob,
Tobias,
Tres pueri in fornace,
Daniel inter leones,
Susanna,
Ionas.
— Quoad visionem beatificam, servis Dei promissam:
Moyses sandalia solvens,
Elias raptus ad caelum.
— Quoad hominis novissima:
Iudicium animae singulare,
Anima a sanctis, seu ab angelis, in paradisum introducta,
Anima in paradiso, inter boni Pastoris imagines,
Anima inter paradisi symbola, id est inter oves, aves vel arbores,
Anima inter sanctos. (1)

Picturarum argumenta quae in anaglyptis desunt.

Propheta Balaam stellam indicans,
Leprosi sanatio,
Viri daemonium habentis liberatio,
Agnus serpentem calcans,

(1) Pauca quidem alia omittimus, vel quia significationis incertae, vel quia haud prius in picturis quam in sarcophagorum anaglyptis apparuerunt; de quibus protinus in textu dicendum.

Arboris truncus, inter agnos aut aves, vas sustinens
Pisces cum speciebus eucharisticis, extra multiplicationis panum repraesentationem,
Fractio panis,
Tripus piscem et panes sustinens, inter viri et mulieris orantis figuras,
Abraham sacrificium, ut eucharisticum symbolum,
Manna pluvia,
Sanctus inter naviculae pericula orans,
Isaiae supplicium,
S. Theclae martyrium,
Prudentium fatuarumque virginum parabola,
Animae, sub symbolo cervi, refrigerium,
Convivium caeleste.

Praeterea aliqua seorsum ponenda sunt argumenta, quippe quae non e picturis in sculptilia, sed e sarcophagorum anaglyptis in picturas, quarto saeculo, semel aut iterum sint translata; scilicet:

Transitus maris Rubri,
Tres pueri regis Nabuchodonosor statuam adorare recusantes,
Iesus infans in stabulo, inter bovem et asinum,
Petrus Christum negans,
Christus Petro legem, seu claves, tradens,
Agnus Dei in monte, ex quo quattuor scaturiunt flumina.

Sunt quidem qui ex Aegypto Iudaeorom exitus transitusque maris Rubri repraesentationem ab Africa provenisse dicant, eo quod in maioris Oasis sepulcreto, ut in praecedenti vidimus libro, haec semel depicta sint. Verum enimvero, non solum Oasis picturae certe recentiores plerisque sarcophagis, tum Romae tum alibi talia exhibentibus extant,[1] sed etiam ita

(1) Hoc argumentum invenitur quinquies Romae, semel Pisis, semel Spalathrae, quinquies Arelate, semel Avenione ac semel Mette; sed alia sunt fragmenta quae idem repraesentant (Romae: *Nuov. bull.* 1909, pp. 95-103; GARRUCCI, V, 309, n. 3, 358, n. 1; GROUSSET, *Catalogue des sarcophages chrét. de Rome qui ne se trouvent point au musée du Latran*, ap. *Bi-*

eiuscemodi argumentum in sarcophagis est effictum, ut vel modus artis, nedum cogitatio, Romanus omnino appareat. Etenim, Christiani artifices hic, quoad artem, columnae Antoninianae ac Traianeae columnae imitati sunt anaglypta, quae profecto nihil haud Romanum sapiunt. Ideo in praefatis anaglyptis quidquam quod Aegyptium commemoret frustra quaereretur. Rex Pharao velut Romanus magistratus, milites ut Romanae legiones, populus ut Romanus populus efficti sunt. Non palmae ibi cernuntur quae Africam indicent, sed aedificia et capitula columnarum item Romano stilo constructa exculptaque. Praeterea, etsi transitus huius adumbrationem ipse locus suggerere potuerit, tamen ita inepte ac insulse in Oasis sepulcreto fuit depictus ut ad quintum potius quam ad quartum saeculum hanc rite dixeris picturam pertinere. (1) Neque Moyses, ut par esset in opposita maris ripa conspicitur, baculo aquis imperaturus, sed populum ipsum praecedit, minime curans quid retro se evenire possit; necnon ab Hebraea plebe milites Pharaonis vix distinguuntur armis ac phrygiis pileis quibus videntur praediti. Profecto nisi nomina

MOYCHC	IOΘOP	ICPAHΛITAI	EPYΘPA	ΦAPAΩ
Id est: Moyses	Iethro	Israelitae	Mare Rubrum	Pharao

adessent, nemo ibi transitum maris Rubri effictum esse diceret.

Quod si vero minime iu picturis Romanis transitus eiusmodi cernitur, hoc ideo potissimum fuit quod pictores complexiores extensioresque compositiones summa cura vitaverint, idque plus est exploratum quam ut demonstrari oporteat.

bliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome, XLII, Paris, 1885, p. 72, n. 74; I. Wittig, *Die altchristlichen Skulpturen im Museum der deutschen Nationalstiftung am Campo Santo im Rom*, n. 29, Abb. 22 et n. 30, Abb. 23. Pisis. Garrucci, V, 364, n. 3. Spalathrae: Garrucci, V, 309, 4. Avenione: Garrucci, V, 395, n. 8; Le Blant, *Le sarcoph. chrét de la Gaule*, XXXII, 3. Arelate: Garrucci, V, 308, n. 2, 3, 4; 309, n. 1, 2; 366, 2).

(1) W. De Bock, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, tabb. IX, X, XI, XII.

Porro, si nunc picturarum argumenta considerentur quae in sarcophagorum anaglyptis desunt, quisque facile intelliget ea fuisse generatim omissa, quae magis sensu arcana erant, quae iam ex parte, ipsis in picturis, longo a tempore non amplius apparebant, vel quae iam in alia fuerant mutata. Exempli gratia, symbolum piscis, prout arcanum Christi signum, saeculo tertio frustra et in picturis quaeres, licet adhuc loculorum tituli Romanorum, ac Orientalia, praesertim Lycaonica, epitaphia haud raro illud exhibeant. (1) E contra, saepe apud anaglypta Christus, dum panes ac pisces sibi ab apostolis oblatos benedicit, deprehenditur; quod tamen semel tantum in picturis cernitur et quidem saeculo quarto, quando nempe iam tale argumentum in sarcophagis aderat.

Tab. 16. Sarcophagus musei Lateranensis.

Sic quoque arboris truncus, sive inter agnos aut aves Christi velut vicem gerat, sive, vas quoddam sustinens, altaris sit quasi symbolum, haud tantum a sculptilibus abest funerariis, sed ne quidem apud saeculo secundo posteriores picturas reperitur.

Iam vero breviter praecipuas argumentorum, quae in anaglyptis perstant, mutationes animadvertamus.

MARIAE VIRGINI INCARNATIONEM VERBI ANGELUS NUNTIANS.— Haec angeli nuntiatio, quae bis tantum in picturis coemeterialibus apparet, semel certo in funerariis anaglyptis ac saeculo dum-

(1) Cf. W. RAMSAY, *Luke the physician*, London, 1908; *The Expositor*, London, Nov. 1908. — Rarius etiam in Celticis monumentis piscis symbolum, aetate quidem Postconstantiniana apparet.

taxat quinto, in quodam Ravennatensi sarcophago, occurrit; hoc insuper discrimine, quod angelus alis praeditus sit, Maria vero labori intenta iuxta apocrypha scripta, conspiciatur.[1]

VIRGO MARIA CUM IESU INFANTE, CUI ADSTAT PROPHETA. — Hoc argumentum, quod, nedum in picturis, etiam in titulo quodam lapideo cernitur,[2] unicus sarcophagus, Romae apud S. Sebastiani basilicam recens inventus, necnon quoddam marmoreum anaglyptum in Africana ecclesia *Damus el-Karita* repertum, praebent. In utroque autem exemplo, propheta non ante, sed retro Deiparam sedentem stat ac sidus manu indicat,[3] ac eodem prorsus modo quo alibi S. Ioseph vel etiam

(1) GARRUCCI, vol. V, 344, n. 3; cf. vol. II, pars secunda, tab. 114. – diximus *semel certo*, nam in quodam Syracusano sarcophago alia vice videtur hoc mysterium adumbratum, de quo quidem redibit sermo.

(2) Cf. vol. II, pars secunda, tabb. 113, 116.

(3) P. DELATTRE, *Les missions catholiques*, 1910, p. 246.

Tab. 17. Sarcophagus Arelatensis.

tertia SS. Trinitatis persona viri adumbrata imagine conspicitur, de quo postea.

Magi, et interdum pastores, Christum infantem adorantes. — Saepe in picturis Magos Iesum natum adorantes invenimus, semel autem dumtaxat pastores.(1) In anaglyptis quam saepissime Magi cernuntur ac semper tres; quandoque vero pastores etiam, et isti quidem soli aliquando (Tabb. 18 et 19).

Tab. 18. Pastores apud Iesum natum.

Cum praesepe deest, non solum Iesus pannis involutus in sinu apparet matris, sed etiam, iuxta apocrypha scripta, in gremio eius sedens, necnon manum porrigens ad munera recipienda; quod illa Pseudo-matthaei memorat: « Transacto secundo anno, venerunt Magi ab Oriente in Hierusalem, magna deferentes munera. Ingressi domum invenerunt infantem Iesum *sedentem in sinu matris* ».(2)

Id patet, exempli gratia, in quodam romano sarcophago apud S. Callisti coemeterium detecto, in quo praeter Iesum infantem inter animalia, ipse Iesus puer iterum, sed in gremio Mariae sedens et a Magis dona accipiens, ostenditur (Tab. 19).(3)

Cum vero praesepe adest, licet minime in specu, sed sub quodam tegurio, stabuli imaginem haud perspicue reddente, positum sit, nihilominus bos asinusque nunquam desunt; plerumque etiam, cum Maria, Ioseph, pastoris sub specie et interdum cum ascia aliove lignariae artis instrumento, inducitur. De bovis autem asinique praesentia apud cunabula

(1) Vol. II, pars secunda, pp. 120, 121.

(2) Tischendorf, *Evangel. apocr.* p. 22; I. Liell, *Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau Maria*, tab. III, p. 227.

(3) Garrucci, V, 380, n. 4.

Christi iam in praecedenti diximus libro,[1] ubi unicum quod in saeculi quarti picturis cernitur exemplum ad sarcophagorum anaglyptorum similitudinem effictum affirmavimus. Igitur, apud sarcophagos, Iesu ortus, seu nativitas, ab epiphania probe distinguitur; licet aliquando utrumque simul sit exhibitum.

In his omnibus perraro sidus deest; Maria autem semper sedet, nisi Christum ferat, quasi de his quae videt medita-



Tab. 19. (Mus. Lateran. — Ex photographica Dr. Styger repetitione).

bunda; neque ullum erga divinum infantem affectus signum prodit. Cum vero Iesum gerit, tunc veluti regina potius quam ut mater, Filium Magis adorandum praebet. Nihilominus, in quodam Romani sarcophagi fragmento, apud principis Doria-Pamphili villam asservato, Maria in lecto fere iacens cernitur; infans autem Iesus, in cruribus sedens maternis, haud ad Magos appropinquantes animadvertit, sed Matrem quasi alloquitur. Hoc anaglyptum saeculo quinto non est antiquius.[2]

Bis tamen Maria revera uti mater adumbrata est, nempe in quodam Toletano sarcophago[3] atque in parvo fragmento marmoreo Romae apud S. Sebastiani coemeterium nuperrime

(1) Vol. II, pars secunda, p. 117. — Cf. F. E. DE URIARTE, *El buey y el asno testigos del nacimiento de nuestro Señor*, ap. *La ciencia christiana*, 1879-1880.

(2) Cf. *Nuovo Bull. di arch. crist.* ubi egregius doctor Clark Lamberton pulchre sarcophagum hunc, paene singularem, illustravit.

(3) FERNANDEZ GUERRA, *Mon. antiq. de la España*, t. 2, n. 5; GARRUCCI, V, 369, n. 4.

invento (Tab. 20). In Toletano sarcophago, Maria ad os vultum Iesu infantis admovere velle videtur, quem amabiliter ante sinum involutum gerit, dum Magi munera ferentes adveniunt.

Tab. 20. (Coem. S. Sebastiani).

Sed hoc medio saeculo quarto haud dixerim anterius. Exemplum autem tabula 20 exhibitum, praeter quam certe antiquius est altero, ac libenter omnium antiquissimum anaglyptorum eiusmodi dixerim, longe accuratiore arte praestat ac plane unicum in suo genere dici potest; ita ut nisi Ioseph pastoris sub specie adesset, utrum Christianum sit hoc fragmentum, recte dubitares.

Denique semel Iesus erectus super cruribus Matris apparet, dum a Magis allata munera recipit, idque in quodam sarco-



Tab. 21. Sarcophagus initii saeculi quarti, apud ecclesiam Sanctae Mariae Antiquae repertus. (Ex photographica officinae Moscioni repetitione).

phago, saeculo decimo octavo, apud Romam, « *ante aedes Mutorum,* in *platea ex adverso Ecclesiae S. Ioannis a Pinu vulgo dictae* » [1] exposito.

Ad Magos quod pertinet, eodem semper sunt more vestiti, scilicet tunica et lacerna, bracis ac plerumque etiam calceis; necnon phrygio pileo sunt praediti. Eorum munera saepe haud distingui possunt; aliquando deferunt vas, seu discum; alias vero in disco aliquid, nec semper idem.

Aurum thus et myrrham offerre verisimiliter significantur, cum unus ex illis coronam aliique conum ac parvos globos in discis gestantes adumbrantur. In Romano et in Sutrensi quibusdam sarcophagis, inter munera nonnulli duas columbas conspici arbitrati sunt; [2] sed incensum potius hic, in columbarum formam, imperitia artificis vel sculpturae vetustate, redactum, dignoscendum reputamus.

Magi plerumque soli adsunt Christo, semel vero iterumque etiam cum ipsis camelis procul dubio propter itineris quod peregerunt longitudinem, non autem, ut quidam excogitavit, tamquam Christo deferenda ipsi cameli essent munera. Magi denique etiam soli cernuntur de stella visa gaudentes, eamque digito indicantes; sed tunc haud longe, in eadem compositione, praesepe adest.

Christi baptisma. — Satis raro Salvatoris baptisma apud sarcophagos cernitur, neque semper, sicut in picturis, a neophyti baptismate per columbae praesentiam facile distinguitur. In sculptilibus vero plerumque tale argumentum aliquid novi, etsi minus historici, habet: Christus nempe non iam in fluminis Iordanis undis, sed in quodam fonte e caelo descendente, aut e nube, quam in aliquo Arelatensi sarcophago rupis instar libenter dixerim effictam, [3] profluente, lavatur.

Interdum, iuxta Ioannem alter quidam vir, tunica pallioque indutus, necnon manu volumen gerens, adest. Utrum vero

(1) I. Liell, *Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau Maria,* tabb. 39, 42, 45.

(2) I. Liell, op. cit. tabb. 38, 46; Garrucci, V, 380, n. 4, 398, n. 7.

(3) Garrucci, V, 351, n. 5; *Revue archéologique,* 1903, tab. 20.

Ioannis socius seu discipulus, an potius angelus, sit is dicendus [1] decernere non audeo; alioquin, ad spatium vacans solummodo implendum talis forsitan figura est, efficta. Sine columbae autem imagine haud semel ut dictum est, praesertim in marmoreo quibusdam capsae operculo apud Lateranense museum asservato, Iesu baptisma est exhibitum. [2]

Eiusce argumenti repraesentationes in anaglyptis sex sunt notae: una in Hispania apud Murciam; in Gallia duae, nempe una Arelate, de qua supra, et altera a Mabillon quondam evulgata deindeque ex illo a Garrucci [3] relata, nunc vero prorsus deperdita; tandem tres Romae. Omnium certe pulcherrima illa est quae in quodam apud affossam Sanctae Mariae Antiquae ecclesiam nuper invento sarcophago conspicitur (Tab. 21).

Paralytici sanatio. — Fere quoslibet apud sarcophagos paralytici apparet sanatio; at, dum raro in picturis sanato adstat Christus, nunquam eius figura in sculptilibus deest. Immo plerumque eum apostolus aliquis comitatur. Paralyticus vero statura pusillus exhibetur atque grabatum ferens [4] Huius argumenti exempla in anaglyptis prorsus innumera sunt.

In quodam autem sarcophago, apud Lateranense museum asservato, duae istius miraculi sunt imagines. Altera paralyticum in lectulo iacentem, simul ac alios aegrotos hic illic sedentes, profert; altera paralyticum iam sanatum, lectoque in humeris elato abeuntem, ostendit (Tab. 22).

Mulieris Samaritanae conversio. — Eodem fere modo quo apud picturas, Samaritana mulier, cum Iesu colloquens,

(1) Nec mirum videatur angelum tali specie figurari. Nam, sicut apud quasdam saeculi secundi aut tertii picturas incarnationis Verbi nuntium adumbrantes iam animadvertimus, angeli in antiquioribus artis Christianae operibus minime alis instructi exhibebantur. A saeculo quarto duntaxat, in eburneis praesertim anaglyptis, alis exornari coeperunt.

(2) Garrucci, V, 316, n. 1; *Nuovo Bull.* 1901, p. 207.

(3) Mabillon, *Annal. Ord. S. Benedicti*, t. I, p. 622; Garrucci, V, 403, 4.

(4) Garrucci, V. — Huiuscemodi repraesentationum loca referre longius et fastidiosum esset, cum fere in qualibet citati voluminis pagina paralytici sanati deprehendatur mentio.

in anaglyptis est efficta; nempe recta stans et dum e puteo aquam sumit, ad verba Salvatoris tamen attenta. Christus et ipse rectus plerumque stat, rarissime vero sedet. Denique puteus, iuxta quem omnia ad hauriendam aquam praesto sunt necessaria, inter mulierem et Christum est interpositus.[1]

Mulieris fluxu sanguinis laborantis sanatio. — Argumentum hoc bis duntaxat in picturis invenitur, sed pluries cernitur apud anaglypta (Tab. 22). In his autem mulier haud semper genu flexa aut prostrata, interdum vero ad fimbriam vestimenti Salvatoris tangendam seu osculandam, simpliciter inclinata deprehenditur. Christus quandoque inducitur deambulans mulieremque respiciens, quandoque ei, dum ab apostolo aliquo sibi praesentatur, manum imponens. Quae quidem varietas efficit ut ista mulier cum muliere Cananaea facillime confundi queat.[2]

Resurrectio Lazari. — Lazari resurrectio fere in omnibus apparet anaglyptis, eodem quasi modo concinnata: Lazarus etenim, pusillus statura fasciisque, pollincti cadaveris instar, involutus, in limine sepulcralis stat aediculae, quae nonnunquam aliquot praedita est gradibus. Illius vero soror quasi semper, et quidem ad Christi pedes prostrata, adest, dum contra, in picturis, raro et nonnisi erecta occurrit (Tab. 14, p. 20).

Aliae plerumque etiam personae producuntur, quae, digitis ad nares admotis, putorem indicent sepulcri. Deinceps aliquando, sed rarissime quidem, Lazari ipsius figura deest omnino aut solummodo dimidia cernitur.[3]

Illud vero argumentum alterutram semper anaglypti alicuius extremitatem, aediculae imagine in angulo posita tenet.

Filiae Jairi resurrectio. — Semel haec depicta habetur imago, nempe apud coemeterium S. Priscillae, ubi nunc, propter tectorii ruinam, puellae e lecto surgentis Christique figurae solummodo supersunt. Raro autem reperitur istud argumentum

(1) Garrucci, V, 313, n. 3, 319, n. 1, 334, n. 1, 381, n. 3.

(2) Garrucci, V, 314, n. 5, 330, n. 5, 333, n. 1. — Ad mulierem Cananaeam quod attinet, confer: ibid. 312, n. 1, 317, n. 2, 319, n. 4.

(3) Garrucci, V, 312.

apud sarcophagos; quorum unus circa Christum plures personas (Tab. 23), alter vero duas dumtaxat, apostolum scilicet quemdam ac mulierem, ut videtur, plaudentem, exhibet. In utroque mater adest puellae, eodem prorsus modo ac Lazari soror ad Salvatoris pedes provoluta.[1]

Bonus Pastor. — Bonus Pastor, tam ovem ferens in humeris, quam cum grege exculptus est; necnon etiam illi ovi quam portat vasculum, ut bibat porrigens,[2] vel etiam, loco ovium, ad pedes habens canem, qui eum intuetur.[3]

Interdum in eodem sarcophago huius et eadem pastoris duplicata est imago.[4] Interdum etiam plures simul obversantur pastores, alius oves mungens, alius gregem pascens, alius quiescens: necnon in medio gregis quandoque anima defuncti, orantis instar (Tab. 3, p. 8; 4, p. 9; 21, p. 33).[5]

Ipse bonus Pastor ita cum Christi insignibus nonnunquam adumbratur, ut nullum de eius significatione dubium dari possit;[6] exempli gratia, inter apostolos duodecim statuitur nimbo capiti circumdato. Quae quidem compositio et in musivis operibus, ut videbimus, haud inusitata est. In quodam sarcophago, Veliterni invento, ipse denique bonus Pastor panes multiplicans ostenditur.[7]

Christus apostolorum et evangelistarum magister, vel inter Petrum et Paulum. — Argumenta illa, cum saeculo duntaxat quarto in picturis appareant et valde incertum sit nonne ex eiusdem aetatis exordium habuerint proprie anaglyptis, ita ut sarcophagorum musivorumque indoli ac generi adscribi debeant, alibi potius erunt consideranda.

Catechumeni baptisma. — Hoc argumentem quod in sarcophagorum anaglyptis aliqui adesse negant, ibi tamen, licet

(1) Garrucci, V, 316, 376.
(2) Garrucci, V, 357, 375.
(3) Garrucci, V, 303, 372, 375.
(4) Garrucci, V, 202, 304.
(5) Garrucci, V, 363, 374, 394, 401.
(6) Garrucci, V, 304, n. 4.
(7) Garrucci, V, 374, n. 4; *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1901, tab. X.



Tab. 22. (Mus. Lateran. Ex photographica officinae Moscioni repetitione).

raro, extare nos arbitramur. Inter baptismatis videlicet repraesentationes quaedam sunt exempla, in quibus viri baptizando astantis figura minime typo Ioannis solito congruit, non solum ob vestimentorum formam, sed quia etiam gestat volumen; volumen inquam, quod formulam legis sane significare, proindeque Ioanni minus convenire nemo inficiabitur.

Sunt insuper exempla ubi prorsus deest columba, aut, si columba inducitur nequaquam magis aliunde baptismatis Iesu compositio absimilis fit.

Exempla talis baptismatis tria numerantur, quorum pulcherrimum, tabula 30 expressum, Romae apud Diocletianarum thermarum palatium nuper fuit inventum; secundum vero, in Gallia quidem olim exsistens, a Le Blant pro Christi baptismate propter columbae praesentiam, et a Garrucci pro Christiani ad statum gratiae divinitus sublevati effigie putatum est;[1] tertium, apud Arelatem repertum, ad fontem illum, in quo catechumenus abluitur,[2]

(1) Le Blant, *Sarcoph. chrét. de la Gaule*, tab. XXVI, et Garrucci, V, 301, n. 3.

(2) Garrucci, V, 398, n. 3; Le Blant, l. c., tab.

alias duas personas, ut ebibant, accedentes prodit; sed hoc exemplum, ut videbimus, a praecedentibus longe differt.

MOYSES RUPEM PERCUTIENS ET FONS INDE SCATURIENS. — In hoc argumento effingendo nonnulla sarcophagorum plus aut minus sunt propria. Sic, - quod in pictura solummodo una, nempe apud quoddam Callistiani coemeterii arcosolium est videre, (1) - Moysi rupem percutienti in anaglyptis quasi semper Israelitae duo, aquam defluentem bibentes, adiuncti sunt. Obiter

Tab. 23. (Sarcophagus Arelatensis).

etiam animadvertendum aquam haud semper de rupe, sed aliquando e caelo manare, quin immo necnon ex arbore, perinde ac in Diocleana patera, de qua iam quidem in precedenti libro sumus locuti (Tab. 25). (2)

Alioquin ita in funerariis sculptilibus tale argumentum argumentis est connexum aliis ut infra, in speciali articulo, sit melius tractandum.

ADAM ET EVAE PECCATUM. — Uno et eodem fere modo ut vidimus, priscorum parentum lapsus in picturis adumbratus est; nempe arbor, cui serpens circumvolvitur ac hinc et illinc Adam et Eva sibi verenda tegentes, solent conspici. In funerariis vero sculptilibus, ubi quam saepissime quidem adest, res

(1) WILPERT, *Le pitture delle catacombe*, tav. 237, 2.
(2) Vol. II pars secunda, pp. 160 et 161, not. 1.

Tab. 24. (Anaglyptum musei Kircheriani).

paullo aliter effingitur; nam, praeter peccati materiam malignique spiritus sollicitantis astutiam ac culpae admissae effectum, anaglypta etiam castigationem poenamque aliquando significant, adiungendo scilicet symbola illius laboris, cui deinceps primi parentes eorumque soboles sunt addicti, id est frumenti manipulum quoad Adam et agnum lanigerum quoad Evam.[1] Et haec interdum ab ipso Domino, sub Filii seu Christi specie ostenso, miseris et lugentibus ambobus designantur et assi-

Tab. 25. (Mus. Lateran).

gnantur. Quo autem in casu, aut arbor ac serpens desunt, aut talium effigies ad latus sepositae sunt (Tabb. 13, 26). Nonnunquam denique multiplex illa cogitationum et imaginum compages apud eundem sarcophagum in duas dividitur quasi sculptiles tabellas; sic in quodam quarti saeculi, Syracusis detecto et cui Adelphiae nomen incisum, sarcophago, de quo infra speciali modo loquendum erit.[2]

(1) GARRUCCI, V, 371, n. 1, 2 et 5. Cf. 359, n. 3.

(2) HÉRON DE VILLEFOSSE ap. *Gazette arch.* 1877, p. 157–168, tab. 25; GARRUCCI, V, 365, n. 1; *Revue arch.* 1877.

Ad priscos ipsos parentes quod spectat, Eva saepe inducitur fructum prohibitum in manu gerens, vel decerpens, vel a daemone accipiens, vel iam acceptum Adae porrigens. Hic ostenditur etiam se tegens, aut Deum redarguentem audiens, aliquando vero non solummodo fructum accipit, sed et ipse ex arbore carpit; alias, iam paenitens, dolorem suum gestu exprimit. In quibusdam sarcophagorum fragmentis, Romae, in coemeterio Callisti iacentibus, Adam et Eva, arte pulcherrima exculpti, non solum pudenda, sed etiam pectus humerosque foliis cooperta habent.



Tab. 26. (Sarcophagus Lateranensis).

Arbor quidem exhibita in diversis anaglyptis haud eadem, sed plerumque arboris alicuius frugiferae, in regione in qua sarcophagus unusquisque fabricatus est magis frequentis vel pluris aestimatae, figura efficta est; videlicet in Italia ficus, in Hispania et in quibusdam Galliae partibus malus.[1] In Burgundia, sed tamen non in marmoreis anaglyptis, vitis, et alibi etiam cerasus. In quodam Veronensi sarcophago, inter utrumque parentem corbes fructuum panumve plenae sunt interpositae.[2]

(1) Garrucci, V, 212, n. 1 et 4; 382, n. 3.

(2) Garrucci, V, 333, n. 2. — Quidnam corbes contineant clare non apparet. Garrucci, qui illas panibus repletas reputat ita scribit: «... Appiè dell'albero e presso ai due progenitori vedonsi due ceste ricolme di piccoli pani: la cesta più grande è dal lato di Adamo. Non è qui il luogo

Tandem huic repraesentationi aliae aliquoties adsunt personae, quae generatim ad spatium implendum sunt inductae; at in Romano quodam sarcophago, vir barbatus humerum dextrum Adae manu prehendit, perinde ac si illum velit increpare. Hac viri effigie Deum Adam corripientem libenter adumbrari crediderim. (1)

Noe columbam in arcam recipiens. — Haud aliter hoc in anaglyptis quam in picturis generatim adumbratur. Arca capsae ligneae speciem prae se fert, ac, tamquam scrinium, sera munita est. Quandoque non columba cum ramo olivae, sed columba de arbore olivarum advolans in arcam a Noe recipitur (Tab. 14, p. 20).

Semel, apud quemdam Trevirensem sarcophagum, Noe cum universa familia in arca conspicitur, necnon adsunt plura animalia. Id quidem, animalibus exceptis, in quadam Oasis sepulcreti pictura deprehendere est, hoc tamen discrimine quod arca hic naviculae revera formam habeat, dum in sarcophago Trevirensi, aeque ac in ceteris eiusmodi repraesentationibus semper pro arca capsa extet quadrata. Utrum vero ex duobus istis monumentis antiquius sit, difficile est dicere. (2) Ceterum haud multum frequenter Noe in vetustioribus anaglyptis est inductus. Arcae vero forma e Graeca sacrae Scripturae versione quam *Septuaginta interpretum* vocant, (3) repetenda videtur, quia, saeculo iam primo, quadrata in Romanis picturis apparet; (4) hanc autem revera formam ligna ad arcam construendam

di far rilevare quanta importanza si abbiano questi pani per interpretare le spighe di grano e l'agnello che in altri marmi il Redentore reca innanzi ai due progenitori; se n'è trattato nella Teorica. Basti qui notare che quelle due ceste non hanno altro significato allegorico da quello in fuori che dai SS. Padri si dà alla moltiplicazione» (loc. cit. p. 58).

(1) Garrucci, V, 318, n. 1.

(2) Garrucci, V, 308, n. 1; W. de Bock, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, tab. XII.

(3) «Ποίησον οὖν σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων». *Genesis*, VI, 14, ap. F. Vigouroux, *La sainte bible polyglotte*, t. I, p. 40.

(4) Wilpert, *Pitt.*, Tavole, tab. 16; Marucchi, *Roma sott.* (nuova serie), t. I, Tavole, tab. XVIII.

adhibita habuisse Patres existimabant. Sic S. Augustinus, arcam symbolice comparans Ecclesiae, ait: « Et quod de lignis quadratis fieri iubetur, undique stabilem vitam Sanctorum significat: quacumque enim vertitur quadratum stabit ».[1] Ceterum, vel e Vulgata versione, quae a textu Hebraico pendet, cum tres ibi, sicut in ceteris versionibus, demensiones praecipiantur quae ad cubicam requirantur formam, item quadrata per se forma exprimitur: « Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius »,[2] licet longitudo sextuplo maior latitudine, decuplo autem altitudine, sit; quam quidem differentiam, sive propter spatii angustiam, sive potius quia nihil symbolici addebat imagini, exprimi haud opportunum visum est.

Abraham sacrificium seu Isaac liberatio. — Eodem semper plus minusve modo apud sculptilia sacrificium Abraham exhibetur; nempe dum pater cultrum elevat, iam filium occisurus. Abraham tunica et pallio plerumque vestitus; Isaac vero indutus exomide, unico aut utroque genu flexus, ac manibus retro dorsum alligatis, necnon aliquando super ara sedens aut prostratus fingitur. Ara nunquam deest, et haud raro etiam lignis incensis ardet. Aries denique vel iuxta arborem, vel in parvo aggere, vel semel super truncata columna ac, si alius locus non suppetat, ipse inter figurarum capita praesto est.

Dei autem alloquentis et Isaac mortem recusantis praesentia manu quadam e nube exeunte et quandoque gestum quasi oratorium faciente, significatur. Unde, si apud sarcophagum clypeata seu orbiculata defuncti adsit imago, potius iuxta imaginem istam tale plerumque effictum argumentum, quia nempe tunc inter orbiculatam effigiem ac superiorem oram sarcophagi intervallum vacans pulchre divina manu occupatur (Tab. 8, p. 13; 26, p. 42).[3]

(1) *S. Augustinus, De civ. Dei*, l. XV, c. XXVI, 1.

(2) *Genesis*, VI, 15. Ceterum vel in tardioribus depictis necnon musiveis huius argumenti adumbrationibus arca quadrata deprehenditur.

(3) Garrucci, V, 312, n. 1 et 3, 314, n. 6, 318, n. 2, 326, n. 2, 327, n. 4, 328, n. 3, 341, n. 3, et passim.

Isaac autem ligna ferens semel tantum, quod sciam, Romae, in ecclesia *Santa Maria dell'Anima* nuncupata, est exculptus.

DAVID CUM GIGANTE PUGNANS. — Apud picturas, ut vidimus,[1] bis tantum, Romae scilicet et Neapoli, David adversus Goliath cum funda procedens ostenditur. Aeque perraro in sarcophagis huiuscemodi argumentum adest; et apud anaglypta insuper tum cum gigante pugnaturus, tum istius occisi regi Saul caput obiiciens David exhibetur.[2]

Tab. 27. (Sarcophagus Lateranensis).

IOB INFIRMUS. — Sublime hoc patientiae exemplum in sarcophagis multo clarius quam in picturis adumbratum est: in his enim semel tantum, et quidem saeculo quarto, iuxta Iob uxor est efficta, placentam seu panem illi porrigens virga. Simili plerumque modo in sculptilibus funerariis tale repraesentatum est argumentum, sed etiam saepe alia inducitur persona quae, sicut in Lazari resurrectione, digitos ad nasum admovet, ut foetorem aegrotantis designet.[3] Apud vero Iunii Bassi in Vaticanis cryptis sarcophagum (Tab. 13, p. 19), ipsa Iob uxor, dum offam infirmo praebet, sibi nares, admota palla, occludit.

(1) Vol. II, pars secunda.
(2) GARRUCCI, V, 341, nn. 1 et 4.
(3) GARRUCCI, V, 341, n. 1, 350, n. 1.

Tobias cum pisce. — Sicut in picturis, ita in sculptilibus raro admodum Tobias apparet; in his tamen semel, dum interiora e pisce extrahit;[1] angelus autem non adest.

Tres pueri in fornace, Nabuchodonosor regi adoratione negata. — Trium puerorum in fornace imago Christianis sculptoribus familiarissima fuit, et fere ubique eam adhibuerunt. Cum pueris vero quarta est aliquando in fornace persona, quae angelus eos refrigerans sane videtur.[2] Huic etiam argumento haud raro alterum adiunctum est, scilicet pueri regis statuam adorare renuentes; quod quidem, ut in praecedenti animadvertimus libro,[3] semel dumtaxat, quartoque saeculo, in picturis invenitur (Tab. 27).

Daniel in lacu leonum. — Antiquissimum hoc symbolum passim apud sarcophagos cernitur, atque hic aliquid habet novi, quod frustra in picturis quaereretur. Adest nempe propheta Habacuc Danieli prandii instar panes praebens cruce insignitos, id est eiusdem prorsus formae atque panes qui in multiplicationis miraculi repraesentatione saepe conspiciuntur. In quodam insuper coemeterii S. Callisti sarcophago, necnon et in alio apud museum Kircher asservato, panis ab Habacuc porrectus Christi monogrammate signatus est, de quo infra dicendum (Tab. 14, p. 20).

Daniel fere semper nudus comparet, vel, si non nudus, tunc more Orientalium vestitus.[4] Ad eius latera duo plerumque sunt viri, quorum alter ipse quandoque est Habacuc. In quodam vero Lataranensi sarchophago, Daniel expansis manibus inter duas figuras stat perinde ac anima inter sanctos. Quod quidem et in aliquibus aliis reperitur sarcophagis (Tab. 14); sed in hoc praeterea Habacuc velut puerulus inducitur et super caput eius, panes protendentis, unus ex adstantibus viris manum imponit (Tab. 28),[5] de quo postea loquendum.

(1) Garrucci, V, 301, n. 3, 323, n, 3.
(2) Nunquam, in anaglyptis, angeli loco, columba apparet.
(3) Vol. II, pars secunda, p. 209.
(4) Garrucci, V, 364, n. 2 et 3, 367, n. 3, 384, n. 3.
(5) Garrucci, V, 365, n. 2.

Brixiense quoddam sculptile Danielem in specu exhibet; adstat quoque Habacuc, super cuius capite septem sunt stellae, caelum significantes; necnon e nebula manus porrecta hunc capillis sustinet (Tab. 29).[1]

SUSANNA AB IMPUDICIS SENIBUS ACCUSATA, ET A DANIELE VINDICATA. — Utrumque simul hoc argumentum raro sarcophagi praebent, et quidem tali modo, ut de vera eius significatione ambigere liceat. Varie varia huius eventus puncta evolvuntur, praesertim in quodam Arelatensi sarcophago a Garrucci apud opus suum illustrato.[2]



Tab. 28. (Sarcophagus apud basilicam S. Pauli inventus).

IONAS IN MARE DEIECTUS, EVOMITUS A PISCE ET SUB FRONDE QUIESCENS. — Huius historiae exempla pene ubique sunt repetita, parum vero aliter quam in picturis (Tab. 7, p. 12; Tab. 27, p. 45).

MOYSES SANDALIA SOLVENS. — Perinde ac apud quamdam saeculi quarti, de qua alias,[3] picturam, in anaglyptis, quidem paucissimis, quae hoc proferunt, manus e nube educta, ut di-

(1) GARRUCCI, V, 323, n. 2.
(2) GARRUCCI, V, 377, n. 3.
(3) Vol. II, pars secunda, p. 243.

vinae vocis et potentiae signum, est usurpata; sed praeterea manus haec volumen interdum porrigit Moysi, qui iam soluta tenet sandalia. Unde non videtur eadem utrimque significatio.

ANIMAE SINGULARE IUDICIUM. — Singulare animae iudicium, a Christo Domino peractum, non videtur in sarcophagorum anaglyptis defuisse (Tab. 21, p. 33). Sic, in quodam Lateranensis musei sarcophago sedens explicatumque volumen tenens apparet Christus, cui adsunt et defuncti anima, personae orantis instar inducta, et duo sancti causam istius defendentes.

Hanc iuxta effigiem convivium exhibetur paratum, quod caelestem memorare mensam libenter dixerim.[1]

Eiusmodi vero adumbrationes facile cum quibusdam aliis imaginibus haud immerito possunt confundi. Mos enim apud ethnicos erat Musas prope defuncti figuram nonnumquam effingendi, idque etiam inter Christianos, post pacem Ecclesiae, ad poeticum fortasse quo aliquis fuerat praeditus ingenium exprimendum quandoque in usu fuit.[2]

CIRCA RELATAS MUTATIONES ANIMADVERSIO QUAEDAM ET CONCLUSIO. — Paucis quidem argumentis, quae nempe sarcophagi eodem vel simili fere modo ac picturae exhibent, omissis, nunc licet cetera coniuncte considerare ac ad quamdam proinde conclusionem devenire.

Picturarum porro argumenta quae in anaglyptis perseverant, cum ad eas liturgicas optime referantur preces, quas, ut vidimus, non modo imagines redolent funerariae, sed et aliquatenus epitaphia repetunt, haud aliam propter rationem generatim in sarcophagis decorandis usurpata fuisse dicendum est. Etenim, sicut in Diocleana patera,[3] quae saeculi quarti est, necnon in eiusdem saeculi picturis, indolem paraeneticam, seu deprecabundam, permanere deprehendimus, nulla omnino est ratio cur arbitremur eadem argumenta apud funeraria anaglypta hanc indolem permutasse. Alioquin indicia plurima sunt quae

(1) GARRUCCI, V, 371, n. 1.
(2) GARRUCCI, V, 370, nn. 2, 3, 4; 371, n. 2 et 5.
(3) Cf. vol. II, pars secunda, p. 220.

talem plane satis confirment conclusionem; eaque ex ipsis sculptilibus colligere fas est.

Sic rem accurate intuenti patet Noe, in anaglyptis sicut in picturis, defuncti animam, pro qua Dei misericordia flagitatur, significare. Immo, apud sarcophagum quemdam, in Lateranensi hodie museo reconditum, non virilis ipsius Noe imago, sed orantis in arca extat mulieris figura, quae, procul dubio, defunctam repraesentat non secus ac in eodem sculptili altera orantis effigies, cuius super capite scriptum nomen IULIANE.(1)

Nec aliter de Abraham sacrificio. Id quidem argumentum, in picturis, duplici significatione interpretari posse comperimus: videlicet, si eucharisticis sit colligatum repraesentationibus Isaacve, Christi crucem baiulantis instar, ligna ferentem humeris exhibeat, haud immerito cruenti Calvariae sacrificii et proinde mysticae in altari immolationis adumbratio censetur; quod si vero seorsum et simpliciter effictum adsit, tunc quasi divini auxilii commemoratio agnoscendum necnon pro defuncti anima deprecationis inductio, ut nempe misericors Dominus, perinde ac *Isaac de hostia et de manu patris sui Abraham*(2) liberavit, liberet hanc animam a poenis. Atqui haud dubium evadit quin posterior iste sensus frequentius et potissime apud anaglypta sit expetitus, cum in his plerumque adiuncta desint illa, quae crucis vel eucharistiae recordationem suggerunt.

Et quoque, dum Danielis figura, ut in coemeteriis est delineata, nobis, pictorias si solummodo effigies intueamur, haud ita clare quo spectet prodit, non ambigi e contrario potest sculptilia, apud quae quasi constanter, una cum Daniele inter leones orante, Habacuc propheta cibum afferens conspicitur, illis secundae Pseudocyprianicae orationis adamussim verbis respondere: « Exaudi me, Domine, orantem, sicut exaudisti Danielem de lacu leonum, et misisti Habacuc prophetam, et attulit ei prandium ».(3)

(1) GARRUCCI, 301, n. 2.
(2) *Ordo commend. animae.*
(3) Cf. supra, vol. II, pars secunda, p. 227.

Praeterea tamen, eo quod sensim, ut supra vidimus, in antiquis evolvendis argumentis quaedam adiuncta sint nova, quae quidem ad historiam, vel fabellas interdum ex apocryphis libris seu pseudoevangeliis depromptas, potius quam ad symbolicas cogitationes pertinent, factum est ut decursu tem-

Tab. 29. Anaglyptum Brixiense.
Manus e caelo, septem adumbrato stellis, Habacuc prophetam capillis tenens ad Danielem adducit.

poris, arcanus sculptilium repraesentationum sensus valde imminutus fuerit, necnon quarumdam imaginum series quasi omnino apud sarcophagos exoleverint: verbi gratia, in anaglyptis praecipua ad symbolicum piscem spectantia frustra quaererentur.

Art. V. — **Argumenta sarcophagorum propria.**

Praeter ea vero quae et picturis et anaglyptis, etsi cum aliquibus differentiis, sunt communia, nonnulla alia exstant argumenta nunc nobis consideranda; ex quibus quaedam, si accurata exoptetur divisio, sarcophagorum eo propria dici possunt, quod ad capsas funerarias proprie decorandas fuerint electa seu excogitata; cetera autem potius musivorum operum

dicenda sunt peculiaria, quamquam e musivis ad posteriores sarcophagos partim transierint.

En iam capitulatim argumenta praedicto sensu propria:

CHRISTUS . . .	Christi mater Elisabeth visitans; Innocentium puerulorum strages; Christi quoddam apud Capharnaum miraculum; Christi sermo in monte; Christus Ierusalem ingrediens; Christi dolores et opprobria; Christus cum duobus apud Emmaum discipulis mensam benedicens. Christus ad caelos ascendens.
GENERIS HUMANI PRIMORDIA . .	Hominis ac mulieris creatio; Adam et Evae condemnatio; Cain et Abel dona Deo offerentes.
PATRIARCHAE . .	Isaac filiis suis manus imponens; Iacob Ephraim et Manasse decussatis manibus benedicens.
MOYSES	Moyses de caelo legem accipiens; Moysis quaedam miracula.
PROPHETAE . .	Elias ad caelum raptus (etsi et in picturis); Ezechielis visio; Daniel impudicorum seniorum castigationem requirens; Daniel Babylonis draconi cibum porrigens mortiferum.
PETRUS	Petrus super fluctus ambulans; Petrus, dum ad pedes eius lavandos Christus se accingit; Petrus Christum negaturus (etsi et in picturis); Petri quaedam miracula; Petrus deprehensus; Petrus e carcere liberatus; Petrus ad crucem damnatus.
PAULUS	Paulus mandatum a Christo accipiens; Paulus deprehensus; Pauli supplicium.

Iam breviter singula recenseamus.

CHRISTUS. — Christi mater Elisabeth visitans non nisi semel, quod sciam, in sarcophagorum anaglyptis cernitur, et quidem

in Ravennatensi quadam capsa, ad saeculum pertinente quartum vel quintum. Hanc tamen effigiem Garrucci aliter, scilicet tanquam Mariae cum Ioseph connubium, interpretatus est. (1)

Innocentium strages item quam rarissime reperitur.

In quodam sarcophago, apud Sancti Maximini ecclesiae cryptam (in Gallia) nunc recondito, strages haec quidem cernitur, sed inscite satis exhibita: rex nempe sedet Herodes, cui duo praesto sunt milites cum duobus infantibus; unica autem mater adstat. (2) Paullo melius in aliis anaglyptis, praesertim eburneis, res adumbratur, (3) necnon mire, ut videbimus, in triumphali arcu basilicae Liberianae, quamvis ibi strages nondum ostendatur incepta.

Inter Christi miracula, quae sarcophagi referunt, solummodo unum est, quod apud funerarias non conspiciatur picturas, nempe duorum apud Capharnaum caecorum sanatio. Hoc quidem et in sculptilibus raro invenitur, ac ibi semper uterque, vel saltem alteruter caecus baculum fert. Praeterea, sicuti saepe in ceteris Evangelicarum curationum repraesentationibus, unus vel duo (raro tres) adsunt apostoli, quorum alter plerumque infirmum benigne Christo praesentat, aut commendare videtur (Tab. 22, p. 38). (4)

Interdum etiam vir quidam parvae staturae, tunica succincta clamydeque indutus, necnon reverenter se inclinans, manibus sub clamide velatis, Christo gratiam, ut videtur, aliquam petiturus fit obvius. Garrucci illum Capharnai centurionem esse existimat, ut servus suus sanetur efflagitantem; cui quidem interpretationi libenter assentimur. (5)

Romae, apud museum Kircher, quoddam est sculptile coloribus olim inductum, in quo, una cum panum pisciumque ad satiandas turbas multiplicatione, Christi in monte praedicatio cernitur. Prius quidem argumentum, etsi modo inusitato,

(1) Garrucci, V, 344, n. 2.
(2) Garrucci, V, 334, n. 3.
(3) Garrucci, VI, 454.
(4) Garrucci, V, 314, n. 5, 319, n. 4.
(5) Garrucci, V, 319, n. 4, 333, n. 1, 353, n. 1, et passim.

de quo postea, hic sit effictum, aliunde haud novum est; praedicatio vero Iesu in monte alibi minime deprehenditur. Atqui, in hac repraesentatione, Christum, sedentem et pulcherrimum adspectu, turba plurima, necnon hinc et illinc infirmi quidam, apostolorum nempe opem implorantes, circumstant (Tab. 24).

Tab. 30. Catechumeni baptisma
(Ex *N. Bullettino di arch. crist.* 1906, Tav. V-VI).

Procul dubio illis Matthaei evangelii verbis artifex velut afflatus fuit: « Et cum transiisset inde, Iesus venit secus mare Galilaeae et, ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles et alios multos, et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos, ita ut turbae mirarentur ». (1)

(1) MATTH., XV, 29-31. — Cum autem, in hac imagine, iuxta Iesum quaedam sit mulieris figura, en quid de ea egregius habet Garrucci: « Gesù veniva dalle terre di Tiro e di Sidone, dove la Cananea impetrò da lui la guarigione di sua figlia. Quella donna, che sta presso di lui, potrebbe esservi stata messa per avviso del miracolo ottenuto e della fede di lei, tanto encomiata da Cristo. Mi è venuto anche in mente la donna che,

Christus autem Ierusalem ingrediens, ac super asina, quam interdum eius pullus sequitur, sedens, persaepe apparet in anaglyptis. Plerumque etiam adest aliquis pallium in terra ante Salvatorem extendens; necnon alius vel plures sunt cum palmis in manibus. Denique fere semper ante Christum arbor, in quam vir, sive ut melius aspiciat, sive ut ramos caedat, ascendit (Tab. 13, p. 19; 22, p. 38; 26, p. 42).[1]

Christi quae memoret dolores, unam dumtaxat repraesentationem in coemeterialibus invenimus picturis, eamque ita adumbratam, ut non desint qui ei minime hanc tribuant significationem.[2] In sarcophagis vero non ita, sed plura Christi passionem haud ambigue commemorantia palam efficta sunt, paucis tantummodo omissis, quae, ut servilis flagellorum castigatio, alaparum sputorumque ignominia, crucifixionisque plane perspicuum spectaculum, nimis probrosa odiosaque, tunc temporis, adhuc reputabantur. Quod si semel Christus, dum per ludibrium coronatur, in quodam Romano cernitur sarcophago, non quidem spinea, sed florida tunc corona redimitur (Tab. 31).

De Christi igitur passione apud sarcophagos idem ac de martyrum suppliciis dicendum; pauca vero, quae huiusmodi in praecedenti libro recensuimus exempla, haud in communibus sepulcretis, sed in peculiaribus segregatisque recessibus sanctuariisve sunt reperta, ac proinde veluti exceptiones possunt haberi.

Necnon apud anaglypta adest Christi in caelos ascensio; sed de hoc redibit sermo. Quin et ipsius Deiparae videtur assumptio adumbrata in quodam Hispano sarcophago, de cuius tamen significatione valde inter peritos disceptatur. De eo quoque postea, cum interpretationis proferentur exempla, sermo erit.

En iam proinde quomodo quaedam passionis Christi historiae, simul quidem cum aliis, in tribus sarcophagis, Mediolani, Romae ac Arelate inventis, *schematice* sint distributae:

a sentir Cristo, mentre ammaestrava il popolo, esclamò: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti!*» (GARRUCCI, V, 404, n. 1).

(1) GARRUCCI, V, 313, n. 4, 314, n. 5, 317, n. 4, 334, n. 2, 348, n. 1, 365, n. 1, 367, n. 2, 381, n. 2, 402, n. 1, 404, n. 4.

(2) Cf. *Appendicem* ad vol. II, pars 2ª, necnon p. 330 sq.

I. [1]

Salvatoris praesepe.	Tres Magi, dum sidus indicant, gaudio exsultantes.	Christus, quidem barbatus, cum apostolis Petro et Paulo.	Christi sepulcrum vacuum duaeque Mariae, altera syndonem respiciens, altera ad angelum hic stantem intendens.	Christus, vulnus lateris tangendum Thomae praebens.

II. (Tab. 31)

Cyrenaeus, ad crucem ferendam a milite coactus.	Iesus, florida quadam corona a milite redimitus.	Crux Christique monogramma inter milites.	Christus, ad Pilatum ductus.	Pilatus, manus iam loturus.

(1) GARRUCCI, V, 315, n. 5.



Tab. 31. (Sarcophagus Lateranensis Christi passionem exhibens).

Pretiosior autem multo est Arelatensis sarcophagus, a Calvinianis quidem haereticis in fragmenta confractus, nec postea, deperditis quibusdam, ex toto restitutus; cuius tamen integra argumenta, in quodam Parisiensis blibliothecae, quam vulgo *Nationale* vocant, codice Peiresc quidam, a sinistro superioris partis latere incipiendo, ita descriptam olim tradiderat: (1)

Virgo Maria, sedens, capite velato, infantemque Christum praebens adorandum, tiaratis nempe, Magis, quorum unus coronam offert, alii vero thure et myrrha onustos discos porrigunt; pellibus indutus Ioannes baptizansque, dum columba aquam e caelo cadentem rostro suo dispergit; Iesus cum Iudaeorum doctoribus disputans in templo; tres Babylonienses pueri, coram Nabuchodonosor sedente, simulacrum adorare renuentes.

Arcae vero pars inferior, quae quasi tota adhuc asservatur, magis ad dominicae passionis argumenta attinet; quippe quae ita in schemate possit exponi:

Christus, imberbis quidem, inter discipulos dormientes.	Iudas, a satellibus stipatus Christumque prodens osculo.	Pilatus, paludamento vestitus, coronaque cinctus, necnon in subsellio sedens manusque in catino, tripodi imposito, aqua ex urceo defluente, lavans.
Tribus mulieribus iuxta sepulcrum Christus apparens.	Christus, post resurrectionem suam, inter discipulos.	Christi ascensio: hic Iesus a manu de caelo porrecta sublatus exhibetur, respicientibus prostratisque discipulis.

Paullo aliter Le Blant et Garrucci argumenta, praesertim superioris partis, sarcophagi huius interpretati sunt, et quidem

(1) Cf. Le Blant, *Etudes sur les sarcophages chrét. antiques de la ville d'Arles*, p. 46 sq., tab. XXIX.

inter se minime consentientes;[1] nos autem quidquam datae interpretationi haud putamus esse addendum.

Tres praeter recensitos sarcophagos, alii sunt utique sarcophagi Christi dolentis adumbrantes mysteria, Iesumque praesertim tum a Iuda osculo traditum,[2] tum a militibus captum[3] (Tab. 13, p. 19) tum ante Pilati tribunal adductum (Tab. 13, p. 19; 31, p. 55),[4] exhibentes.

Haec forsan aliquarum medii aevi primordia extant compositionum, utpote quae in ligneis, eburneis, aut metallicis anaglyptis, ac in musivis operibus, singulos terrenae Salvatoris peregrinationis casus, necnon eius in caelo gloriam, connexa serie colligere consuetae sint.

De crucifixione prorsus nunc illud advertendum est, quod in praecedentibus libris fuit dictum, nempe hanc, quoad Occidentales regiones, Romae primum esse repraesentatam, licet subobscuro modo, in foribus ecclesiae S. Sabinae, quae, peritorum iudicio, ad quintum pertinent saeculum; in Oriente vero multo anterius, sed in anulorum gemmulis, seu privatis ornamentis, potius quam in monumentis. De crucifixo speciali articulo erit postea loquendum.

Generis humani primordia. — Priscorum parentum praeter lapsum, horum quoque creationem anaglypta funeraria habent, necnon utrique indicti laboris denuntiationem. Nova haec duo argumenta eloquenti satis repraesentantur more. Ad primum quod attinet, in quodam Lateranensi sarcophago, divina tota creationi adesse fingitur Trinitas, trium virorum inter se simillimorum figuris expressa; licet sola Patris persona ostendatur creans, id est corpori mulieris iam perfecto spiraculum inspirans vitae (Tab. 28, p. 47. Vide infra). In alio sarcophago, Interamniae reperto, Filius Patri creanti solus adesse cernitur.[5]

(1) Garrucci, V, 316, n. 1.

(2) Garrucci, V, 333, n. 1.

(3) Garrucci, V, 331, n. 2, 334, n. 2, 335, n. 3. — Ut postea videbimus, una cum Christi comprehensione, Petri etiam interdum comprehensio adumbratur, necnon quandoque, licet rarius, Pauli supplicium.

(4) Garrucci, V, 358, n. 3, 366, n. 2.

(5) Garrucci, V, 399, n. 7.

Ut mos est, non desunt eruditi qui in his sculptilibus Christianos dicant artifices ethnica esse imitatos exempla, eo quod Prometheus, cum hominem formans inducitur, plerumque Minervam sociam vel duas alias personas habeat comites. In quodam quidem Romano sarcophago, apud Capitolinum museum asservato, iuxta priscos generis humani parentes, Vulcani officina efficta est, perinde quasi in ea fuerint corpora illorum conflata. (1) Profecto hic de sculptoribus, item ac de poetis pictoribusque, repetenda occurrunt Horatii verba; nempe illis:

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. (2)

De secundo haec notanda argumento.

Apud sarcophagorum anaglypta, semper ipsa Verbi, non autem Patris, persona laborem in poenam peccati priscis impositum parentibus denuntiat; et id evidentissime patet, cum eadem Salvatoris, adolescentis scilicet, figura haud semel in eodem sarcophago et miracula patrans et laborem Adam Evaeque praecipiens exhibeatur. Certe quoad effigiem parum accurata hic adest temporum digestio, nimiaque simplicitas; sed Christi divinitas nullo meliori poterat modo significari.

Ut signa laboris parentum utrique iniuncti, scilicet agri ab Adam ad messem arandi, lanaeque ab Eva elaborandae, iam diximus viro frumenti manipulum, mulieri autem lanigerum agnum a Christo Deo offerri. Quae res, cum minime in Scriptura sacra commemorentur ac nihilominus semper in anaglyptis eaedem appareant, mysticam forsan arcanamque significationem includunt. Id egregius Garrucci pro certo habet, nempe frumentum et agnum futurum indicare Redemptorem, qui sicut agnus erat occidendus, ac sub specie panis triticei in eucharistia sumendus; idemque I. B. De Rossi aliique peritissimi senserunt auctores. Ceterum, curnam Salvatoris promissio, quae in hoc argumento maximi momenti est, omitti debuisset? (3) De hoc item redibit sermo.

(1) Garrucci, V, 396, n. 1.

(2) Horat., *Ars poet.*, 10.

(3) Garrucci, V, 310, n. 1, 313, n. 4, 365, n. 1, 367, n. 2 et 3, 374, n. 4, 381, n. 5 et 6, 396, n. 3 et 4.

Cain et Abel dona Deo offerentes unice in sarcophagis repraesentantur (Tab. 10, p. 15). Abel constanter agnum vel haedum praebet, Cain autem plerumque spicam vel spicarum manipulum, quandoque vero uvam, sicut in quodam sarcophago apud cryptam S. Maximini in Gallia invento, atque in altero Romae, iuxta S. Pauli basilicam, reperto. (1) De agni vel haedi ab Abele oblati significatione haud dubitandum, et de ea congruo loco loquemur; sed non desunt qui vel Cain oblationem mysticum habere sensum asserant, et id quidem veri videbitur simile, si animadversum fuerit Cain aut spicas, aut uvam solummodo offerentem ubique effictum fuisse. Ceteroquin eligat studiosus quid sibi probabilius videatur; equidem rem dirimere non audeo, licet mysticus sensus mihi magis arrideat, ut infra explicabo.

Patriarchae. — Semel, in quodam Parisiis asservato sarcophago, virum barbatum, patriarchae aliquatenus ora gerentem, manusque duobus pueris quasi imponentem, cernere est. Garrucci eum Isaac filiis benedicentem esse putat. (2)

Nuper aliunde, in coemeterio Callisti, quoddam sarcophagi repertum est fragmentum, Iacob nepotibus suis, Ephraim et Manasse, benedicentis effigiem proferens. Patriarcha nempe, in lecto quasi iacens, decussatas extendit manus super nepotum capita, ita ut Ephraim, dextera manu obumbratus, potiorem habeat benedictionem. Iuxta patriarcham stat vir, Ioseph scilicet, de inverso benedictionis ordine tristis, necnon etiam mulier, Asenet forsitan mater, quae de confusione oborta Iacob monere videtur. (3) Pueri denique, dum benedicuntur, dona porrigunt.

(1) Garrucci, V, 317, n. 3, 319, n. 1, 333, n. 2, 350, n. 2, 366, n. 3, 372, n. 3, 396, n. 6, 402, n. 3; Le Blant, *Etudes sur les sarcophages d'Arles*, tabb. VI et XXVI.

(2) Garrucci, V, 319, n. 1.

(3) Verumtamen, sculptoris inscitia, Ephraim ibi statura maior Manasse est effictus. In quodam autem codice saeculi quinti vel sexti, qui *Genesis Vindobonensis* vocatur, idem argumentum depictum conspicitur; sed, etiam pictoris errore, Ephraim maior statura quam Manasse apparet, unde Ioseph a Manasse potius quam ab Ephraim capite manum patriarchae Iacob removere videtur. — Cf. *Genes.*, XLVIII, 13-18.

Moyses. — Haud raro apud anaglypta aliquis vir, qui volumen accipit e caelo, conspicitur (Tab. 8 iuxta clypeatam imaginem, p. 13). Generatim pro Moyse hic habetur, et recte quidem; nam, in quodam Trevirensi sarcophago, Moyses ante regem Pharaonem statuitur, dum item a Dei manu, e nube prolata, (1) volumen seu mandatum recipit: quod porro de

Tab. 32. Anaglyptum Lateranense (Ex photographica D.r Styger repetitione).

aliorum huiuscemodi anaglyptorum significatione omnem dubitationem tollit. Moysis imago rupem percutientis quam saepissime apparet, sed plerumque typus est S. Petri, ut in speciali de Petri primatu articulo infra demonstrabitur (Tabb. 23, 26, 27, 28, 32). (2)

Moyses interdum haec patrans apparet miracula, quae in deserto Iudaeorum plebi fuerunt adiumento; sed ista, si fon-

(1) Garrucci, V, 308, n. 3.

(2) Garrucci, V, 326, n. 2, 327, n. 3, 334, n. 3, 358, n. 3, et passim.

tem e rupe scaturientem excipias, in illis duntaxat cernuntur anaglyptis, quae et transitum maris Rubri continent. (1)

Prophetae. — Elias raptus ad caelum semel, et post medium quartum tantummodo saeculum, inter picturarum argumenta invenitur, pluries vero apud anaglypta ac multo ante; unde proprium haud absone sarcophagorum tale dici potest argumentum.

Iam, in praecedenti libro, notavimus numisma, Constantinum Eliae sub specie ad caelum vectum repraesentans, a senatu Romano fuisse excusum, ac animadvertimus modum, quo illic, perinde ac in sculptilibus, exhibetur prodigium, sacrae non respondere historiae, iuxta quam enim Eliae pallium ex alto cecidit, dum contra in anaglyptis nostris a propheta, manu sinistra bigae vel quadrigae habenas tenente, Eliseo committitur discipulo. (2)

Iordanes vero fluvius, praeterquam suarum undarum fluctibus, senis plerumque alicuius, inter palustres herbas superque urna, ex qua rivulus effluit, iacentis, effigie, instar personae, inducitur. (3) Haec praeter, in quodam Arelatensi sarcophago, Eliseus, Eliae pallio accepto, fluminis aquas, ut dividantur, mox percussurus adest. (4) Caelum, in Romano quodam sarcophago, sicut in Constantiniano numismate, stellis, sed apud cetera anaglypta manu, e nube producta, figuratur. (5)

Raro Ezechielis visio in sculptilibus conspicitur, et quidem valde commenticio more. Non enim, ut quis arbitrari posset, propheta in campo undique pleno ossibus, mox in suas iuncturas reversuris carneque rursus vestiendis, (6) sistitur; sed solummodo duo vel tria ad pedes habet cadavera, quorum

(1) Garrucci, V, 308, n. 2 et 4, 364, n. 3, 395, n. 8.

(2) Garrucci, V, 327, n. 3, 328, n. 2, 372, n. 5, 396, n. 9. — Cf. *IV Reg.*, II, 13.

(3) Garrucci, V. 324, n. 2.

(4) Garrucci, V, 399, n. 1. — Cf. *IV Reg.*, II, 14.

(5) Manus haec ad duplex interdum refertur sarcophagi argumentum; nam ipsa, haud nunquam, et Moysi volumen legis porrigit. Immo, Iordanis in undis semel arca Noe apparet.

(6) Ezech., XXXVII, 1-8.

unum, eius contactum baculo, resurgit. In Lateranensi sarcophago quodam, duo iam cadavera surrexerunt; aliud se erigit; insuper, in terra duo capita sine corporibus iacent. Eo autem quod propheta baculo sic cadavera suscitanda tangat, tale argumentum cum Christi, quibusdam mortuos ad vitam revocantis, miraculis, quasi similiter quandoque expressis, facile confundi potest.

Prae ceteris autem prophetis Daniel apud anaglypta commemoratur, sive Susannam a falso crimine eximat, sive idololatriam profliget. In priore casu, non solummodo ipse iudicium proferens, ut in picturis, effingitur, sed et seniorum comprehensio ac supplicium affabre producuntur. (1)

Utpote vero qui falsis numinibus obluctatus fuerit, Daniel mortiferum isti, quem Babylonii colebant, draconi cibum porrigens, (2) in sarcophagorum sculptilibus, fere semper apparet. Draco autem, nisi quoad caput, (3) serpentis communis potius speciem refert. Haud nunquam quoque prophetae adstat vir quidam, quasi obiurgans eum, vel cum eo disputans; necnon quandoque proxime est ara, aut adhuc ardens, aut iam eversa. (4) Denique, in quodam sarcophago, Romae sub pavimento basilicae S. Laurentii reperto, Daniel sinistra facem deorsum versam tenet, dum dextera venenatam draconi praebet escam. (5)

Petrus. — Duobus abhinc annis, in coemeterio Callisti fragmentum quoddam sarcophagi in lucem venit, Petrum super aquas Christo obviam venientem prae se ferens. Hoc unicum est exemplar quod eiusmodi argumentum praebeat, ac magni quidem momenti (Tab. 33), ut postea videbimus.

Pluries, apud anaglypta, Petrus exhibetur velut in throno aliquo sedens, dum ad eius pedes lavandos Christus se accingit. Tunc vero, vel, dextera ad pectus admota, sinistram manum

(1) Garrucci, V, 318, n. 5, 377, n. 3.
(2) Daniel, XIV, 22–26.
(3) Garrucci, V, 319, n. 2 et 3, 320, n. 2, 321, n. 3.
(4) Garrucci, V, 333, n. 1, 370, n. 1.
(5) Garrucci, V, 360, n. 1.

paululum in Salvatorem extendit, quasi dicens: « Domine, tu mihi lavas pedes? », [1] vel ambas porrigens palmas, brachiis aliquantulum apertis (Tab. 34), [2] exclamare videtur: « Non lavabis pedes mihi in aeternum! ». [3]

Petrus autem Christum negaturus, dum in picturis semel tantum reperitur, ac quarto quidem saeculo, quam saepissime contra in anaglyptis producitur. Ei nempe Salvator adstat, tribus extensis manus dexterae digitis, triplicem negationem praenuntians. Adest et gallus, sive super columna inter Salvatorem ac Petrum, sive supra scrinium vel aliquem alium suggestum, sive in terra iuxta Petrum [4] Apostolus vero, manu dextera ad mentum admota, vel alibi retro versa, maerorem suum declarat, aut Christi praedictionis recordari videtur.

Eiusdem gestus, ad dolorem exprimendum adhibiti, innumera alioquin in ethnica, et etiam Christiana in arte, exempla habentur. [5] Quandoque etiam Petrus dexteram elevat manum, [6] quasi verba proferat illa: « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ». [7]

Id non solummodo separatim, sed aliis illis, quae ad Petrum spectant, argumentis colligatum invenitur. Sic, in sarcophagis, haud raro, cum Petrus Christum eiuraturus proditur, statim postea apponitur Christi, illi claves seu legem committentis, effigies, vel ipsius Apostoli ab Herodis militibus deprehensi, e carcere liberati, aut ad supplicium dati, imago. [8] Adsunt necnon interdum ea argumenta, quae, perinde ac iam animadvertimus [9] et inferius quoque habebimus disserendum, Moysem proprie ut symbolum figuramque Petri perhibent.

(1) Ioan., XIII, 6.

(2) Garrucci, V, 335, nn. 2, 3, 4.

(3) Ioan., XIII, 8.

(4) Garrucci, V, 312, n. 2, et postea passim.

(5) Etiam Pilatus, in quibusdam anaglyptis, talem gestum efficit, licet non prorsus eodem modo.

(6) Garrucci, V, 364, n. 2.

(7) Matth., XXVI, 35.

(8) In his plerumque Petrus cum baculo apparet.

(9) Vol. II, pars sec., p. 158–162.

Quoad Petri miracula, Tabithae resurrectionem viduae artifices, ut stupendam sane magis, potissime effinxerunt, cetera

Tab. 33. Anaglyptum caem. S. Callisti (Ex WILPERT, *Papstgräber*, Tab. VIII).

quasi obiter summatimque suggerendo; nam, dum Tabitha e mortuis evocatur, infirmi plurimi, tum nudi, tum vestiti, tum genibus flexi, tum humo sedentes, ab Apostolo sanitatem effla-

Tab. 34. (Sarcophagus Vaticanus).

gitare cernuntur.[1] Semel, dum Anania mortuus ab eius conspectu abducitur, Petrus in suggesto sedens effictus cernitur,

(1) GARRUCCI, V, 353, n. 2, 400, n. 8.

necnon etiam Simonis magi cani loquelam largiens,[1] iuxta ridiculam nimis apocryphorum scriptorum fabellam, apud sculptilia haud nunquam est adumbratus.[2]

Ut modo innuimus, Petrum deprehensum, in carcere detentum ac mirabiliter ab angelo liberatum, apud anaglypta videre est,[3] et in his repraesentandis Actuum Apostolorum narrationi[4] sculptilia congruunt.

Petri demum martyrium in sarcophagis aliquatenus adumbratum, seu potius, Christianae artis tunc vigentis indole caute servata, est signatum: supplicii namque genus crucis quidem inductione memoratur, eo sensu quod verbigratia, praeter satellites Apostolum trahentes, vir quidam crucem ferens appareat;[5] nunquam vero supplicii actus, seu in cruce suspendium, occurrit. Hanc circa rem, Petri argumentum Christi patientis imaginibus omnino consonat. Sed de Petro postea ac fuse erit loquendum.

Paulus. — Perinde ac Petrus, in picturis et pluries in anaglyptis, legem, sub voluminis quidem specie, accipiens producitur,[6] sic in sculptilibus ipse Paulus aliquando a Domino volumen, semper tamen involutum, quod sine dubio eius ad gentes indicat missionem, conspicitur recipere. De hoc item redibit sermo ubi de Petri primatu deque eius praerogativis tractabitur.

Paulus etiam a Iudaeis oppugnatus et lapidibus percussus[7] effingitur;[8] necnon interdum in carcere simul cum Petro

(1) R. A. Lipsius, *Acta apost. apocrypha*, vol. I, pp. 56-60, Lipsiae, 1891.

(2) Garrucci, V, 320, n. 2, 333, n. 1.

(3) Garrucci, V, 310, n. 2, 353, n. 4.

(4) *Act.*, XII, 3-10.

(5) Garrucci, V, 331, n. 2, 335, n. 3, 352, n. 2.

(6) Cf. vol. II, pars secunda, p. 146.

(7) Lapidantesque Paulum traxerunt extra civitatem (*Act.* XIV, 18).

(8) Garrucci, V, 346, n. 1. Immerito Biraghi, in quadam huiuscemodi imagine, non Paulum cum Petro, sed martyres Naborem et Felicem adesse putavit (*Sarcof. dei Ss. Nabore e Felice*, Milano, 1867, p. 58, n. 2).

positus, aut, dum ad mortem trahitur, sibi adstantem habens alicuius mulieris figuram, quam I. B. de Rossi Plautillam, [1] Garrucci vero Theclam, [2] iuxta commenticias apocryphorum narrationes, esse arbitratus est.

Demum Pauli supplicium non subobscure quidem, sed dilucide, - nam miles ad abscidendum eius caput iam gladium adest exserens, - est exsculptum. In his autem amborum apostolorum historiae repraesentationibus, alter ab altero probe distinguitur, eo quod Paulus plerumque calvus, Petrus vero capillis omnino exhibeatur praeditus. Ad illorum necis deinde quod attinet effigies, Paulo circumcirca palustres arbusculae ac, pone caput, navalis puppis imago, ut uliginosus ille Tiberique vicinus, ubi interfectus est, significetur locus, sunt appositae (Tab. 10, p. 15).

Ad ea vero, quae Postconstantinianorum anaglyptorum sunt propria, ex toto illustranda, restat ut pauca de quorundam signorum, seu mere allegoricarum imaginum, apud eiusmodi sculptilia, usu significationeque disseramus, necnon repraesentationibus nonnullis, personas aut viventium aut defunctorum proprie et directe respicientibus, aliquanto insistamus. De quibus in sequentibus sermo erit articulis.

(1) I. B. De Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1865, p. 30 et 31. — Cf. Le Blant, *Inscr. chrét. de la Gaule*, t. II, p. 280–282.

(2) Garrucci, V, 452, 1. — De hoc argumento en quid habet Garrucci: «Paolo, barbato con fronte calva e rugosa, arrestato da un fariseo, il cui abito è una tunica podère (id est talaris) e la penula: questi gli ha gittato una doppia fune al collo e la stringe con la destra, tenendone l'estremità colla sinistra; dietro costui, quasi di prospetto, vedesi una donna col capo cinto dalla mitra. Avuto riguardo al fariseo che ha gittata la fune al collo dell'Apostolo e alla decapitazione di Paolo già rappresentata nella nicchia precedente, ne inferiremo che mal si apporrebbe colui il quale opinasse essersi qui figurato l'estremo supplizio di Paolo. Ciò posto, noi non riconosceremo quella cattura di Listri, nella quale non ebbero parte i Giudei; nè quella donna sarà per noi la pitonessa di quel luogo: ma pensando agli atti apocrifi del martirio di Tecla, ove si narra che S. Paolo fu per lei tratto in carcere in Iconio, intenderemo che l'arte qui rappresentandola ha voluto mostrare qual'era la prigionia dell'Apostolo che si prendeva ad esprimere» (loc. cit.).

ART. VI. — **Signa et symbola quaedam, seu allegoricae prorsus nonnullae, apud anaglypta, imagines.**

A signo (σημεῖον), quod rem praebet cuius ope alia res, interius cogitata, deprehenditur et intelligitur, symbolum (σύμβολον) non differt, nisi eo quod semper similitudinem quamdam cum ea re quam exprimit supponat, dum signum, praesertim si *conventionale* sit, nil simile saepe saepius cum re significata habet. Similitudo tamen symboli cum re quandoque etiam levissima, neque ullo perspiceretur modo, nisi aliquo certissimo indicio nobis innotesceret. Sic palma aeternitatis est symbolum, propterea quod semper viridibus convestita sit foliis; columba est symbolum simplicitatis et innocentiae, propter avis eius indolem; sic quoque antiqui Testamenti facta saepe novi Testamenti figurae evadunt; quod quidem declaratur a Christo et ab apostolis, praesertim a S. Paulo, cum ait: « Omnia in figura contingebant illis ».(1)

De signis et symbolis iam, quoad picturas et epitaphia, egimus, sed hic quoque nonnulla iterum sunt pertractanda, ob diversam eorum apud anaglypta usurpationem.

Inter illa porro quae ex inanimatis naturae vel humanae fabricae deprompta sunt rebus, praecipue et frequentius occurrunt: *petra, - mons, - nubes, - stellae, sol et luna, - arbores et flores, - corona et palma, - urbs, - ara, - thronus et cathedra, - statuae dimidiae seu hermae, - cista cum voluminibus, - tuba seu concha, - crux.*

PETRA. — Petra, sive rupes, Christum significat, vel etiam Ecclesiam, idque praesertim cum e rupe fons prodigiosus emanat.

Quattuor autem e monte, cui instat agnus vel ipsa Christi imago, profluentia flumina istis S. Paulini Nolani versibus explicantur:

> Petram superstat ipsa petra Ecclesiae,
> De qua sonori quattuor fontes meant,
> Evangelistae viva Christi flumina (2).

(1) *I Cor.* X, 11.
(2) S. PAULINUS, *Ep.* XXXII *ad Severum.*

Nempe petrae, quae est Christus, superposita est petra Ecclesiae; aut vice versa.

Ad fluvios quod attinet, ipsi paradisi etiam flumina adumbrare a nonnullis putantur; ac certe gratiae fontes ipsasque Iordani aquas repraesentant, praesertim quando cervi sitientes ad eos accurrunt, aut iam de eorum aquis bibunt. Hic sensus fit clarior eo quod nonnunquam *Iordan* vel *Iordanes* nomen super monte legatur scriptum.

Mons. — Quandoque mons, sicut etiam arbor, loci in aprico siti (Tabb. 24 et 25, pp. 40, 41) necnon paradisi, sive montis Dei, est symbolum.

Nubes. — Sensum nubes accipit ab ipso quo effingitur modo; scilicet quod ex ea manus prodeat legis volumen praebens, ut Dei iussum manifestet aliaque eiusmodi: idque est symbolum caeli, e quo divina mittuntur praecepta, iuxta innumera Sacrae Scripturae verba (Tabb. 8, p. 13; 13, p. 19 et passim).

Stellae, sol et luna. — Caelum, praeterquam manu sic e nube exeunte, stellis etiam adumbratur, necnon interdum, – scilicet in his repraesentationibus ubi Christus sedens cum scabello sub pedibus est effictus, – quadam humana facie, aut dimidiata iuvenis senisve figura, velum in arcus formam super caput suum extendente (Tabb. 13 et 35).

Uti caeli symbola insuper, ac ethnico prorsus more, sol et luna, personarum instar, quandoque inducuntur; nempe ille sub aurigae, habenas quadrigarias regentis, effigie; ista sub specie puellae, dimidiam vel crescentem lunam habentis prae fronte et faculam accensam in manibus gestantis. Cuius quidem rei pulcherrimum, anno proxime elapso, Romae, apud Sancti Sebastiani basilicam est detectum specimen; alia vero exempla apud Garrucci opus videre est.

Cum autem haec symbola in ethnicis anaglyptis circa imagines invenirentur defunctorum, ad eorum apotheosim, id est inter deos acceptionem significandam, haud inepte nec immerito personae Christi, docentis, in maiestatis throno sedentis, vel animas iudicantis, in Christianis sculptilibus applicata sunt.

Arbores et flores. — Ut apprime iam notum est et animadversum in picturis, arboribus floribusque paradisus rite significatur (Tabb. 3 et 4 et passim).

Corona et palma. — Palma et corona gloriae sunt ac triumphi signa, easque ferunt victores in ludorum circensium imaginibus, quae aliquando etiam apud sarcophagos apparent. Ceterum generatim, ut quid tum palma, tum corona sibi velit intelligatur, sufficit ad nota S. Pauli, de cursu, de agone, de corona iustitiae loquentis, verba se conferre, necnon ad plura apocalypticorum auctorum scripta, ubi passim de palmis coronisque, tamquam de virtutis ac praemii aeterni symbolis est mentio attendere (Tab. 35).

Perinde vero ac in picturis, apud funeraria anaglypta quandoque coronas ad Christum, in throno sedentem, manibus vero coopertis protendere conspiciuntur apostoli: sic Domino gloriam reddunt et quaedam apocryphorum in mentem revocant loca, de quibus iam in secunda secundi voluminis parte dictum est. (1)

Corona interdum etiam, aquilae rostro aut manu sustentata caelesti, super capitibus apostolorum cernitur. (2)

Insuper, cum palma, non secus ac oliva, pro pacis signo accepta sit, ad latera Salvatoris aliquando ambae hae arbores sunt exsculptae.

Urbs. — Aeternae beatitudinis locus haud nunquam urbis figura, tam mirabili modo exornatae ut revera electorum mansio, seu Ierusalem caelestis clare agnoscatur, est adumbratus. Aliquando etiam urbis figura est simplex argumenti adiunctum, ut, cum exempli gratia, Dominus Ierusalem ingrediens effictus est (Tab. 22, p. 38). (3)

Ara. — Ara semper sacrificii, ut natura rei fert, indicium seu commemoratio est.

Thronum et cathedra. — Sedes illae sunt quae regibus

(1) Garrucci, V, 304 n. 2, 324 n. 1, 325 n. 1, 326 n. 1, 327 n. 2, 328 n. 1, 331 n. 3, 345 n. 1, 346 n. 2.

(2) Garrucci, V, 349 n. 4, 351 n. 4.

(3) Garrucci, V, 328 n. 1, 329 n. 1.

ac magistris congruunt. Ut autem regia dignitas sedentis in throno clarius appareret, scabellum apponebatur. Divina vero

Tab. 35. (Sarcophagus Arelatensis).

dignitas, apud artis opera, saepe a regia dignitate distinguitur, eo quod, vel loco scabelli sphaera, vel caeli stellatum sym-

bolum, vel, iuxta magis ethnicam cogitationem, Urani, velum in modum arcus super capite ambabus extendentis manibus, dimidia imago adiungatur.

Thronus quandoque quidem solus apparet, at propter primum locum, quem inter ceteras imagines occupat, satis supremae extare dignitatis potestatisque signum demonstratur. Id ceterum etiam apud ethnicam artem invenitur; nam haud raro Iovis, Iunonis, Veneris, Martis, Saturni etc., throni ap-



Tab. 36. Thronus ac symbola Neptuni (Sarcophagus Ravennatensis).

parent soli, cum aliquo tantum earum divinitatum symbolo. Sic, ut unum referam exemplum, in Neptuni throno delphinus piscis marinus cernitur (Tab. 36). In throno autem Dei veri, apud anaglypta Christiana, volumen supernae legis aut crux, utpote sceptrum Christi, aut corona adhibetur. Haec autem Dei throni iudicaturi praeparatio in tardioribus monumentis, voce graeca, *hetimasia* vocabitur. Fere semper etiam velum conspicitur; quod tamen, si de sellis episcoporum agatur, cathedras episcoporum velandi morem commemorat. (1)

(1) S. Pacianus, *Ep. II ad Sempronianum*; S. Augustinus, *Ep.* CCIII.

Statuae dimidiae seu hermae. — Imperatoris dimidia effigies, iuxta alicuius magistratus tribunal erecta, nobilem viri illius stirpem declarabat, et proinde quoddam privilegium extitit patriciorum, qui *imaginum iure* frui poterant. Regis vero dimidia statua nunquam coram throno regio deerat, ideoque iuxta regem Nabuchodonosor, in sculptilibus et picturis, semper ipsa huius imago, pilae imposita, cernitur, et hanc ipsam adorare tres Hebraei iubentur pueri. Regia effigies etiam prope Herodis thronum in anaglyptis apparet; ac semel, coram Pilato pro tribunali sedente et iam ad manus lavandas se accingente, satelles quidam simulacrum imperatoris dimidium sustinet.

Cista cum voluminibus. — De symbolica voluminis significatione iam in antecedente satis diximus libro; porro cista voluminum plena, haud aliud quam ipsum volumen significare videtur. Ergo, sicut volumen unum legem aut evangelium indicat,[2] ita, modo quamvis explicatiori, quattuor vel octo volumina novi innuunt varia scripta Testamenti.

Si autem in manu angeli volumen exhibetur, tunc speciale aliquod Dei mandatum censetur continere. Sic cum Christus adspicitur claves committere Petro, Paulo vero volumen, diversas diversis donis legationes datas esse est intelligendum, nempe duplicem ligandi atque solvendi potestatem Petro, promulgationem vero et praedicationem evangelii Paulo; unde ipsius illa Pauli verba: « Legatione fungimur apud vos ».[1]

(1) Huc quaedam S. Hieronymi (*Ep.* 39, *De obitu Blaesillae*) faciunt verba, quibus, de Blaesilla ad Paulam scribens, aiebat: « Aut prophetam, aut evangelium semper in manibus tenebat ».

(2) Praestat vero quaedam Garrucci hic verba transcribere: « Non è per altro a pensare che il volume, la cista e il libro siano stati simboli introdotti dai cristiani e in seguito da essi soltanto adoperati. Già di sopra ho dichiarato che i cristiani si appropriarono questi simboli dando loro il senso analogo alla loro professione; ma niente vieta che ancor essi usurpassero talvolta nel senso civile il volume, il libro e la cista, quai simboli di arti e di professioni e di dignità civili, quantunque non ci sia dato il più delle volte di determinarne il significato preciso, mancandoci ogni notizia del personaggio che con quei volumi si rappresenta. Le donne, ancor esse talvolta, portano in mano un volume; ma non per questo

TUBA SEU CONCHA. — Tubae, qua angelus interdum in anaglyptis canit, significatio obscura satis est (Tab. 7, p. 12) [1] et forsan multiplex.

Apud Exodum,[2] buccinae seu tubae clangor mirificus divinae, in monte Sinai, legis comitatur promulgationem; in libro Iosue, strepentibus tubis Ierico muri corruunt;[3] secundum vero Matthaeum evangelistam et Paulum apostolum,[4] angelica sonante tuba mortui resurgent, in novissimo die; in Apocalypsi denique,[5] tubis septem septem angeli clades, terram iam invasuras, necnon aeternum Christi regnum indicant. Ex his forsitan colligendum tubam pro divinae vocis seu potentiae symbolo, saltem aliquatenus et aliquando, accipi posse.

direi con qualche scrittore moderno che questo volume rappresenta il contratto matrimoniale, la quale interpretazione non è giustificata da alcun serio confronto o autorità di antichi scrittori. L'uomo e la donna dediti alle lettere, alle arti liberali, o che abbiano lasciato scritti e siano stati autori di opere siffatte, possono a tutta ragione essersi fatti rappresentare con quel testimonio di loro letteraria professione; e colui che nella sua vita aveva occupato il seggio di magistrato per mandato del principe, può ancor egli aver voluto significare la dignità sua con simbolo sì comune » (GARRUCCI, *Storia dell'arte cristiana*, vol. I, *Teorica*, p. 218). His verbis unum subiungam: scilicet, cum plerosque sarcophagos, perinde ac iam animadvertimus, priusquam emerentur elaborandi mos esset, personae nempe in qualibet arca sepeliendae figuram ita ambigue delineando, ut scalpro facile posset tam ad viri quam ad feminae effigiem aptari, cumque aliunde apud promiscuas huiuscemodi capsas voluminis imago non desit, si Garrucci opinioni assentire velimus, putandum est multos se eruditos seu litteratos, saltem post mortem, tunc temporis optasse reputari, ac tali cupidini artifices audacter obsecundasse. De volumine plura P. STYGER scripsit apud ephemeridem *Monat-Rosen*, 1910-1911, Luzern.

(1) Tabula nostra ipsa parum clara evasit: in ea deprehendi deberet angelus, pone rupem a Moyse seu Petro percussam, tuba canens, et prope eum, super naviculae cuiusdam velis, solis instar dimidiatae personae simulacrum. Meliorem huius adumbrationem infra, ubi de S. Petri primatu est sermo.

(2) *Exod.* XIX, 16, 10; XX, 18.

(3) IOSUE, VI, 9, 20.

(4) MATTH. XXIV, 31; *I Cor.* XV, 52; *Thess.* IV, 15.

(5) *Apocal.* VIII, 2, 6, 7, 8, 10, 12; IX, 1, 13, 14; XI, 15.

Concha vero, qua tritones in marinis repraesentationibus bucinantes ostenduntur, nil aliud verisimiliter quam ventorum flatus procellarumque fragores, more nempe poetico, memorant.

Crux. — Crux nonnunquam ipsius Christi figurae vices gerit; exempli gratia quando, inter duos milites, utpote dominici sepulcri custodes vel divini stipatores vexilli, erecta, fastigio coronam Christi monogrammate ornatam sustinet.[1] (Tabb. 10, p. 15; 35, p. 70).

Inter vero animalia in funerariis anaglyptis, symbolorum instar, magis adhibita, nobis recensenda praesto sunt: *phoenix*, - *aquila*, - *gallus*, - *agni* aut *oves*, - *draco* vel *serpens*, - *leo*, - *variae ferae*.

Phoenix. — Phoenix seu *aeterna avis*, resurrectionis et immortalitatis symbolum, saepius quam in epitaphiis et picturis apud anaglypta cernitur; eius autem sensus semper idem est, nobisque, praeterquod a profanis auctoribus, etiam a Patribus passim, ac quidem primum primo saeculo, a Clemente Romano detegitur.

Notare iuvat insuper a veteribus quibusdam scriptoribus arbori palmae eamdem ac phoenici avi miram, scilicet a semet-ipsa renascendi, proprietatem interdum fuisse attributam, ita ut a Phoeniceae regionis palmis, quae tali indole praeditae putabantur, vocabulum *phoenix* originem aliquatenus traxisset.[2] Immo, in anaglyptis funerariis, necnon in aliis haud paucis monumentis, quando palma iuxta apostoli Pauli imaginem est efficta, plerumque ipsi phoenix insidet. Tunc autem resurrectionis Christi praecipue esse signum forsan dicenda est; nam, ut recte Garrucci animadvertit, tamquam totius religionis Christianae rationem Christi resurrectionem praedicavit Paulus[3], qui et aliunde tam strenue ac diserte resurrectionem

(1) Garrucci, V, 350, nn. 2, 3, 4, 351, nn. 1 et 4.

(2) Sic Plinius: «Mirum de ea (palma arbore) accepimus cum phoenice ave; quae putatur ex huius palmae argumento nomen accepisse, emori ac renasci ex seipsa» (*Hist. nat.* XIII, 4).

(3) *I Cor.* XV, 14: «Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra». — Cf. etiam vv. 12

omnium docuit mortuorum.[1] Phoenix plerumque eo a ceteris distinguitur avibus, quod, ut ait Claudianus, *igneus ora* (eius) *cingit honos* seu (ignea) aureola praedita est.

Hinc etiam esse puto cur aliquando vel sola arbor palma, sine ave, adsit iuxta Pauli imaginem; quod quidem semel etiam iuxta Petri figuram, in quodam Romano sarcophago, deprehendere est.

AQUILA. — Sicut pavo in picturis, ita aquila in anaglyptis symbolum resurrectionis est, necnon interdum ipsius defuncti animae, ad resurrectionem gloriosam destinatae. Quod enim de pavone scimus, *caudam nempe eius, amissam cum foliis arborum renasci cum flore*,[2] sic aliquatenus et de aquilae iuventute, post psalmistam,[3] canit Ecclesia: « Sanctorum sicut aquilae iuventus renovabitur ».[4] Unde etiam, loquens de spirituali per baptisma renovatione, ait S. Ambrosius: « His oblata plebs dives insignibus, depositis autem inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae iuventutem »;[5] ac in eodem sensu Maximus Taurinensis: « Utique neophiti nostri, nuper baptizati, tamquam aquilae, depositis vetustatis exuviis, nova sanctitatis indumenta sumpserunt et, fatiscentibus antiquis maculis, sicut plumis levibus, rediviva gratia immortali-

et seq. – At praestat egregii Garrucci verba aliqua referre: « La verità del senso da me dato a questa particolarità si conferma a meraviglia da tre sarcofagi, uno di Verona, uno di S. Massimino e un terzo di Arles, nei quali, oltre alle due palme (scilicet arbores) che sorgono allato alla mistica roccia, una terza palma si vede scolpita accanto a S. Paolo, e sopra di essa è la fenice, che manca sulla palma a sinistra della roccia. E la cosa è tanto evidente, che nel predetto sarcofago di Verona, ove le due palme della roccia sono state omesse, nondimeno una palma con sopra la fenice vedesi figurata dietro l'Apostolo » (GARRUCCI, *Storia*, etc., I, p. 254. Cf. V, 327 n. 2, 328 n. 1, 330 n. 5, 333 n. 1, 334 nn. 2 et 3).

(1) *I Cor.* XV. 35-46, 51-55; *Thess.* IV, 12-17.

(2) PLINIUS, *Hist. nat.* X, 22.

(3) « Renovabitur ut aquilae iuventus tua » (*Ps.* CII, 5).

(4) *Brev. Rom.* com. plur. mart., ad II vesp., ant. 3.

(5) S. AMBROSIUS, *De initiandis*, VIII.

tatis, ornantur . . . , tamquam aquila in pullum, sicut illi in infantiam revocati ». (1)

Aquila vero, quae in Africanis monumentis saeculorum quarti et quinti crucem habet plerumque super capite erectam, in sarcophagis aliis quandoque tenet rostro coronam, in qua Christi monogramma est delineatum. Procul dubio haec primitus repraesentatio ethnicae cogitatione afflata est apotheosis, in qua aquila, animam imperatoris defuncti rapiens ac in caelum efferens, effingebatur; idque mihi eo magis est persuasum, quod interdum, aquilae loco, manus apparet e caelo emissa ac super cruce, cui, ut modo animadvertimus, haud nunquam utrinque adstant milites, coronam sustineat.

Gallus. — Gallus, qui ortum lucis cantibus praenuntiat, mystice pro divini luminis, seu Christi, habetur praecone, et propterea, praesertim in lampadibus, saepe iuxta crucem vel Christi monogramma stat. (2)

Huic significationi significatio alia est affinis, secundum quam gallus nempe ut resurrectionis dominicae reputatur symbolum, eo quod primo diluculo, horave qua gallus cantat, Christus resurrexerit a mortuis; quod quidem, vulgatissimae saeculi quarti opinioni assentiens, Prudentius his expressit versibus:

> Inde est quod omnes credimus,
> Illo quietis tempore
> Quo gallus exsultans canit,
> Christum rediisse ex inferis. (3)

Hinc videtur, Romae, sumpsisse initium mos expectandi cantum galli ad festum Paschae inchoandum; quem usum S. Gregorius Thaumaturgus in sua *Epistola canonica* commemorat.

Ex Evangelica narratione aliunde, ut neminem fugit, gallus Petri Christum negantis recordationem afferre consuevit.

Gallorum vero duorum, inter se pugnantium, imago haud

(1) S. Maximus Taur. *Homil.* LIX.

(2) Cf. *Romische Quartalschrift*, 1895, 477; Delattre, *Musée Lavigerie*, 36, 9, et *Lampes chrétiennes de Carthage*, 260, 73.

(3) Prudentius, *Cathem.* I, 65 sq.

secus ac ferarum sese devorantium imagines, de quibus infra, accipienda est (Tab. 37).

AGNI AUT OVES. — Agni et oves, qui ad pedes apostolorum conspiciuntur, pascendos eorum greges quandoque significant. Agnus autem, crucem erectam in capite aut dorso ferens, agnum divinum, id est Christum, repraesentat. Notandum est tamen aliquoties non duntaxat agnum solum, seu symboli instar, adesse, sed etiam iuxta ipsam personam ab eo significatam



Tab. 37. Christus negationem praedicens Petro. Anaglyptum Lateran.

exhiberi; ita ut nonnunquam agnus apostolo alicui adstans, vel agnus cruce insignitus ad pedes accedens Christi, tanquam merum attributum, seu insigne eius cui adest, debeat accipi.

Saepe, cum cruciferum sic apud se Christus habet agnum, hinc et illinc versus eum agni alii, plerumque sex aut duodecim, e duobus urbibus exire finguntur;[1] hi agni sine dubio ecclesiam adumbrant, seu fideles qui ad Salvatorem congregantur. Raro, ac in tardioribus monumentis, sex, loco duodecim, agni cernuntur, habentes unusquisque duo apostolorum

(1) GARRUCCI, V, 327 n. 2, 328 n. 1, 329 n. 1, 330 n. 5, 334 nn. 2 et 3, 335 n. 2, 343 n. 1.

nomina super capite inscripta, idque procul dubio propter spatii angustiam.

Draco et serpens. — Licet haud semper in sculptilibus allegorici sint dicendi, draco et serpens daemonii aut mali plerumque sunt inductiones.

Leo. — Daemonii quoque leo est symbolum; quod plura tum veteris, tum novi Testamenti testantur loca. Sic, in psalmo septimo, quo divinum enixe imploratur auxilium, dicitur: « Nequando rapiat ut leo animam meam », et in nonagesimo psalmo, apud quem viri iusti triumphus describitur: « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem ». (1)

Alioquin, nota sunt verba S. Petri in sua prima epistola: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret ». (2) Ceterum videantur quae in praecedenti libro (3) hac de re disseruimus. Nihilominus, in sarcophagorum anaglyptis, leo, cum aliud animal devorans cernitur, ut quoddam symbolum ad carnis destructionem, more ethnico, significandam usurpatum, potius quam veluti daemonis figura, intelligendus est. Unde fit cur in quodam Ravennatensi sarcophago Christus, utpote mortis vitaeque dominus, draconem ac leonem pro scabello sub pedibus exhibeatur habens. (4)

Variae ferae. — Haud dissimiliter ad hanc corporis in sepulcro destruendi cogitationem referuntur variarum imagines ferarum, quae debiliores mitioresve bestias lacerare et devorare ostenduntur: sarcophagi (σαρξ-φάγω) scilicet, seu capsae quae carnes vorat, vocabulum huiuscemodi anaglypta perspicue interpretantur expromuntque. Ethnicam quidem talia habent originem et iis parum Christiani usi sunt artifices.

(1) *Ps.* VII, v. 3; *Ps.* XC, v. 13.
(2) *I Petri*, V, 8 et 9.
(3) *Notiones*, etc., vol. II, pars secunda, p. 232 sq.
(4) Garrucci, V, 344, n. 1.

ART. VII. — **Imagines ad viventium aut defunctorum personas proprie et directe respicientes.**

Persaepe, etiam in sarcophagorum pro uno dumtaxat cadavere paratorum anaglyptis, ad pedes Christi, sive in throno sedentis, sive stantis in monte, duas, viri scilicet et mulieris, figuras, parvas quidem statura ac quasi venerationem habitu exhibentes, adstare deprehendimus. Id vero non videtur ad animarum iudicium referri, sed potius viventium significare pietatem, et fortasse ad ipsos defuncti hic sepulti respicere parentes. Ceterum, licet rarius, etiam ita et duo viri adesse cernuntur; qua de re notabilis sane quaedam Arelatensis est sculptura, in qua Christus, stans inter duos apostolos vel sanctos, iuxta se praeterea quattuor habet viros: duos nempe ad pedes eius provolutos, alios vero reverenter inclinatos vultumque sibi, perinde ac si flerent, cooperientes pallio. (Tabb. 34 et 23, p. 39).

Edmundus Le Blant de dono lacrimarum sic agi arbitratus est. Ista interpretatio non absona videtur eamque I. B. De Rossi est amplexus. Garrucci nihilominus aliter rem explicavit, ibique diversos publicae voluit paenitentiae intelligi gradus, quos, apud primaevam Ecclesiam, tres tantum fuisse contendit, cum quartus, qui vocabatur auditio, id est ἀκρόασις, « nonnisi post haeresim Novati institutus sit ». Egregius igitur auctor in ambobus viris prostratis, in ambobus flentibus, necnon in duobus ad Christi latera stantibus, ὑπόπτωσιν (substrationem), πρόκλαυσιν (fletum) et σύστασιν (consistentiam) agnoscit.[1]

Id nobis minime probatur: nam primo haud facile admitti licet artificem quemdam saeculi quarti aliquid prorsus aliter ac iuxta vigentem morem effinxisse; deinque quomodo serio dubitandum quin ambae figurae, ad Christi latera stantes, sint revera apostolorum vel sanctorum effigies, utpote quae plerumque sic adsint in eiusmodi repraesentationibus? Prostrati igitur ac flentes viri manent dumtaxat considerandi; qui optime autem possunt adorationis actum significare, sicut aliunde vi-

(1) GARRUCCI, V, 316 n. 3, pp. 32–33.

demus in posterioribus aliquando monumentis, ac praesertim in quadam Romana ecclesiae Sanctae Mariae Antiquae pictura, crucifixi adorationem praebente. (1)

Immo, mihi tale sculptile intuenti sponte occurrunt psalmi nonagesimi quarti verba: « Venite adoremus, et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, qui fecit nos ». Quod si funerario ista debeant sensu accipi, tunc illud quasi praecerpto modo putarem expressum, quod nunc canit Ecclesia:

Ingemisco tamquam reus,
Culpa rubet vultus meus;
Supplicanti parce Deus.

Duobus abhinc annis, Romae, apud coemeterium S. Sebastiani, alius repertus est sarcophagus eamdem compositionem habens; quam eodem quidem prorsus modo atque P. Garrucci egregius P. Bonavenia interpretatus est (Tab. 38); (2) sed liceat mihi, quaeso, exquirere num, ubi flentes viri desint, duo dumtaxat gradus paenitentiae sint dignoscendi, num etiam, ubi aut prostratae aut erectae solummodo cernantur figurae, unicus gradus adumbrari sit dicendus. Nonne talis inductio verisimilitudini refragatur? Atqui eiusmodi exempla quamplurima extant. (3)

Denique, apud Christiana anaglypta, ipsi mortuorum parentes ac propinqui, ethnico more, defuncto quasi adhuc viveret alloquenti, legenti, citharamque pulsanti adsistentes, vel, vice consuetarum ovium, circa bonum Pastorem congregati, exsculpuntur. Id profecto, nisi forsitan filiorum Zebedaei matris, ut pueri sui in caelesti regno ad Christi latera statuerentur postulantis, (4) desiderium commemoret, (5) ad vivos utique respicit, eos nempe Christi sequaces veraeque membra esse

(1) WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, estratto da *L'Arte*, 1910, pp. 25-26, fig. 13.

(2) P. GIUSEPPE BONAVENIA, *Insigne sarcofago inedito*, Roma, 1910, p. 17 sq.

(3) GARRUCCI, V, 321 n. 3, 324 n. 1, 326 n. 1, 331 n. 3, 340 n. 1.

(4) MATTH. XX, 20, 21.

(5) GARRUCCI, V, 301 n. 3.

Tab. 38. Sarcophagus apud basilicam S. Sebastiani inventum.

Ecclesiae ita declarando. In quodam Salonae invento sarcophago, coniuges pluribus personis statura humilioribus circumdati cernuntur, quasi eorum domini aut benefactores essent. Cum de Christiano monumento agatur, probabile est coniuges hic servis alumnisve, quibus libertatem donaverant, septos esse, idque eo magis veri videtur simile, quod uxor infantem manibus ad sinum sustinet. (1)

Defunctorum autem plerumque in mediis anaglyptis imagines effictae sunt, sive dimidiarum in rotundo spatio, clypei aut conchae ad formam exciso, figurarum instar, sive integrae, stantes aut sedentes volumineque nonnunquam praeditae, quandoque etiam in eo legentes.

Coniuges una simul, manibus dextris inter se insertis, et quandoque uxore maritum caste amplectente, ostenduntur. Nonnunquam quoque sibi invicem valedicere finguntur; quo in casu, nisi alteruter fleat, uter coniux sit defunctus ex epitaphio dumtaxat colligere fas est.

Defunctorum praeterea, seu animarum adumbrationes, persaepe vel in orantium habitu, vel sub effigie personarum apud Salvatorem a sanctis introductarum (Tab. 39), inter paradisi arbores ac electorum gregem positarum, aut etiam ante Christum iudicem extantium, (2) in anaglyptis reperiuntur frequenter. Semel, in quodam Syracusis invento sarcophago, apud Mariam defuncti animam a sanctis introduci mulieribus nonnullis videtur; sed de eo sermo redibit.

Quod autem mulier orans etiam viri animam interdum repraesentet, ex pluribus colligitur anaglyptis quae fere semper mulierem orantem prae se ferunt, etiam si epitaphium virum, vel puerum, vel infantem indicet. (3) In quo quidem sane notandum, non omnino semper curam talis imaginis ad defuncti personam aliquatenus adaptandae esse omissam; nam haud nunquam factum est ut nomen aliquod orantis figurae, post sarcophagi emptionem apponeretur. Ceteroquin etiam evenit, ut

(1) Garrucci, V, 399 n. 1, 2, 3.
(2) Garrucci, V, 371 n. 1.
(3) Garrucci, V, 382 nn. 1 et 2.

aliquando nomina haud recte multum personis adderentur, uti in quodam cryptae S. Eucratiae apud Caesaraugustam (Saragozza) sarcophago, de quo postea erit loquendum.[1]

Multa alia fatendum est, quoad mortuorum in anaglyptis quibusdam imagines, obscura manere, aut saltem curiosa, ut, exempli gratia, apud Arelatensem sarcophagum, ubi defunctus sub adspectu unius Dioscorum apparet, scilicet nudus et equum manu ducens. Sunt qui in hoc de equite Romano agi putent;[2] at nimia



Tab. 39. Sarcophagus Arelatensis.

(1) GARRUCCI, V, 381 n. 4.

(2) GARRUCCI, V, 361 n. 2; Cf. *Collection de Documents inédits sur l' Histoire de France*, vol. I, p. 137. – Garrucci, qui hanc sententiam protulit, haec habet: «Non sono servi,

ibi est cum Dioscuris similitudo, et alioquin nil apud ethnicos usitatius quam deorum sub specie defunctos repraesentare, seu, ut dicebatur: IN FORMAM DEORVM.

Art. VIII. — De statuis.

Statuis insculpendis valde remissius quam anaglyptis effingendis primaevi artifices Christiani se addixerunt, idque, ut perspicuum sane est, quia anaglypta ad sarcophagos, quibus cohaerebant, decorandos erant destinata, ita ut tunc pulchritudo cum utilitate connecteretur. Statuae contra erant aliquid seiunctum et ad exornationem unice spectabant; accuratiorem artem exigebant, necnon solummodo pauci, iique ditiores, eas poterant adhibere; earum denique argumenta haud multa extabant, cum tali honore, praeter Christum, pauci reputarentur digni. Hinc potissimum est cur paucissimae statuae sint superstites, etsi aliunde non sit obliviscendum eas magis quam sarcophagos hominum temporumque iniuriae fuisse obnoxias. Statuae enim Christianae, non secus ac deorum heroumque apud ethinicos simulacra, aut in summis pilis, aut in cellulis parietum, ad aedes sacras patriciasve domus decorandas, ponebantur. (1)

nè persone di civil società, perchè nè gli uni nè gli altri si sarebbero presentati ignudi; ciò posto, non possono essere altro che eroi, ovvero esseri astratti o personificazioni. A rimuovere l' idea che siano eroi (per esempio i due Castori) basta considerare che l' un d'essi porta la barba, il che non si attaglia a' due gemelli figli di Leda. Ma neanche possono essere ombre delle persone defunte; dappoichè l'avello è fatto per un solo morto. Chi l'asserisce non ha badato che così costui sarebbe morto due volte, la prima quando era giovane imberbe, la seconda quando era barbato. Possono però ben essere personificazioni dell'ordine equestre, al quale il defunto appartenne nei due stadii della sua vita...».

(1) De loco ubi statuae Christianae sitae fuerint egregie I. B. De Rossi disseruit, cuius verba huc praestat adducere: «Rimane a dire dell' uso e posto di coteste statue del pastor buono evangelico. Poterono esse, segnatamente nei tempi anteriori alla pace, servire ad ornamento delle case e ville dei cristiani, come quelle di che Costantino volle poi adornare le piazze e le fontane della nuova Roma. Ma eziandio nelle

Tab. 40. (Mus. Lateran. - Ex *Bull. di arch. crist.*, 1887, tab. XII).

Constantinus imperator traditur heneis auratisque boni Pastoris ac Danielis inter leones statuis fontes publicos in urbis Constantinopolis plateis exornasse.

« Vidisses, ait Caesariensis Eusebius, in fontibus, qui sunt in medio foro, boni Pastoris imagines, divinorum miraculorum peritis notissimas; Danielis item effigies una cum leonibus aere expressam et aureis bracteis refulgentem ». (1)

De Christianis autem statuis haec, in quadam sua epistola, habet Gregorius Nazianzenus:

« Nostra te moveat canities, cui grave et acerbum fuerit, si, magnam quondam urbem habentes, nunc ne urbem quidem habeamus, et... in ferarum lustrum convertatur templum illud, quod Deo extruximus, omneque nostrum in eo exornando studium. Neque enim, si statuae deiiciantur, hoc grave et acerbum est, etiamsi alioqui acerbum; nec de his nobis esse sermonem arbitreris, qui in praestantiora incumbimus: verum si

chiese dei secoli IV e V posso additarne l' uso ed il posto. Nel grandioso ambone di Tessalonica, opera insigne della scultura cristiana tra il quarto e il quinto secolo, sono disposte grandi nicchie di statue; e queste vi sono scolpite ad alto rilievo e rappresentano in una nicchia la Vergine col divino infante sulle ginocchia, in ognuna di altre tre uno dei magi; in una quinta si scorgono le traccie inferiori della figura del Pastore. Adunque nelle decorazioni marmoree del bema delle antiche chiese fu talvolta dato luogo a nicchie di statue o mezze statue di soggetto sacro, tra le quali anche quella del pastore evangelico. L' erma terminata nel busto del buon pastore, che sta nei ruderi del mausoleo di S. Elena a Tor Pignattara, facilmente servì di pilastro a plutei o cancelli di recinto del sacro bema o dell' altare... Di statue d' antica arte cristiana nei passati tempi si conoscevano rarissimi esempi; e si stimava che la plastica statuaria, per la sua intima relazione col politeismo, ai prisci fedeli abbia ispirato avversione. Anche la neeessità di eseguire le opere di scultura nelle officine sopra terra, alla luce del sole, dee essere stata di impaccio agli artisti cristiani, durante il periodo delle persecuzioni. Ma gli esemplari delle statue antiche del buon pastore che si vengono moltiplicando, e ciò che ho detto della decorazione degli amboni e d' altre parti del bema nelle chiese, tra il secolo IV e il V, ci ammoniscono a non esagerare i nostri giudizi intorno a questo punto » (I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.*, 1887, pp. 145-147).

(1) I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.*, 1887, p. 148.

urbs antiqua, et quae eximii aliquid ac praeclari tulit, una cum illis corruat nobis viventibus ac videntibus... ». Quibus verbis, instar notae, doctus Combefis ista subiunxit: « Gregorius... non magis dicit statuas ad templi ornatum spectantes, quam ad urbis decorem; ideoque non videtur hinc ratum esse argumentum huius saeculi ritus quoad sacrarum imaginum ac statuarum usum, a quibus aborrent Graeci in rebus sacris ». Ut tamen recte animadvertit I. B. de Rossi, haud incredibile est etiam de ecclesiarum sacris statuis Gregorium Nazianzenum hic loqui, illiusque praesertim templi quod ipse exstrui curaverat. (1)

Iam pauca, quae nobis manent, statuarum exemplaria recenseamus; in quo quidem recensu Christi imagines, ut par est, primum habebunt locum.

Statuae Christum adumbrantes. — Omnium antiquissima ea esset, quam mulier, fluxu sanguinis laborans ac Salvatoris ope sanata, iuxta ianuam suae domus, Caesareae Philippi, erexisse narratur: de qua ita Eusebius: « ... Mulierem illam sanguinis profluvio laborantem, quam ex sacris Evangeliis discimus a Servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate originem traxisse ferunt, domunque eius ibidem conspici, et collati in eam a Servatore nostro beneficii illustria extare monumenta. Quippe iuxta ianuam domus illius aenea mulieris effigies stare dicitur, columnae lapideae imposita, genibus flexis protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem, effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cuius pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta: quae, ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens depellendis, omnis generis morbis praesentissimum remedium est. Hanc statuam Iesu Christi speciem referre aiebant ». (2)

Idem saeculo quidem quarto Macarius Magnes testatur. (3)

(1) Eusebius, *De vita Constantini*, lib. III, c. XLIX; *P. G.* XX, 1110.

(2) Eusebius, *Hist. eccles.* lib. VII, c. XVIII, *P. G.* XX, 679.

(3) L. Duchesne, *De Macario Magnete et scriptis eius*, Parisiis, 1877, p. 9 sq.

Sunt vero qui hoc monumentum Maximini Augusti et Iuliani Apostatae temporibus destructum affirment, etsi Ioannes Malala

Tab. 41. (Mus. Lateran. - Ex *Bull. di arch. crist.*, 1889, tab. XI).

illud adhuc saeculo septimo extitisse dicat. Ceterum bene potuit revera alicuius imperatoris iussu everti ac alio in loco restitui, eo magis quod duobus in locis indicetur, nempe Caesareae et

Capharnai. Fuerunt denique, qui de profano monumento agi dixerint, atque Raoul Rochette illud Iudaeam ad pedes Hadriani repraesentasse contendit.

Quomodocumque sit, illud amplius non existit. Huius autem argumenti aliquam imaginem habere poteris in anaglyptis mu-

Tab. 42. Restitutio tabulae 40.

lierem ad Christi pedes prostratam sanitatemque ab eo efflagitantem exhibentibus; necnon pulcherrimum talis effigiei exemplum in latere cuiusdam Lateranensis sarcophagi cernitur, tabula 25 (p. 41) exhibito.

Haec praeter, statuae quaedam Iesum Christum sub boni Pastoris specie repraesentaverunt. Quarum plura inventa sunt specimina, scilicet Romae quinque, Athenis duo, Spartae item

duo, Constantinopoli unum, Hispali unum, omnia saeculo sexto antiquiora. Anno millesimo octingentesimo nonagesimo quinto, Romae, apud coemeterium Ss. Petri et Marcellini hermula quaedam inventa est cum boni Pastoris dimidiata imagine. E Romanis statuis una apud Kircher museum iacet, parvae quidem staturae ac ignotae originis; alia sub ruinis ecclesiae S. Clementis est detecta; alia, mutila prorsus, apud portam Ostiensem, ubi olim ecclesia parva erat SS. Salvatori dicata; duae aliae apud museum Lateranense sunt reconditae: istae ultimae ceteris pulchriores antiquioresque, altera, saeculo ineunti tertio, altera tertio quartove saeculo ascribendae (Tabb. 40, p. 85; et 41, p. 88).[1]

Ad statuas vero extra Romam inventas quod pertinet, eae Romanarum statuarum imitationes sunt dicendae; nam istis multo sunt recentiores, ac sive ad Constantinianarum, de qua Eusebius loquitur, statuarum exemplar sint effictae, sive non, Romanum archetypum supponunt: illius enim statuae apud Ostiensem portam repertae, multoque illis antiquioris sunt simillimae.

De eorum autem sententia qui ad ethnicos quosdam archetypos Christianas boni Pastoris statuas reducunt, haud putamus, post ea quae in praecedenti libro animadvertimus, rursus loquendum.[2]

(1) I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.*, 1867, p. 140 sq.; Cf. DUCHESNE, *Bulletin critique*, 1882, p. 288, ac PERATÉ, *Archéologie chrétienne*, 1892, p. 289. – Auctores illi statuas praefatas paullo reputant recentiores.

(2) *Notiones*, vol. II, pars 2, p. 95 sq. – Nihilominus praestat quasdam I. B. de Rossi hac de re animadversiones referre: «In quanto alla relazione dell'uno e dell'altro tipo del buon Pastore colle immagini criofore dell'arte classica greca o romana, rimetto il lettore a ciò che ne dissi nella Roma sotterranea (t. I, p. 347); nè parmi che i posteriori studii e le nuove scoperte abbiano punto mutato lo stato della questione. La grave e simbolica immagine del pastore evangelico, in qualsivoglia dei sopra descritti tipi effigiante sempre un pastore con le vesti e gli attributi reali di sua professione, è diversissima dalle nude statue dell'Hermes e d'altre divinità criofore greche: e nel comporne il gruppo gli artisti cristiani, se vollero giovarsi di prototipi e campioni di pitture e sculture classiche, poterono più agevolmente e opportunamente all'uopo loro tro-

Quoad materiam, qua boni Pastoris statuae sunt effictae, plerumque marmor, nonnunquam aes, raro ebur fuisse adhibitum notandum est: eburneum unicum, Romae, in Stephani Borgiae museo, olim exemplum extabat. Denique, sicut lampades, ita et statuae boni Pastoris fictiles aliquae fuerunt: istiusmodi specimen unum in bibliotheca Vaticana servatur. (1)

Statuae Mariam Virginem repraesentantes. — Egregius S. Reinach, in suo *Catalogue du musée d'antiquités de Constantinople*, sub numero quingentesimo nonagesimo, statuae fragmentum Virginem Mariam exhibentis memorat. Aliam eiusmodi statuam invenit Dumont in Propontide, eamque saeculo sexto adscripsit; aliam et Ioseph Strzygowski in Calcide reperit, quae Virginem orantem ostendit et ad priora artis Byzantinae tempora pertinere est existimata. Pluras denique egregius P. De-

varli nelle scene di soggetti campestri e di agnelli portati al macello o al sacrifizio, chè nell'Hermes di Tanagra e nelle altre divinità criofore tutte nude.

« Il ch. prof. Benndorf nel tipo del volto della statua del Laterano (Tab. 40)... vede l' ideale del pastore secondo l'arte classica, e lo paragona con una bellissima testa di scalpello greco, scoperta in Eleusi nel 1885, che dimostra essere opera di Prassitele e rappresentare Eubuleus mandriano, fratello di Trittolemo, celebre nel mito eleusinio. La somiglianza del tipo non è assoluta, ed in quella del buon pastore lateranense appare manifesto lo studio di dare al volto espressione graziosa e benigna: i suoi capelli ricci con lunghe ciocche inanellate, diverse dai fiocchi di capelli della testa di Eubuleus, ricordano la foggia più usitata nelle figure del Cristo, di tipo giovanile ed imberbe, delle antiche opere dell'arte cristiana. Del rimanente, che nei migliori esemplari del buon pastore si possa scorgere alcuna reminiscenza delle più belle e rinomate opere classiche rappresentanti eroi od altre persone di condizione pastorizia, è cosa assai naturale. La testa dell'Eubuleus di Prassitele era notissima in Roma, perchè ripetuta nelle erme ad ornamento di ville » (I. B. de Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1887, p. 144 sq.).

(1) I. B. de Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1887, p. 142. - Nihil addendum de quadam porphyretica statua arbitramur, quae in Africa inventa est, ac virum sedentem ac togatum repraesentat. Sunt qui eam dictitant Chrîsti imaginem forsitan exhibere, sed immerito, quia Christus semper tunica et pallio in antiqua arte convestitus deprehenditur. Romae, statuae porphyreticae imperatoribus erigebantur: cur non etiam in Africa?

lattre in Africa statuas fictiles reperit ad quintum vel sextum pertinentes saeculum, alias Mariam repraesentantes ac divinum Infantem, eodem modo ac in anaglyptis, cruribus insidentem matris, necnon crucem in sinistra habentem; et alias sine ullo Christianae religiónis signo, unde facile possunt cum ethnicis statuis confundi, Isidem atque Horum, vel Rheam Iovemque exhibentibus. (1)

Apostolorum sanctorumque statuae. — Sicut apostolicae in anaglyptis imagines, ita apostolorum statuae conflatae fortasse fuerunt; at, Petri simulacrum si excipias, nullius apostoli statua ad nos usque pervenit. Petri autem antiquissima imago aenea videtur illa, quae Vaticana dicitur. Utrum vero sit vere genuina valde est disputatum, nec hodique soluta talis quaestio videtur (Tab. 43).

Variae Petri statuae certe effictae sunt; sed, praeter Vaticanam hanc, illius sola nobis manet parvula aeneaque quaedam statua, in Romanis coemeteriis, anno millesimo septingentesimo secundo, inventa, quae apostoli loquentis atque in sinistro humero crucem monogrammaticam ferentis, imaginem exhibet. (2) Ob autem crucis formam, statua non est dimidio saeculo quarto anterior dicenda, et iam tunc Petri crucem gestantis effigies in sarcophagorum anaglyptis apparuerat (Tabb. 34, 35). (3)

(1) Delattre, *Le culte de la Ste Vierge en Afrique*, p. 35 sq. – Eiusmodi statuae, adhuc in Africano solo quotidie inveniuntur; ut autem Christianae ab ethnicis distingui possint, en quid egregius Delattre obeservandum suggerit: « Il faudra observer la nature, la matière de l'objet, le style, le genre de terre et de ruines, la profondeur où a eu lieu la découverte, les autres pièces trouvées en même temps, etc.... Si une figurine, par exemple, que l'on soupçonne être chrétienne se rencontre non seulement une fois, mais plusieurs fois et en diverses localités, accompagnée d'objets incontestablement chrétiens, à l'exclusion d'objets païens, on sera en droit de conclure, sans risquer d'être taxé de présomption, que la figurine elle-même, est chrétienne » (l. c., p. 45).

(2) Bode et H. von Tschudi, *Beschreibung der Bildwerke der christlichen Epoche*, p. 1 n. 1.

(3) Iuxta Strzygowski scholam, Petri sic crucem ferentis imago ex Asia in Europam migravit, eo quod apud Sinopen quoddam eburnei anaglypti fragmentum in lucem venerit, talem imaginem referens. Verum,

Quae alterius personae, sanctitate, doctrina et dignitate insignis imaginem referat, unica est, et quidem sancti Hippolyti in cathedra sedentis, statua. Haec vero, hodie in Latera-

Tab. 43. Statua S. Petri (Basil. Vat.).

nensi museo recondita, valde est pulchra (Tab. 44) ac revera aetati convenit illi, qua doctor ac praesbyter Hippolytus vixisse perhibetur. Quod autem apocrypha non sit, patet quadam Hippolyti operum ac illius paschalis computationis tabella,

cum hoc fragmentum ad quartum egrediens aut ad quintum saeculum pertineat, contrarium nobis videtur illud omnino demonstrare. Cf. STRZYGOWSKI, *Klein Asien, Ein Neuland für Kunstgeschichte*, Leipzig, 1903, p. 197.

Graeco idiomate, in cathedrae tergo insculpta. Ceterum iuxta basilicam S. Laurentii inventa est, capite manibusque quidem privata; nec desunt qui putent eam ethnicam originem habuisse, id est primitus alicuius Romani fuisse magistratus, sed deinde,



Tab. 44. Statua S. Hippoliti.

capite mutato, in Christiani simulacrum doctoris adaptatam.[1] Hyppolytus iste alioquin vir insignis revera fuit doctrina, licet eum, invidia ductum, schisma in Ecclesia Romana primum excitasse multi arbitrentur; postea vero poenitens, martyrium sub Maximino imperatore (an. 235) perpessus creditur.

(1) Cf. I. Ficker, *Die altchristlichen Bildwerke im cristlichen Museum des Lateran*, Leipzig, 1890, t. I, p. 166 sq., n. 223.

CAPUT II.

Anaglyptorum funerariorum interpretatio.

ART. I. — **Interpretationis fontes ac praecipuae normae.**

Ad sarcophagorum anaglypta rite interpretanda, fontes adhibendi modo epitaphia, quae iam in illustrandis picturis nobis valde profuerunt, modo ipsae erunt picturae; duplex enim hoc monumentorum genus id commune cum anaglyptis habet, ut ad sepulcra exornanda directe sit ordinatum, ac proinde hac parte communem indolem cum anaglyptorum indole prae se ferat. Praeterea est universalis, tum in exegeticis, tum in litterariis rebus diiudicandis norma, ut loca facilia perspicuaque ad difficilia et obscura declaranda adhibeantur, quando similitudo vel aliqua affinitas inter ea discernatur.

Nihilominus aliquid sane erit unicuique generi peculiare, quod, cum ex artis natura pendeat, diversum res repraesentandi modum respiciet; et sic, perinde ac pro picturis, proprii etiam erunt, pro ipsis, tum Christianis, tum ethnicis insculptis monumentis, interpretationis fontes.

Sunt denique alii fontes, quos ipsa artis argumenta suggerunt, nempe sive litteraturae sive artis opera, quibus sculptilium argumenta quasi afflata sunt. Ars enim, sicut litteraria disciplina, temporis sui cogitationes moresque aliquatenus reddit, et quia vel a litteris semper aliquid mutuatur, hunc, quem ab illis accepit, afflatum aliquando melius quam ipsi codices servat. Hoc de Aegyptiis ac recens inventis Cretensibus monumentis praesertim dici potest, sed generatim et de monumentis omnibus; unde, vel in Christianis sculpturis interpretandis, aliud non erit melius quam codices omniaque opera arti synchrona

interrogare; quae nempe, si quid affine cum illa arte exhibeant, tunc tali comparatione quod videbatur obscurum certe innotescet. Cum vero, prout vidimus, praeter argumenta e funerariis precibus excerpta, multa in anaglyptis contineantur, alia ad Salvatoris vitam, ad apocryphas apostolorum narrationes, ad apocalypticas visiones pertinentia, eiusmodi igitur documenta, ut sensus anaglyptorum plane percipiatur, erunt adeunda: aliquando enim sola codicorum cognitio ad argumenta praesertim dignoscenda sufficit; nec aliud, nisi nexuum unius argumenti cum imaginibus ceteris notitia, amplius requiritur. Qui quidem nexus partim e criteriis, quibus aliunde picturae interpretantur, partim ex anaglyptorum cum ceteris, quae eadem proferunt, monumentis, necnon cum ipsorum argumentorum fontibus comparatione, percipi poterunt.

Sunt vero qui obvium et pronum cuilibet esse dicant, etiam sine ulla praeparatione seu studio, de monumentorum significatione disserere, haud secus ac si dicerent de musica quadam omnes, eo quod auribus muniti sint, optime iudicare posse. Nihil tamen difficilius arbitramur quam veram anaglyptorum significationem percipere, haud quidem si unum aut alterum argumentum separatim inspiciatur, sed si quodlibet argumentum, quoad cogitationum inter se compaginem, ceteris eiusdem seriei, cum quibus compositionem faciat unicam, conferatur. Immo peritissimis quibusque hoc valde arduum evadit, eo quod, propter praeiudicatas quandoque opiniones, aut non videant quod ceteri tamen discernunt, aut plura clariora quam revera sunt ac determinata nimis existiment, perinde quasi omnia notissima iam essent quae artifices habuerint in mente.

De priorum temeritate non est cur profluentius loquar; posteriores, pro opportunitate, erunt nobis arguendi: potius igitur interpretationis generales recenseamus rationes.

Prima quidem est monumentorum eiusdem generis et temporis inter se congruentia; quae quidem docet, in Christianis anaglyptis, compositiones adesse plus minusve complexas, sicut in ethnicis anaglyptis. Cur enim existimari deberet Christianos, ex ethnica ortos relligione et in ethnica adhuc societate vi-

ventes, modum etiam permutasse proprias cogitationes arte exprimendi? Sic, exempli gratia, cum ethnici, in sepulcrorum sculptilibus, saepissime quae initiationem mysteriorumque respiciebant cognitionem, cuius ope defunctos immortalitatem arbitrabantur consecuturos, ea prodiderint, naturae consentaneum valde est nec mirum Christianos, et in sepulcrorum suorum anaglyptis perinde ac in picturis, ea saepe effinxisse quae ad mysticam spectant per baptismum aliaque sacramenta initiationem, utpote qua a Christo redemptore salutem aeternam fideles crederentur adepturi.

Secunda autem norma, obvia prorsus et supradictam normam complens, ex effigierum dispositione innotescit: est nempe, ut prima et extrema nonnunquam serierum argumenta, quoad cogitationum processum vel compaginem expressarum, tanquam initium ac finis revera compositionis habenda sint, et ut non casu, saltem plerumque, sed iuxta apte conceptum ordinem, imagines succedant in serie.

Alia, quae cum prioribus quandoque pugnat, norma, ea est quam symmetriae legem supra nuncupavimus; et in hoc consistit, ut argumenta, quae ex adverso utrinque sunt disposita, sive extremitates seriei, sive intus loca occupent, communi alicuius cogitationis significatione sibi respondeant, necnon, aliquid quasi unicum uniter adumbrando, invicem se perficiant. Alioquin huiuscemodi aliquando argumenta non in longitudinem sibi insequuntur, sed in altitudinem, alterum super altero, sunt instructa (Tab. 13, p. 19).[1] Porro haud fieri potest, ut fortuito tam saepe sibi ratione loci argumenta talia congruant; unde ea sic de industria a sculptoribus fuisse ordinata pro certo habendum est.

Ne quis tamen asserat ex his regulis regulam semper aut unam aut aliam adamussim fuisse adhibitam. Si quippe ita esset, quam facilis monumentorum fieret interpretatio! Sed infeliciter haud raro, sive artificis inscitia, sive quia, in argumentis ordinandis, solummodo quoad exteriorem compositionis adspe-

(1) Garrucci, V, 361 n. 1, 364 nn. 1 et 2, 367 n. 2. – *Bull. di arch. crist.*, 1876, tabb. IV, V.

ctum pulchritudo quaedam indagata est, aliter omnino res se habent; et tunc aut unumquodque per se argumentum est accipiendum, aut per saltus cogitationes commixtas extricare et religare, – quod quidem difficillimum, – necesse est. Accidit proinde, ut quandoque compositionis certa compages quaeratur, ubi compositio nulla est, necnon ut exquisita complexaque significatio perperam eruatur e simplicibus nimis ac imperfectis argumentis.

Tab. A. Sarcophagus ad initium saeculi quarti pertinens, in Vaticano inventus, hodie apud museum Lateranense asservatum. (Ex phot. D.r Styger repetitione).

Nunc de his quae modo dicta sunt aliqua proponantur exempla.

1. — Nihil frequentius, ut iam innuimus, apud funeraria paganorum anaglypta, quam hominum aliquorum ad mysteria, sive Dionysiaca, sive Bacchica aliave, adeptis immortalem vitam datura, iam initiandorum adumbratio. In Christianis porro anaglyptis item perraro deest initiationis, id est baptismi, adumbrata cogitatio; saepe etiam symbolum reperitur eucharistiae, seu escae divinae illius, quam pharmacum immortalitatis, vitae aeternae cibum, pignusve resurrectionis Patres conciliaque vocarunt.

2. — Persaepe extremae utrinque anaglyptorum imagines initium revera ac spiritualis vitae finem, nempe profluentis

Christus mortuum ad vitam revocans. | Christus mulierem fluxu sanguinis laborantem sanans. | Christus panes ac pisces multiplicans. | Defunctae personae anima inter apostolos (*inter sanctos*). | Christus aquam in vinum convertens. | Christus lumen caeco largiens. | Christus.

Tab. 45. Sarcophagus saeculi quarti (Mus. Arelatense).

gratiae ac resurrectionis symbola, exhibent,[1] necnon quoque, iuxta Christi haec verba: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die »,[2] symbola eucharistiae plerumque resurrectionis symbola praecedunt.[3] Tria haec praecipua, gratia seu baptisma, eucharistia et resurrectio, sicut in catacumbarum picturis, ita et in Christianorum sepulcrorum anaglyptis, communiores ceterorum symbolorum series seu cyclos constituunt.

3. — Quoad argumenta quae sese invicem perficiunt et illustrant, haud raro ex adverso cernere est eucharistica elementa, panum ac piscium multiplicatione et aquae in vinum mutatione symbolice significata (Tab. 45);[4] ex opposito item conspiciuntur tres pueri statuam regis Nabuchodonosor adorare recusantes, ac tres Magi divinum adorantes infantem; immo, ut melius clariusque oppositorum argumentorum nexus ibi appareat, dum tres pueri simulacrum adorare negant, digito stellam quamdam, id est Deum verum stella nuntiatum, indicant; de quo tamen in Biblica nihil legitur historia.[5]

Huius denique normae evidentissima habetur confirmatio in quodam Romae, apud coemeterium SS. Marci et Marcelliani, nuper invento sarcophago. Ibi enim Biblica argumenta ita sunt distributa:[6]

(1) Garrucci, V, 314 n. 2, 318 n. 4, 364 n. 3, 369 n. 3, 376 nn. 1 et 3, 377 n. 1, 379 nn. 3 et 4, 380 nn. 2, 3 et 4, 381 n. 1.

(2) Ioan. VI, 55.

(3) Garrucci, V, 314 n. 2, 318 n. 4, 320 n. 1, 364 n. 3, 365 n. 2, 367 n. 3, 368 n. 2, 369 n. 3, 376 n. 1, 378 n. 2, 379 nn. 3 et 4, 380 n. 4, 400 n. 7.

(4) Garrucci, V, 367 n. 1, 379 n. 1, 386 n. 3.

(5) Garrucci, V, 303 nn. 2 et 3, 317 nn. 3 et 4, 329 n. 1, 334 n. 2, 385 n. 1.

(6) Hic sarcophagus mox ab egregio Wilpert illustrabitur.

Operculum.

Tres pueri in fornace.	Tres pueri regis statuam adorare recusantes.

Arca.

Petrus rupem percutiens.	Petrus deprehensus.	Petrus Christum negans.	Moyses legem recipiens.	Abraham sacrificium.	Caeci curatio.	Panum et piscium multiplicatio.	Lazari resurrectio.

Tres pueri statuam regis adorare recusantes.	Tres pueri in fornace.	Paralytici curatio.	Tres magi Christo, in gremio matris sedenti, dona offerentes.

Porro, una alteraque dumtaxat vice invenire est, in eodem aliquo sarcophago plus semel idem quoddam iteratum argumentum, sicut in hoc videmus sculptili, necnon aliunde facile sculptor symmetriae legem servare potuisset alias effingendo historias, in quibus aliqua exhibita esset sedens persona cui aliae appropinquassent personae . Restat igitur ut argumentis invicem sese perficientibus artifex praecipue attenderit. (1)

Ceterum, ut probe vidimus ac pluries in praecedentibus voluminis secundi partibus disseruimus, Biblica argumenta funerario apud sepulcra sensu intelligenda sunt, id est naturae monumentorum convenienter; maxima enim inter sepulcrales imagines ac liturgicas pro defunctis preces congruentia est. Itaque non nimis concedendum iis videtur qui, eo quod anaglypta sub dio essent exposita, ea tamquam homiliarum quoddam genus dumtaxat fuisse ad vivos attinens arbitrentur; nam vel Patrum scripta in Biblicis iisdem argumentis explicandis funerariam significationem nonnunquam suggerunt. Sic, exempli gratia, post Apostoli illa verba: « Fide Abraham non haesitavit, eum unicum offerre, in quo acceperat repromissionem, cogitans quia et a mortuis eum suscitare potens est Deus », (2) Origenes talia subinfert: « Prodidit ergo nobis cogitationes viri fidelis Apostolus, quod fides resurrectionis iam tunc haberi coepit in Isaac. Abraham ergo resurrecturum sperabat Isaac, et credidit futurum quod adhuc non erat factum »; (3) et S. Epiphanius: « Quia ergo fieri non poterat, ut in ariete praefiguraretur resurrectio, cum sit animal expers rationis, et divina carens imagine, in oeconomia mysterii (Abraham et Isaac) figuram partiuntur, ut hic quidem mortis, ille vero resurrectionis imaginem ostenderet »; in alio autem loco: « Et Isaac, velut a morte revocatus, ad vitam oblatus est Patri: quippe Deus, ex mortuorum resurrectione vivum parenti repraesentans filium,

(1) Huius tamen sarcophagi duo fuisse artifices videntur, scilicet alter operculum, alter arcam confecit.

(2) Ad Hebr. XI, 17. — Haec verba in lectione Vulgata paullo aliter leguntur.

(3) Origen. *Hom. VIII in Gen.* 1, *P. G.* XII, 204.

spem resurrectionis ostendit ». (1) S. Ioannes Chrysostomus vero: « Si autem Abraham ante tot annos credidit, quod Deus sit potens suscitare ex mortuis, multo magis nos id debemus credere. Vides quod sicut prius diximus, mors nondum intrarat, et eos statim traxit in spem resurrectionis, et ad certam deduxit persuasionem, ut etiam iussi suos mactarent filios, ex quibus expectabant se impleturos orbem terrae »; (2) et sic alii Patres non pauci. Nec aliter de ceteris plerisque argumentis habendum est, nam, ne dicam de Danielis, de Ezechielis, de Ionae, de Lazari, aliorumque historiis, ipsa primaevorum parentum imago spem inferebat resurrectionis ac vitae aeternae, idque ex ipsius S. Pauli verbis: « Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ». (3) Unde praeclara illa Tertulliani verba: « Si ad exemplum Christi resurgemus, qui resurrexit in carne; iam non ad exemplum Christi resurgemus, si non in carne et ipsi resurgemus: quia per hominem, inquit Apostolus mors, et per hominem resurrectio mortuorum: ut separet quidem auctorem mortis Adam, Christum resurrectionis: eiusdem autem constitueret substantiae resurrectionem, cuius et mortem per ipsorum auctorum nomine hominis comparationem. Si enim sicut in Adam omnes moriuntur; ita vivificabuntur in Christo, sicut in Adam carne moriuntur ». (4)

Ad resurrectionem denique vel trium puerorum in fornace imago mentem erigit intuentium, quod Theodoretus, inter alios, de Daniele tamen loquens, his plane verbis adnotavit: « Resurrectionem quoque suo praeconio commendant. Benedicite enim, aiunt, spiritus et animae iustorum Domino, id est, spiritales animae iustorum humanis perturbationibus superiores

(1) S. Epiphanius, *Ancoratus*, VCIV, *P. G.* XLIII, 190.
(2) S. Ioan. Chrys. *Hom. XXV in epist. ad Hebreos.*
(3) I *Corinth.* XV, 20–22.
(4) Tertull. *De resurrectione carnis*, 48, *P. L.* II, 864.

effectae ».[1] Necnon item praetendit paralytici lectulum suum baiulantis imago: « Hoc loco, ait S. Ambrosius, plenam spem resurrectionis ostendit, qui, mentis vulneribus corporisque sanatis, peccata donat animorum, debilitatem carnis excludit. Hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamvis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere; tamen multo divinius est resurrectionem dare corporibus; quandoquidem ipse Dominus resurrectio est »; ac paullo infra: « Nec solum levare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est ad paradisum redire censetur ».[2] Idem plane S. Augustinus docet cum dicit: « O quam melius illi esset, si, post acceptam remissionem peccatorum, non de lecto ad peccandum iterum surgeret, sed de sepulcro ad veram vitam liber securusque surgeret »; et S. Hilarius: « Primum remissionem tribuit peccati, dehinc virtutem resurrectionis ostendit; tum sublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus docuit abfuturum: postremo reditum in domum propriam, iter in paradisum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens universorum peccati labe dissolutus excesserat ».[3] Ac de his hactenus, nam si omnia huiuscemodi Patrum testimonia adducere vellem librum facile conficerem.

Eamdem igitur praecipuam normam, quam in picturarum interpretatione suggessimus, etiam in anaglyptis funerariis explicandis adhibendam generatim putamus; ut scilicet eligatur inter Patrum codicumque textus ea, si qua est, interpretatio quae monumentorum sepulcralium naturae et indoli magis conveniat. Haec proculdubio primarium sensum praebebit, ceterae vero, si aliquo modo possint aptari, secundum habeant locum oportet. Quod si imaginum natura ad funerarium sensum nullo possit modo accommodari, tunc aliter historiae erunt intelligendae; cuius quidem rei exempla in sequenti capite expendenda, ac simul aliae minores pro opportunitate interpretationis regulae proponendae.

(1) Theodoretus, III *in Danielem*, v. 85, *P. G.* LXXXI, 1339.
(2) S. Ambrosius, *In Luc.* c. V, *P. P. L.* XV, 1639.
(3) S. Hilarius, *In Matth.* c. XIII, 7, *P. L.* IX, 961.

ART. II. — **Interpretationis anaglyptorum nonnulla exempla.**

Post recensita nempe anaglyptorum plurima variaque argumenta, expedit ut aliqua interpretationis exhibeantur specimina, in quibus et ipsae explanationis applicentur normae, et inde sculptilium natura melius innotescat.

Haud dubium quidem est, priusquam ad symbolicam argumentorum interpretationem sic deveniatur, de vera istorum argumentorum repraesentatione rite quaestionem esse instituendam; sed, ad primam illam disceptationem quod attinet, anaglyptorum ea quam hucusque perfecimus descriptio tabulaeque a nobis allatae satis iam quales in his sint effictae res et historiae studiosos docuerunt. Nihil itaque amplius, sub hoc respectu, arbitramur peragendum, praeterquam, admonitionis instar, mendosae cuidam, quam Aringhi proposuit, alicuius exsculpti sarcophagi, nunc apud Lateranense museum asservati, descriptioni descriptionem opponere genuinam.

« Hic sarcophagus, ait Aringhi, non multis abhinc annis, (1) apud D. Sebastiani ecclesiam, inter effodiendum adinventus est... Eleganti quidem opere, et studiosa artificum manu elaboratus, speciosam sacrae antiquitatis faciem intuentibus prae se fert, et nunc ab illustrissima Marchionissa Christiana de Angelellis, in cuius domo asservatur, typis exculptus tibi offertur; et quidem, ut sacras historias, quas continet, edisseramus ». (2) Quam « typis exsculptam », imaginem tabula nostra 46 refert. (3)

« *A.* — Primo loco, pergit auctor, hoc sepulchrali lapide contemplanda exhibetur imago Adami et Evae ad vetitae arboris truncum, post degustatum lethale pomum, suborto admissi facinoris pudore, consistentium, ac se virentibus fici foliis obtegentium: Deus autem, a tergo Adamum increpans, exprimitur verbis illis: *Adam ubi es?*

(1) Anno 1651 scribebat Aringhi.

(2) ARINGHI, *Roma subterranea*, t. II, p. 398.

(3) Talis quidem imago eo pretiosior evadit, quod nunc plures personarum in hoc sarcophago exsculptarum effigies capitibus sint detruncatae.

Tab. 46. Sarcophagus apud basilicam S. Sebastiani inventus, nunc in Lateranensi museo asservatus (Delineatio Aringhi, ex *Roma subterranea novissima*, Romae, 1651, t. posterior, p. 399).

« *B.* — Vir quidam exprimitur, qui virga vascula quattuor manna, quod e coelo pluerat, referta praemonstrat; Moyses autem is esse creditur, qui virga divinitus portentum istud in desertis regionibus praestitit.

« *C.* — Christus Dominus, digito caeci a nativitate oculos mirabiliter adaperiens, describitur.

« *D.* — Iezi, notus Elisei prophetae famulus (ut arbitrari fas est) contemplandus obiicitur. Qui, ab eodem propheta una cum baculo ad filium viduae in vitam revocandum missus, haud valuit, quem ipsemet Eliseus postmodum subsecutus, parvuli eiusdem corpori sese aptando, vitae confestim restituit.

« *E.* — Christus Dominus, sub iuvenili forma, sacrum legis volumen manu

deferens, docens, ac manu benedictionem impertiens, describitur; cuius excipientes sermones apostoli adstant: et quia suis vigilantiam iugiter praemonebat, gallus gallinaceus, qui vigilantiae typum prae se fert, ante eundem repraesentatur, iuxta illud quod in hymnis canitur: *Gallus iacentes excitat et somnolentos increpat.*

« *F.* — Christus Dominus paralytico sanitatem impertitur, eundemque, sublato in quo iacebat lectulo, incolumem domum abire iubet.

« *G.* — Abrahamus filium Isaac Deo immolans, strictoque iam mucrone, eundem iugulaturus exprimitur; cuius vice aries, Deo providente, immolatus, filius autem patri redditus est.

« *H.* — Petrus, ad ignem se calefaciens, a praetorii militibus an Christum nosset interrogatus, et a quodam, huius rei causa, velut delicti conscius, iam alligandus, describitur.

« *I.* — Moyses, qui virga aquarum gurgitem e silice, ad recreandum enectum siti populum, elicuit, contemplandus exhibetur ».[1]

Nos autem accuratius expendamus singula.

A. — De prima hac historia ab Aringhi recte est dictum; notemus tamen aliud, quoad facti adiuncta, esse insuper expressum, nempe procacitatem serpentis, lethalem fructum porrigentis, idque non certe iuxta sacram Scripturam, quae Evam fructum prohibitum ipsam decerpsisse asserit.

B. — Circa secundum argumentum plane erravit auctor; nam, ut innumera eiusmodi alia demonstrant exempla, haud de manna hic agitur, sed de aquae in vinum, a Domino peracta, conversione (Tabb. 28, 32, 45). Moyses enim, cum miracula ostenditur patrans, barbatus effingitur; manna vero pluvia raro est adumbrata ac longe aliter, id est dum plebs Hebraea caelestem colligit cibum. Nunquam denique apud funeraria anaglypta prodigium hoc apparet. E contra, tum iuvenilis patrantis miraculum adspectus, tum eius similitudo cum ceteris Christi apud idem opus sculptile imaginibus, tum locus ipse quem argumentum occupat, Salvatoris personam indicat. Nec mirum

(1) ARINGHI, *Roma subterr. nov.* t. II, p. 398, Romae, 1651.

hic aquae portentosam in vinum mutationem memorari; nam iuxta lapsos parentes, ac cum aliis ibi adumbratis miraculis, eucharistiae frequenter aliquod conspici symbolum iam novimus.

C. — Tertium argumentum recte describitur.

D. — In quarto hoc argumento intelligendo, iterum, ut mihi videtur, somniavit Aringhi. Nam adspectu ibi quoque Christus, puerum resuscitans et cui quidam adstat apostolus, satis perspicue dignoscitur. Quod autem duo obiiciantur pueri, id nullam facessit difficultatem, si quem artifices tunc secuti fuerint mos, plura nempe eiusdem historiae momenta simul repraesentandi, prae oculis habeatur. Porro, sicut in primo argumento, una cum tentatione, Adam et Evae peccatum vidimus expressum, sic duplex hic verisimiliter datur memorati pueri conditio, seu dum virga, ut resurgat, tangitur, necnon dum iam ad vitam stat revocatus. Neque ceterum obstupescendum quod, ad vivificam Christi potentiam melius significandam, miraculum istud modo ab Evangelii narratione aliquatenus diverso fuerit effictum.

E. — Etiam quinti argumenti explanatio rem non attingit. Christus enim neque docet, neque benedicit, sed, tribus dexterae extensis digitis, Petro triplicem praenuntiat negationem,[1] quam quidem gallus etiam exprimit. Petrus autem, baculum tenens sinistra, dexteram ad os sibi, quasi in asseverandae fidelitatis signum, admovet.

F. — Recte hoc argumentum auctor intellexit.

G. — Hoc aliud quoque rite Aringhi interpretatus est; verumtamen parvam, quae ante Isaac cernitur, aram veluti ad sequens argumentum pertinentem immerito existimavit.

H. — Licet eius interpretatio hodieque ab egregio Henrico Becker defendatur, auctor noster, in hoc explicando argumento, falsa saltem nonnulla asseruit. Aram nempe iuxta Isaac in praecedenti imagine ardentem, pro igne, ad quem Petrus nocturno tempore, apud principis sacerdotum atrium, calefecit se,[2]

(1) MATTH. XXVI, 34, 35.

(2) LUC. XXII, 55; IOAN. XVIII, 18.

accepit, ac viros, qui Apostolum deprehendere videntur, praetorii existimavit milites; dum, ut alias innuimus, hi milites quidem, sed Herodis potius sunt satellites, Petro, ob eius inter Iudaeos praedicationem, manus iniicientes. (1)

I. — Ultimum argumentum, quoad effigiem, rite auctor descripsit, etsi verum repraesentationis sensum haud adamussim perceperit.

Sed nunc de symbolica argumentorum significatione, quatenus, in eodem sculptili, plura ad cyclum, seu ad seriem

Tab. 47. Sarcophagus Lateranensis.

quamdam constituendam concurrant, sermo nobis sit; statimque profiteamur omnia nos plane enodaturos fore haud praesumendum, quamvis multa per se exstent perspicua, aut iisdem ac picturae normis illustrari facile queant.

Quae porro seriem aliquam symbolorum indicent, praesertim extrema sunt anaglyptorum argumenta, nempe si, exempli gratia, ab hominis creatione primove peccato, vel a spiritualis vitae initio, aut etiam a Redemptoris ortu et primordiis incipiens, series in aliquod resurrectionis desinat symbolum. Inter vero haec extrema, plerumque variorum Christi miraculorum

(1) Cf. infra, ubi de Petri primatu sermo est.

repraesentationes effictae sunt, ac in iis indicium ordinis praecipuum est, ut eucharisticae imagines resurrectionis signa praecedant. Cum ista constant, obvia symbolorum series fit, eaque minime a quibusdam picturarum differt cyclis, apud quos tres potissimum deteximus cogitationes, scilicet spiritualis ortus, spiritualis cibi et resurrectionis, vel gaudii aeterni refrigeriive.

Quod si alia Christi appareant portenta, tunc ipsae funerariae, ad interpretationem enucleandam, sunt preces adhibendae, perinde ac iam in picturis illustrandis egimus. Sic, in sculptili Tabula 47 adumbrato, ex una parte habetur primorum parentum lapsus, una cum redemptionis ac cruenti crucis sacrificii symbolis, utpote quae humanae infirmitatis divinaeque misericordiae cogitationes suggerant; ex parte autem altera, post Christi miracula duo, quae Dei auxilium sane commemorant, mystici inducitur potus imago illius, qui pignus resurrectionis, « immortalitatis pharmacum », ac, ut quaedam canit Orientalis liturgia, « arrhabon est haereditatis futurae in saecula saeculorum »;[1] et proinde, ultimum occupat locum Lazari resurrectio.

Hic cycli modus coemeterialis dici potest; nec deerit qui eum antiquiorem ceteris existimet, tamquam e picturis derivatum; sed ita revera nequaquam esse videtur. Licet enim coemeterialis ars haud nihil momenti habere debuerit in anaglyptorum arte, variae tamen sculptorum operum conditiones obfuerunt, quominus naturalis in hoc rerum praevaleret cursus. Ut probe vidimus, ars anaglyptorum non e picturis primitus ortum sumpsit; praeter quippe boni Pastoris, piscatorum atque orantium personarum imagines, quae facile cum ethnicis confundebantur cogitationibus, vix quidquam aliud in antiquioribus invenitur anaglyptis quod Christianam relligionem evidenter sapiat. Cyclus ergo, quem supra descripsimus, raro satis saeculi quarti initio, saepius vero postea est usurpatus: cuius quidem rei accuratius ratio nobis quaerenda est. Porro sarco-

(1) Baumstark, *Eine syriche « Liturgia S. Athanasii »* ap. *Oriens Christianus*, II, 108–111. — Ita calix vocatur; panis autem dicitur: « *Corpus praestans incorruptibilitatem futuram in saecula saeculorum* ».

phagorum illa superficies, quae historiis erat exornanda, aliquando visa est angustior quam ut pulchre symbolorum seriem coemeterialium ordine reciperet. Obstabat enim mos aliquid principale in medio, velut praestantissimum compositionis nucleum, disponendi, scilicet Christum sub boni Pastoris specie, thronove seu mystico monti insidentem maiestateque refulgentem, aut saepius defuncti, instar personae orantis, seu figurae tum in rotundo spatio dimidiatae, tum inter aulaea erectae volumenque gestantis, imaginem; nec profecto haec pulchritudinis norma in angusto planoque spatio decorando poterat omitti, praesertim si uno oculorum ictu tota posset compositio percipi; unde de anaglyptorum historiis idem plerumque ac de laquearium fornicumque repraesentationibus evenit: nempe media pars praecipuam compositionis partem adepta est (Tab. 23, p. 39). Quapropter recentiora anaglypta, melius plerumque quam antiquiora, cum funerariis congruunt precibus.



Tab. 48. Sarcophagus Lateranensis.
(Ex photographica Dr. Styger repetitione).

Haec quidem dispositio interdum interrumpit, sed non destruit argumentorum seriem (Tabb. 26, 48); aliquando vero, magis iuxta normam artis, centrali imagini imagines aliae ordinatae sunt, proindeque compositionis culmen talis ipsa imago evadit: quod quantum concinne fiat, non est qui non videat. Praecipuae enim, in funerariis hucusque consideratis ornamentis, cogitationes animam et Salvatorem spectant, atque ad illas cetera referuntur omnia. Si igitur aliquam hac in re instituere distinctionem liceret, anaglypta prout centralem compositionem aut continuam symbolorum seriem produnt, dividerem, sed neque constanter huiusmodi sunt normae servatae; cuius quidem varietatis praeclarum nobis exemplum suppeditat Vaticanus Iunii Bassi, Urbi praefecti, sarcophagus, in quo partim centralis est aliqua agnoscenda compositio, partim aliunde neutram diceres normam fuisse adhibitam (Tabb. 13, p. 19; 35, p. 70).

Media intercolumnia Christum proferunt, hic Ierusalem sollemniter ingredientem, illic nobilissimo sedentem subsellio, caelum pro scabello habentem, ac inter duos apostolos loquentem. Sic, dum prior imago illum *regem mansuetum, super pullum asinae* commonstrat *sedentem,* altera cum gloria ac veluti caeli adumbrat regem.

Argumenta, quae utrinque aeque distant, sibi invicem, quoad cogitationem, mire conveniunt; nam Christi a militibus deprehensi imagini Petri pariter deprehensi imago respondet. Extrema vero typum ac rem typo significatam exhibent; cum in uno de Isaac sacrificio agatur, in altero de Christi a Pilato decreta morte. Ita nempe argumenta sunt disposita:

Isaac sacrificium.	Petrus a militibus deprehensus.	Christi maiestas.	Christus a militibus deprehensus.	Pilatus sedens pro tribunali et iamiam manus lavaturus.

Haud facilis prorsus inferioris compositionis interpretatio est: forsitan dici posset ibi, in primis parentibus, originem humanae infirmitatis significari, in ceteris autem historiis prae-

clara virtutis exempla celebrari, sive quoad mala patienter toleranda, sive quoad vitam pro Christi amore prodendam. Argumenta enim haec sunt:

Iob sedens in sterquilinio.	Primorum parentum lapsus.	Iesus Ierusalem ingrediens.	Daniel in lacu leonum.	Paulus ad supplicium ductus.

Series eiusmodi morales potius quam funerariae videntur aut etiam dogmaticae, quia, si primorum parentum lapsus, Iob infirmitas, Isaac sacrificium ac Daniel inter leones funerarias cogitationes per se possint significare, tamen haec eadem alium hic habere sensum sunt dicenda; nam ceterae sarcophagi historiae alio spectant, ac certe, in superiori parte, Petrus, vexationibus obiectus, Christo patienti quodammodo confertur.

Sed neque funerariam significationem omnino exclusit artifex; in spatiolis enim, quae supra singulis inferioris partis exstant capitellis, exquisito cum symbolorum sensu historias effinxit easdem, quas tam saepe in funerariis conspeximus compositionibus, id tamen peculiare adhibens, quod sub agni figura Christus miracula ostendatur patrans. Argumenta repraesentata haec sunt: tres pueri in fornace, quibus refrigerans adest angelus, Moyses rupem percutiens, Christus panes multiplicans, illius baptisma, Moyses legem e caelo accipiens, Lazari resurrectio.

Diximus funerariae alicuius inductionis probabiliter artificem non expertem fuisse; arduum tamen in hoc quidquam pronuntiare.

Certe, in tam pulchro accuratoque opere, non sine praevio consilio ac nonnisi studiose historiae tales fuerunt dispositae, neque quisquam, nisi artis imperitus, casu aut ad symmetriae normam solummodo illas credet fuisse dispositas. Quae supra interpretati sumus comperta satis nobis apparent; ulterius autem hac in enodatione progredi, ut alii fecerunt auctores, non audemus. (1)

(1) Cf. GRISAR, ap. *Römische Quartalschrift*, 1896, pp. 313–333; DE WAAL, *Der Sarkophag des Iunius Bassus*, Roma, 1900.

Tab. 49. Sarcophagus « theologicus » (musei Lateranensis)

Inter anaglypta, quae theologica potius quam funeraria significatione insignia sunt, quidam insculptus sarcophagus, Romae, sub S. Pauli basilica quondam inventus et nunc apud Lateranense museum asservatus (Tabb. 49 et 50) praecipuum meretur locum. Opus sculptile in duas distinctum est partes. In superiori, a laeva intuentis incipiendo, aeternus Pater apparet, mulierem creans. Adstant ei duae aliae personae eiusdem prorsus speciei ac vultus, quarum una, dum manum Evae ca-

Tab. 50. Anaglypti pars tabula 49 adumbrati
(Ex photographica Dr. Styger repetitione).

piti imponit, ad alteram, quae pone Patris solium stat respicit. Subsequitur primorum lapsus parentum, quos inter est Christus, symbolica spicarum et agni porrigens dona; deinde cernitur serpens, arboris trunco circumvolutus. Post clypeatam imaginem, in qua dimidiatae sunt defunctorum effigies, aquae in vinum conversae ac panum pisciumque multiplicationis dignoscuntur argumenta, necnon denique Lazari resurrectio.

In parte inferiori, Maria cum divino Infante in cathedra sedet, et retro habet quamdam viri figuram. Ad Virginem tres accedunt Magi et eorum primus, dum sinistra manu dona of-

fert Christo, dextera tres indicat circulos super capite Mariae ac Salvatoris insculptos. Dein exhibetur Christus hominem a nativitate caecum illuminans, Daniel inter leones et a duobus barbatis stipatus viris, quorum alter capiti Habacuc, cibum ad prophetam afferentis, manum imponit dexteram.

Tandem succedunt tabula 50 melius adumbratae historiae, seu Petri Christum negaturi, ad carcerem tracti, subque Moysis figura significati effigies.

Porro, huius sculptilis significatio per se patet, dummodo compositionis vel leviter considerentur elementa. In superiori enim parte, si Deus velata in cathedra sedet cum Evae animam infundit, si Christus, qui Spiritus sancti legitur largitor, dum mulieri benedicit ad Spiritus sancti respicit personam, pone thronum stantem sibique simillimam, illud apprime exprimit quod Patres omnium temporum de tota intellexerunt Trinitate, secundum plurale Geneseos verbum: *Faciamus.* (1)

Post hominis creationem innocentiaeque statum, peccati commemoratio et Redemptoris futuri promissio subeunt; haec antem complentur in inferioris partis imaginibus: scilicet *Verbum caro factum est* in Virginis utero, Spiritu sancto cooperante, estque Verbum lux vera qua Magorum splendescit fides, qua etiam illuminatur vir a nativitate caecus, illius symbolum factus populi, qui *ambulabat in tenebris* et *in umbra mortis sedebat.*

(1) *Genes.* I, 26. Tres divinae personae ita fuerunt a P. Marchi determinatae, sed haud omnes eruditi in hoc consenserunt. Egregius Garrucci, exempli gratia, docuit personam sedentem esse Verbum, qua de re aliqua I. B. de Rossi huc adducere iuvabit: « In questa apparente eguaglianza, ad uno è dato il seggio di onore; e gli argomenti addotti per mantenere in quel seggio il Padre sono tanto forti che non mi sembrano contrabilanciati dalle osservazioni proposte per sostituire nel luogo del Padre il Figliuolo, e nel luogo di questo il santo Spirito. Infatti, se l'imporre le mani è uno dei segni visibili del dare i doni del santo Spirito, non è però segno esclusivamente di questo, ma anche di protezione e di benedizione. Cristo Gesù, quando sgridò i discepoli perchè scacciavano i fanciulli e li impedivano di venire a lui, *complexans eos et, imponens manus super illos, benedicebat eos* (Marc. X, 16). Del rimanente, se codesta imposizione della destra dee riferirsi proprio alla comunicazione del santo Spirito, al Verbo appunto

In altera superioris zonae parte, duo diximus eucharistiae symbola haberi atque, his quasi semper connexam, resurrectionis adumbrationem; inferius vero ea quae ad Petri paenitentiam, magisterium primatumque spectant.

Danielis autem historia, sicut clypeata coniugum imago, haud videtur nexum cum praecedentibus habere, nisi quod arctius defunctorum statui congruat; in quo quidem a I. B. de Rossi sententia, qui contrarium innuit, leviter dissentimus. Danielem enim, in lacu leonum orantem, defuncti animam repraesentare agnovimus, haud secus ac tres in fornace pueros, necnon Noe in arca aliasque Biblicas personas Dei omnipotentia a periculis liberatas.(1)

s'addice il darlo: e perciò Cristo innanzi la passione disse: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*, e dopo la risurrezione: *Accipite Spiritum sanctum* (IOAN. XV, 26; XX, 22), con tutti quegli altri testi le cento volte discussi e dichiarati nelle controversie coi Greci sulla processione dello Spirito santo dal Figlio. Sarà utile prevenire un'obiezione: la terza persona della Trinità nel nostro gruppo, interpretato secondo il P. Marchi ed i seguaci suoi, rimarrà spettatrice quasi inerte della creazione d'Eva, cosa sconveniente e sospetta d'eresia Macedoniana, derogante alla dignità del santo Spirito. Ma già il Marchi ha bene notato che la presenza delle tre persone basta ad indicare l'unità d'azione concorsa nella formazione di Eva. Ed io aggiungerò che, se il Padre parlante, e il Figliuolo rispondente al Padre col presentargli la novella creatura, cui impone la destra, sono posti in una relazione più determinata, ciò è conforme al comune uso di molti antichi teologi ed anche dei fedeli d'applicare in un modo speciale il *Faciamus* come diretto dal Padre al Verbo. S. Epifanio, nel passo sopra citato, allude a questo senso di tutti i fedeli, ed anche dal solo Faustino prete della chiesa romana, che scrisse dopo l'eresia macedoniana e la combattè, possiamo intendere che, dopo insorto quel nuovo errore, gli impugnatori di esso non trovarono sconveniente continuare ad attribuire una relazione speciale al solenne *Faciamus* tra il Padre ed il Figliuolo (FAUSTINUS PRESBYTER, *De Trinitate*, c. I, § VI; MIGNE, *P. L.* XIII, p. 42). Laonde l'interpretazione del gruppo della Trinità proposta dal Marchi è punto per punto concorde al comune senso dei teologi e dei fedeli nel secolo quarto (*Bull. di arch. crist.* 1865, p. 70)».

(1) Cf. *Notiones arch. christ.* vol. II, pars secunda, pp. 218-242. — In qnadam coemeterii S. Callisti pictura, Danielis inter leones imago dimidiata e sepulcro emergit.

Nihilominus ceteras nolumus arcanas negare significationes, quibus haud raro artifices unum et idem quandoque argumentum cumularunt. Evidens enim est Danieli allatum cibum cibi figuram illius esse, qui *panis fortium* in sacra est vocatus Scriptura. Ego ipse, in quodam Callisti coemeterii sarcophago, animadvertere potui panem Danieli sic porrectum Christi monogrammate ☧ («Ιησοῦς Χριστός) esse insignitum, eo videlicet signo, quo panes eucharistici in clarioribus adumbrationibus consignati deprehenduntur.[1] Adde, ut I. B. de Rossi notavit et perinde ac in quodam, apud Brixiam detecto, sarcopagho est videre, nonnunquam apud anaglypta Habacuc, simul cum pane, etiam piscem Danieli offerre (Tab. 29, p. 50).

De duobus autem barbatis viris, retro Danielem stantibus et quorum alter capiti Habacuc imponit manum, quid intelligendum? Quin divina haec sit manus quae nempe Habacuc capillis tenuit, eumque ad Danielem detulit, non est ambigendum; cur autem Habacuc tamquam puer effictus sit, dicere nescio. Alteram autem viri imaginem Spiritus sancti repraesentare personam, ut I. B. de Rossi opinatus est,[2] veri videtur simillimum; hanc tamen circa rem nihil audemus definire.

(1) Agitur de sarcophago tabula 14 (p. 20) adumbrato, in quo illud etiam symbolicam panis significationem confirmat, quod talis Habacuc effigies Christi, aquam in vinum vertentis, imagini respondeat.

(2) Praestat eximii archaeologi textum fuse referre: « Daniele tra i leoni, simbolo non controverso della risurrezione e della costanza dei martiri nella confessione della fede, nutrito del pane miracolosamente portatogli, che dal confronto con altri monumenti è certo essere stato tenuto per symbolo dell' eucaristia; profeta sopra gli altri tutti solenne del Christo venturo e della novella Chiesa che avrebbe preso il luogo della ripudiata sinagoga, sta in mezzo a due personaggi palliati, barbati, de' quali la storia di lui e della sua dimora nel lago dei leoni non dà sufficiente ragione. È manifesto che qui siamo dinanzi a un nuovo mistero, ad una scena non puramente istorica, ma arricchita di immagini simboliche. Il personaggio che sta alla sinistra di Daniele tiene la destra sul capo di Abacuc che porge al profeta il canestro dei pani. Esso non nei minuti caratteri iconografici, ma nell' insieme della persona e nel gesto del braccio e della mano destra richiama alla mente l' immagine del piano superiore che tiene la destra sul capo di Eva. La Scrittura dice che Abacuc fu portato pei

ART. III. — **Plura de Christo interpretanda argumenta.**

Inter omnia maxime emicant Christi persona, eiusque divina virtus ac maiestas; immo, omnia eum dixeris monumenta afflasse. In argumentis, quae primordia humani generis produnt, Christum ea praestare quae Patri plerumque hodie tri-

capelli dall'angelo del Signore (DANIEL, XIV[2], 35). Or gli angeli sono sempre effigiati giovani ed imberbi negli antichi monumenti; talchè la figura barbata e più che virile posta in questo luogo non è senza mistero... nè parmi difficile il penetrarlo. In un sarcofago di Brescia Abacuc è tenuto pei capelli da una mano sporgente da cielo stellato, modo negli antichi monumenti consueto di rappresentare non l'angelico ministero, ma l'intervento di Dio medesimo. Con questo confronto, e vedendo noi nel nostro sarcofago effigiate le tre ipostasi divine in forma di uomini palliati e barbati, è naturale cercare nell'immagine di che discorro una di quelle tre ipostasi. Ora i teologi sanno quanto comune fra gli antichi fu l'attribuire al Verbo divino, non solo le teofanie narrate nell'Antico Testamento, ma eziandio alcune più solenni apparizioni dell'*angelo di Dio* (V. PETAU, *Dogm. Theol., De Trinitate*, lib. VIII, cap. 2). Di questa in ispecie che è narrata nella profezia di Daniele io veramente non so che qualche antico Padre l'abbia interpretata dal Verbo, ma alcuni tutte le apparizioni dell'angelo di Dio nel vecchio patto così interpretavano (V. PETAU, loc. cit. lib. I), ed il linguaggio simbolico dell'arte ha sempre osato qualche cosa più che quello teologico dei dottori: oltrechè il sarcofago di Brescia mostra non essere senza esempio l'attribuire direttamente all'azione divina il miracolo operato nella persona di Abacuc. L'altro personaggio palliato, barbato, che sta alla destra di Daniele, e che nella storia di lui non ha luogo veruno, al P. Marchi parve *identico con quello* che è dietro di Dio Padre e della Vergine. Perciò lo stimo personificazione simbolica del santo Spirito ispirante il profeta. Certo che se cerchiamo tra le citate figure l'identità materiale d'ogni particolarità iconografica, questa non v'è, e il discorso del Marchi poggia sul falso. Ma già abbiamo veduto quanto poca importanza abbia dato il nostro artista a siffatti minuti caratteri del volto; ed il confronto col gruppo di Daniele, nel quale la ripetizione di alcuna delle tre divine persone pare innegabile e necessaria a spiegare le strane figure, conferma che in codeste immagini non dobbiamo cercare l'identità assoluta e materiale, ma intenzionale e morale, più manifesta dall'aspetto e dall'insieme delle effigie, dei gruppi e di tutto il monumento, che dalla scrupolosa ispezione d'ogni volto e d'ogni pelo (*Bull. di arch. crist.* 1865, p. 72 sq.)».

buuntur vidimus: ipse est qui parentibus lapsis apparet, de peccato eos arguit, damnat et promissionibus solatur.

Eius autem nativitas et infantia haud multum in sculptilibus a depictis imaginibus differunt; sed quandoque, ut iam animadvertimus, dum in gremio est matris, tres circuli super eius capite sunt efficti. (1)

Magi semper tres apparent ac tribus eorum muneribus clare, iuxta Patrum scripta, Deus, rex et homo Christus esse significatur. Christi autem baptisma ipsa est, e Patrum sententia, aquarum sanctificationis ratio, ut ad catechumenos baptizandos, seu ad homines regenerandos, fierent idoneae. (2)

(1) Garrucci, V, n. 365 n. 2; P. Giuseppe Bonavenia, *Insigne sarcofago inedito,* tabula unica extra textum, Romae, 1910.

(2) Cum notiones istae theologiae sint coordinatae, non erit inutile huc fuse egregii Aringhi textum quemdam adducere, quo specimen Patrum doctrinae hanc circa rem auctor in suo opere *Roma subterranea* proposuit: « Multiplici quidem mysteriorum serie sacrosanctum Redemptoris baptisma, eidem Ioannis ministerio impertitum Christiani cumulare studuerunt, qui salutaris baptismi aquis ad abstergendas criminum sordes his, qui ad Christi fidem ex gentilitatis errore traducti advolabant, opus esse hoc uno regenerantium aquarum symbolo testabantur. Verum cum in Iordane Christus a Ioanne baptizatus est, aquam ipsam baptismi materiam mandasse, lavisse, purgasse, imo tactu sanctificatam consecrasse Patres unanimiter asserunt: " Baptizatus est Dominus, inquit Ambrosius, non mundari volens, sed mundare aquas, ut, ablutae per carnem Christi, baptismatis vim haberent (Ambr. *l.* 2 *in Luc.*) ". Idem plane Augustinus affirmat: " In baptismo Christi, inquit, non tam lavit unda, quam lota est, purgantur potius fluenta quam purgant (Aug. *Serm 36 de temp.*) ". Et alibi: " Salvator ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret, etc. ". Et haec alibi: « Tunc omnibus aquis benedictionem dedit, et vitalem gratiam flumen mutuatur a corpore (Aug. *Serm. 1 de Epiph.*) ". Quod certe sanctissimus doctor magis perspicue hunc in modum edisserit: " Aquas Christus consecrat, dum baptizatur, terras sanctificat dum sepelitur, caelestia glorificat dum ascendit (Aug. *Serm. 37 de temp.*) ". Cui cohaerenter Nazianzenus quoque his verbis locutus est: " Baptizatur Christus ut totum veterem Adam aquis obruat ". Et infra: " Ascendit ex aquis, mundum enim secum in altum effert (Naz. *Orat. in sanct. lum.*) ". In quam pariter sententiam Damascenus paribus verbis concidit, dum haec ait: " Tinctus est Christus ut capita draconum in aqua contereret, ut peccatum obrueret, ac totum veterem Adam in aqua sepe-

Aliunde, turbae saepe ostenduntur ad Christum venerabundae accedentes; morbi omnes aerumnaeque ab eo curati, mortui revocati ad vitam. Pedes eius, perinde ac etiam notavimus, crebro ipsum habent pro scabello caelum, aut monti sunt impositi, e quo flumina vitae scaturiunt. Cum autem in throno sedet, ut eius tunc omnis adumbretur maiestas, ei apostoli acclamant, eumque docentem ac praecipientem reverenter audiunt (Tabb. 23, 35, 39).

In quodam apud villam Albani sarcophagi fragmento, Christus matrimonium sanctificans exhibetur. Adsunt nempe duo sponsi qui, dextera invicem manu arrepta, super libro quo-

liret (DAM. *l. 4 Fidei*, c. 10) ". Quod item expresse sanctus Maximus hunc in modum edocet: " Quod fluentis Iordanis baptizatur Christus, aquae nostro baptismati consecrantur ". Et item: " Baptizatur Christus non sibi, sed nobis, non ut purificetur aquis, sed ut aquas ipse sanctificet. Baptizatur novus homo, ut novi baptismatis constituat sacramentum "· Aquae autem baptismalem regenerativam vim insitam divinitus S. Leo his verbis commendat: " Originem, quam Christus sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquae quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, et obumbratio Spiritus sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem (S. LEO, *Serm. 4 de Nat.*) ". Haec Leo... Nam et ad Christi Domini, qui tunc in similitudinem carnis peccati foris apparuit, humilitatem adstruendam, et ad miram baptismalis undae, quae criminum maculas expiare novit, vim virtutemque, humanis mentibus ingerendam, Christum a Ioanne sacro initiatum baptismate, ad vivum coloribus Christiani repraesentare consueverant. De cuius quidem sacrosancto ac recolendo iugiter baptismate, Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina isthaec eleganter interserit: " Ioannes baptizat, et accedit Iesus sactificans quidem et ipsum, qui baptizat: praecipue tamen ut et veterem Adam sepeliat in aquis, et ante omnia, ut per haec sanctificentur aquae Iordanis, ut sicut erat spiritus et caro, ita et his, qui baptizandi erant in spiritu, et aqua sanctificationis successio traderetur ". Haec in rem praesentem Nazianzenus. At vero S. Maximus episcopus, homilia prima quam in Domini Epiphaniam edidit, isthaec recitat: " Quod baptizatus est Agnus Dei, generatim baptismi salutare nunus nobis est dedicatum (S. MAX. *Hom. 1, in Epiph.*) ". Vides igitur quemadmodum ipsemet, qui aquis abluitur, aquas pariter et sordes uno eodemque contactu, abluit et solemnem regenerandi vim aquarum elemento, quo ipse respergitur, mirifice impertit » (ARINGHI, *Roma subterranea novissima*, t. II, lib. VI, cap. IV, p. 594).

dam aperto a Christo coronantur. Liber in pluteo positus est; Christi vero persona dimidia e nubibus emergit, unde, si liber Evangelium repraesentat, sponte in mentem veniunt verba illa Domini: « Quod Deus coniunxit, homo non separet ». (1) Neque ullum potest de hac significatione dubium moveri; nam, sculptile Christianum, parvis quibusdam solummodo mutatis, eodem modo ac ethnica ars matrimonium repraesentavit; scilicet loco Hymenaei numinis est pluteus cum libro, et in locum Iunonis Pronubae vicem obtinet Christus. (2) Ceterum ipsi Hymenaeus ac Iuno Pronuba in alio sarcophago, etsi Christiano, cernuntur apud villam Ludovisi invento, ac nunc in vestibulo musei Lateranensis asservato. (3) De quodam vero sculptili Ioseph cum Maria nuptias repraesentans infra dicetur.

ART. IV. — **Anaglyptorum quaedam, quoad interpretationem, minus obviae effigies, Eucharistiam, ut videtur, significantes.**

Diximus non omnia in anaglyptorum imaginibus esse perspicua, idque sive ob inordinatam argumentorum seriem, sive

(1) MATTH. XIX, 6.

(2) En aliunde quaedam clarissimi Marucchi verba, qui, data opera, apud *N. Bull. di arch. crist.* (1902, pp. 183-196) et alibi, fragmentum hoc illustravit: « Due sono le trasformazioni introdotte dall'artista cristiano nel nostro monumento, cioè il libro evangelico messo nel posto medesimo nel quale sui monumenti pagani apparisce la figura di *Imeneo*, sotto le mani congiunte dei due sposi, e quindi il busto del Salvatore che è collocato fra i coniugi in atto di sancire la loro unione, non altrimenti della Giunone Pronuba sui sarcofagi dei gentili. Quest'ultima sostituzione è di grande importanza, e ci rivela sempre meglio il concetto cristiano, che cioè il matrimonio viene benedetto, confermato e sancito da Dio medesimo, e forma eziandio un commento monumentale alle parole dell'Apostolo, il quale disse questo mistero esser grande "*in Christo et in Ecclesia* (*Ad Ephes.* V, 32) ". Una varietà si riconosce però fra l'atteggiamento della *Giunone Pronuba* e quello del Salvatore; cioè, mentre la Giunone abbraccia solamente ed unisce gli sposi, Cristo, come vediamo in alcuni vetri e nel nostro sarcophago, distende le braccia e pone sul capo di ognuno una corona. Su qualche monumento poi, come sopra un sarcophago di Tolentino, questa medesima composizione è abbreviata, essendovi rappresentata la sola mano con la corona, e ben si comprende che quella è la mano divina ».

(3) O. MARUCCHI, *Guida del Museo Lateran.* 1898, p. 10-11.

ob inusitatam aliquam nec satis definite expressam cogitationem; insuper animadvertimus non omnes artis notos esse fontes, quorum plures nempe, ut quaedam apocrypha scripta, ad nos usque non pervenerunt.

Ex his obscurioribus anaglyptis exempla nonnulla nobis explicanda proponemus, et primum quidem ad eucharistiam attinentia.

Ut notum est, symbola eucharistica saeculo secundo, in crypta scilicet Lucinae iuxta coemeterium Callisti et in Priscillae coemeterio (apud cubiculum Italice *cappella greca* nuncupatum), primitus apparent. Horum vero symbolorum elementa initio panis et vinum sunt, quibus et pisces adduntur: piscis nempe *Iesum Christum Dei filium Salvatorem*, vi vocabuli Graeci ΙΧΘΥC, significat; panis autem vinumque eas adumbrant species sub quibus Christi corpus et sanguis in eucharistia sumuntur. Denique pluralis panum ac piscium numerus corbesque septem panibus repletae has in mentem revocant multiplicationes, quas Christus, ad plebem satiandam, patravit.

Progressu temporis, sed saeculo adhuc secundo, vini calix amplius non cernitur, sed manent portentosae multiplicationis elementa, ac semel convivium septem discipulorum iuxta Tiberiadis exhibetur lacum. Saeculo tertio, symbola supra dictae multiplicationis perseverant; sed aquae in vinum mutatae accedit commemoratio, paullo scilicet antequam de tali symbolo S. Cyprianus primo loquatur. Exinde haec in omnibus monumentis, ac per plura saecula, effinguntur.

In anaglyptis quam saepissime miracula quoque eadem repraesentantur illa: Christus aut virga hydrias tangit, adstantibus plerumque uno duobusve apostolis, aut manus piscibus ac panibus utrinque oblatis imponit; quod consecrationis actum apprime significat (Tabb. 47 et 48, pp. 109, 111). Aliquando, perinde ac animadvertimus, duo ista argumenta iuxta symmetriae legem sunt in anaglyptis disposita, ita tamen ut, quoad materiae formam, alterum alterius fieret simillimum Haba- (Tab. 45, p. 99). Bis autem panum multiplicationis loco,

Habacuc, panem monogrammate Christi insignitum Danieli porrigens, ostenditur.

Sunt vero alia eucharistiae symbola, de quorum intellectu non omnes archaeologi sunt concordes: de agno ac spicarum manipulo, Adam et Evae a Christo, ut saepe apud funeraria conspicere est anaglypta, ostensis, loqui volumus. Bottari ea primus pro laborum, ad quos prisci nostri parentes fuerunt a Domino damnati, symbolis accepit: proprium enim mulieris est lanam ducere, viri autem terram arare, ut frumentum ferat.

Attamen de his symbolis haud quidquam in Scriptura sacra invenies, ac, si verba Geneseos excipias ista: « In sudore vultus tui vesceris pane », (1) nihil est aliud quod ad frumenti manipulum possit quodammodo referri, multoque minus ad agnum lanigerum tamquam feminei laboris signum.

Harum itaque obvia rerum significatio, quam quidem I. B. de Rossi, peritis quamplurimis suffragantibus, suspicatus est, valde nobis affulget, scilicet ut lanigera ovis et spiceus manipulus divini agni, qui peccata tollit, ac panis vivi, qui de caelo descendit, sint adumbrationes; de quibus apud Patrum scripta precesque liturgicas passim nonnulla.

Talis saltem sententia haud parum cum ea Salvatoris futuri congruit promissione, quam Dominus, postquam maledixit serpenti, protulit, dicens: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius »; (2) e contrario, non nisi difficiliter satis intelligi potest quomodo, sub ovis specie, lanifici laboris inductio cum damnatoriis, adversus Evam prolatis, proprie conveniat verbis; « Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, dixit Deus: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris; ipse dominabitur tui ». (3) Eucharistica igitur istius argumenti explanatio non improbanda mihi videtur, licet aliquod simul indicium rerum, quarum ope victum vestimen-

(1) *Genes.* III, 19.
(2) *Genes.* III, 15.
(3) *Genes.* III, 16.

taque homo reus lapsaque mulier sibi comparanda habuerint, excludere non audeam.

Ceterum, cur utrumque significatum non admittamus ? Optima quidem interpretandi est norma, ne multiplices significationes eidem tribuantur figurae; attamen duplicem quandoque adesse sensum non est ambigendum. Exemplo ille sit, apud S. Callisti coemeterium iacens, sarcophagus, in quo Habacuc panem, monogrammate Christi insignitum, Danieli porrigentis adest imago, de qua supra iam sumus locuti.

Haud consentanea normis haec forsitan reputabuntur, verumtamen deprehenduntur vera; idque nobis sufficit ad aliam, duplicis quoque significationis, imaginem illustrandam.

Quamplura scilicet anaglypta, dum oblationes a Cain et Abel Deo factas referunt, priorem semper frumenti spicam aut uvae racemos, posteriorem vero semper agnum obtulisse monstrant. Iam vero, semel posito quod Abel oblatio oblationis divinae figura sit, cur non et Cain dona species eucharisticas figurarent, cum elementa illa sane praebeant quibus sacramentum corporis et sanguinis Christi conficiatur ? Vitem enim racemosam ac frumenti spicas Eucharistiam in Christianis monumentis omnigenis repraesentare haud est dubium, praesertim in monumentis funerariis ac liturgicis saeculo tertio posterioribus, nam antea fieri potuit, ut vitis pampini unice vel praecipue ad solaria decoranda pingerentur. Neque obiiciendum est Deum plerumque Abel videri oblationem praeferre, nam datur etiam ut Cain oblatio a Deo primum sit recepta. (1)

Conviviorum repraesentationes paucae apud sculptilia extant, ac plerumque, mensam panibus unoque pisce praeditam exhibent; convivae autem, vario quidem numero, laeti, et aliquando calices manibus gestantes apparent, praeterea effingitur servus cibos parans vel praebens. (2) Cum nihil in iis panum ac piscium multiplicationes commemoret, convivii caelestis adumbrationes esse libenter dixerim; nam picturarum simillimae videntur illarum quae in catacumbarum parietibus agapen reprae-

(1) Garrucci, V, 401 nn. 15 et 16.
(2) Garrucci, V, 401 nn. 15, 16.

Tab. 51. Anaglyptum musei Kircheriani.

sentant caelestem. Ad piscem vero quod attinet, en quid I. B. de Rossi dicat: «In ipsa quoque caelestis convivii pictura piscis imago aptissima fuit, tametsi ad eucharistiam vix ulla referri ratione potuerit. Beatos enim, quos caelesti mensae accumbere veteres Christiani illis picturis significarunt, vivere in Christo et Christo frui eorum temporum aequalia passim epitaphia praedicant: quare nil aptius potuit a pictoribus excogitari, quam ut de pisce, sub quo Christus intelligitur, caelestes convivas satiari demonstrarent». (1)

Sunt nihilominus tria anaglyptorum specimina, unum apud Vaticanum, ac duo apud Kircher museum, de quibus aliter intelligendum. Etenim in Vaticano exemplo, (2) a clarissimo Marucchi primum recognito, atque in Kircheriano altero, clara multiplicationis est cogitatio; in tertio autem sculptili, Christus apud duos Emmaus discipulos effictus videtur, qui eum, mensae accumbentem ac loquentem attente audiunt (Tab. 51). (3)

Art. V. — **Quae ad Mariam virginem, licet subobscure, spectare videntur argumenta.**

Duos hic nobis libet considerare sarcophagos saeculi quarti vel quinti, alterum in Syracusano S. Ioannis coemeterio inventum, alterum nunc in crypta S. Encratiae, apud Caesaraugustam (Saragozza), reconditum.

Prior quidem, ab inscriptione quam prae se fert, *Adelphiae* dictus est:

IC ADELFIA C F
POSITA COMPAR
BALERI COMITIS

«(*H*)ic Adelfia, c(*larissima*) f(*emina*), posita, compar Valeri(*i*) comitis» (Tab. 52).

(1) De Rossi, ap. *Spicilegium Solesmense*, III, p. 569. Cf. *Bull. di arch. crist.* 1882, pp. 129–130.

(2) *Bull.* etc. tab. IX, pp. 90–91.

(3) Garrucci, V, 404 n. 13.

Huius arcae anaglypta in tres divisa sunt zonas quarum, duae in anteriori ipsius capsae superficie, tertia vero in attica fascia.

Capsae argumenta nil novi produnt. Notabit tamen studiosus seriem superioris zonae a lapsu primorum parentum incipere, ac in resurrectionis desinere commemorationem, cui, ut moris est, et eucharistiae antecedunt symbola. Duo autem aeque a media anaglypti parte distant Christi exhibita miracula, quibus scilicet ab ipso sanata ostenditur humanae infirmitas naturae, necnon triplex Petri praenuntiata negatio. Moysis autem, e caelo volumen recipientis, ac Isaac immolandi imagines iuxta concham mediam insertae sunt.

In inferiori zona, a sinistra incipiendo, tres pueri sunt efficti statuam regis adorare renuentes, ac tres magi ad Christum, matris in gremio sedentem, dona oblaturi festinantes. His Christi figura, aquam in vinum vertentis, interiecta est. Sequitur Adam et Evae peccatum ac denique Christus Ierusalem, triumphantis instar, ingrediens. Itaque quod magis emergit, semper Christus est, adorandus ac tamquam rex consalutatus, deinde hominum fragilitas ac divini ad animam corroborandam remedii, scilicet eucharistiae praestantia, postremo idololatriae repudiatio. Haec certo cogitationes sunt in sculptili illo expressae; ordinem autem quo intelligendae quis, nisi per coniecturam ac proinde incerte, colligere poterit?

In attica fascia, praeter inscriptionis tabellam, a duobus alatis geniis sustentatam, Christus natus exhibetur, a Magis inventus, necnon et altera historia, quae aequalem non habet, ac proprie ad nostrum attinet argumentum. Mulier nempe ibi est in cathedra sedens: huic quattuor adstant feminae quodammodo obsequentes; aliae vero duae tertiam personam adducunt, perinde quasi sedenti eam praesentare velint. Denique alia quoque mulier aquam e fonte aliquo defluentem haurit, dum quidam vir, versus ipsum fontem prospiciens, alloqui videtur.

Hanc circa repraesentationem, E. Le Blant Mariam virginem ibi agnoscendam asserentis, sententia [1] generatim ab antiquitatis peritis probatur et reipsa plures ob rationes.

(1) E. Le Blant, *Etudes sur les sarcophages d'Arles*, tabb. v, x.



Tab. 52. Sarcophagus Syracusanus.

Videlicet mulier sedens Maria solummodo esse potest; nulla enim alia mulier in cathedra sic sedere, apud picturas anaglyptaque, ostenditur, talique honore, praeter Christum et matrem eius, dumtaxat Petrus ac Paulus, ceterive apostoli, uniter tamen cum Christo, ac reges et iudices aucti reperiuntur. Accedit quod sedenti huic mulieri, quasi reginae, dominatrici seu patronae, persona quaedam, velut ad tutelam impetrandam, praesentetur: quae res optime videtur Adelphiae, aut cuiuslibet alius defunctae, animam a sanctis Dei genitrici Mariae oblatam significare. (1)

(1) Cum liber noster directus sit ad studiosos, qui haud semper volumina auctorum evolvere possint, aliam de praefato sculptili interpretationem subiungam, quam egregius Garrucci protulit, unum tamen notando, archaeologum hunc scilicet nonnunquam in orantium imaginibus Ecclesiae inductionem deprehendendam ratum esse, quod nobis nullo modo persuadetur. Sententiam autem auctoris verbis ipsius exponam: « Abbiam veduto finora la Chiesa star dritta in piedi presso Gesù che siede sulla sua cattedra: ora la faremo vedere seduta in cattedra in luogo di Cristo, e non in mezzo agli apostoli, ma sì in mezzo a quattro donne, che velate al par di lei, con gran venerazione facendole intorno corteo, l'ascoltano. Noi dobbiamo questa nuova scena ad un grandioso sarcofago di Siracusa (V, n. 365, 1 e 2), ma quest' insigne rappresentanza ha due altre che la precedono, dove si vede una vergine donzella drammatizzare il protagonista di quegli storici e profetici avvenimenti. Le tre scene son distribuite in questo modo. In primo luogo una donna sta accanto alla rupe del deserto, e mostra l'acqua che ne sgorga, invitando un'altra donna ad attingerne; la quale, posto a terra il ginocchio, ha appressato all'acqua che scorre un orciuolo, e ne prende. Ma la donna che ha indotta l'altra a prendere di quell'acqua, in una scena seguente vedesi menata prigione da due donne, una delle quali è in tunica discinta. Qui ci si apre innanzi la terza scena che ho accennato... Queste tre scene quantunque interamente nuove quanto alle donne che vi fanno da attrici, sono però, come è facile l'intendere, quanto alle due prime, una parodia delle solite scene nelle quali è figurato, invece di Mosè, l'Apostolo che predica, invitando le turbe a bere l'acqua che sgorga dalla roccia, e l'Apostolo medesimo che è tratto dagli sgherri, spesso ebrei, al carcere, cioè al supplizio; la terza scena ha poi rapporto alle scene ove Cristo parla assiso fra i martiri e i discepoli che l'ascoltano. Tutta la novità sta dunque in ciò, che agli uomini sono sostituite le donne, il cui senso allegorico è ora facile prevedere, non essendo il principal personaggio del primo soggetto altro che la vergine sposa di Cristo sostituita a Mosè, come

Femineae autem figurae, quae virginem Mariam assectantur, hae mulieres sanctae credi possunt, quae, secundum quamdam huiusce temporis opinionem, Mariae in caelo praecipue comitari reputabantur: Sara nempe, Rebecca, Rachel, Lia, Susanna, Anna virginis parens, necnon et Anna prophetissa, (1) Elisabeth, (2) Martha et Maria Lazari sorores, aliae Mariae de quibus Evangelium loquitur, nonnullae virgines ac martyres, ut Thecla (3) et Agnes, (4) viduae proinde aliquae inclytae. (5)

Supra exposita igitur interpretatio haud improbabilis videtur; veram tamen omnino esse eam dicere non audemus; namque et altera nobis aliquatenus affulget.

Notemus obiter operculum, quod nunc capsae est aptatum, sarcophagi illius primitus fortasse haud fuisse, eo quod minoris

a Mosè è sostituito più volte il Vicario di Cristo; nel secondo la medesima vergine che prende il posto di Pietro menato al supplizio. Non deve poi fare ostacolo il vedere che non sia una sola donna, ma molte: perocchè, sebbene la Chiesa è una, nondimeno i membri, specialmente Vescovi che la rappresentano possono essere molti... La donna adunque invita alle acque della roccia, e la donna prende le acque dalla pietra che è Cristo: la donna in seguito è la catturata: nella qual rappresentanza l'artista ha adoperato due donne per la Sinagoga che mena prigione e condanna al supplizio la Chiesa dei Gentili. Questa Chiesa che si vede menata al supplizio trionfa dei suoi nemici e regna finalmente da quel trono che è insieme cattedra della celeste dottrina rivelata da Cristo (GARRUCCI, I, pp. 274–275)». Pergit auctor in sedentis imagine ceterisque interpretandis adiunctis, magis atque magis coniecturas cumulando, sed quae iam sunt allata sufficiunt ad arbitrariam hanc sententiam delineandam. Animadvertemus dumtaxat mulierem, quae capta dicitur, aliam esse a muliere sedente, quia aliter vestitam, hancque simillimam imaginis esse Mariae, quae in altera sculptilis parte iuxta praesepe conspicitur.

(1) S. HIERON. *Epist.* XXXIX, *Ad Paulam de obitu Blesillae filiae*, 6; *P. L.* XXI, 472.

(2) *Passio S. Heliconis*, 20 apud *Act. sanct.* Maii, VI, 743.

(3) NICETAS PAPHLAGO, *In laudem Protomartyris et Apostoli Theclae* apud COMBEFIS. *Graeco latinae bibliothecae auctarium*, Parisiis, 1648, t. I, p. 461.

(4) S. AMBROSIUS, *De institutione virginis*, 113: *P. L.* XVI, 348.

(5) S. I. CHRYSOSTOMUS, *Epist. II ad Olympiadem*, 3, 4; *P. G.* LII, 559 sq.

demensionis diversaeque artis sit, non vero quidem, ut nonnulli dixerunt, eo quod Epiphaniae imaginem, iam in altera sarcophagi parte exhibitam, iterum referat; nam bis, in ipso sarcophagi ambitu, Adam et Evae lapsus quoque apparet. (1) Ut autem animadvertimus, id simpliciter forsan evenit, quia utraque monumenti zona propriam, et ab altera seiunctam, habuerit argumentorum seriem. Adelphiae porro sarcophagus tres series seu cyclos exhibet, ac Magorum adoratio, quae inferius opponitur illi argumento in quo tres pueri statuam Nabuchodonosor regis adorare recusant, in Attica fascia quamdam profecto Mariae complet historiam, etiam iuxta E. Le Blant sententiam; nam Maria in caelo, tamquam regina rite honoratur, ideo quod Mater Dei exstiterit in terris.

Ego vero hanc, quae sequitur, libenter proponam explanationem: scilicet de Maria quidem hoc in sculptili agi, sed ante Salvatorem natum ac secundum ea quae in apŏcryphis scriptis de ortu Virginis et de infantia Salvatoris narrata sunt.

Sic mulier quae aquam haurit Maria est, cui adstat angelus: « Altera autem die, ait nempe Pseudomatthaei evangelium, dum Maria staret iuxta fontem, ut urceolum impleret, apparuit ei angelus et dixit: Beata es Maria, quoniam in utero tuo habitaculum Domino praeparasti. Ecce veniet lux de caelo ut habitat in te, et per te universo mundo resplendebit ». (2) In quodam eburneo sculptili fere idem conspicitur, necnon in aliis monumentis; quapropter, quoad hanc significationem, nemo, ut arbitror, mihi contradicet (Tab. 54, n. 3). (3)

Cur vero, reginae instar, Maria sedens efficta sit, ex eodem subditicio deprehendi potest evangelio; nam eam a nonnullis

(1) Talis quidem argumenti cuiusdam duplicatio, etsi raro, non nunquam tamen, in saeculi exeuntis quarti vel quinti sarcophagis, deprehenditur.

(2) E. Amann, *Le protoevangile de Jacques et ses remaniements latins*, Paris, 1910, *Pseudo-Matthieu*, IX, 1, p. 312.

(3) Cf. Bugati, *Memorie di S. Celso*, 1702, tab. II, n. 3. — Immerito mihi quis obiiciet angelum ibi alis carere; nam adhuc saeculo quinto, angeli nonnunquam sine alis in monumentis apparent. Ceterum haec interpretatio iam ab A. De Waal publice prolata est.

virginibus, cum quibus pontificum iussu degebat, virginum reginam nuncupatam fuisse ibi praetenditur. En apocryphi verba : « Tunc Ioseph accepit Mariam cum aliis quinque virginibus, quae essent cum ea... Erant autem istae virgines Rebecca, Sephora, Susanna, Abigea et Zabel; quibus datum est a pontificibus sericum et iacintum et byssus et coccus et purpura et linum. Miserunt autem sortem inter se quid unaquaque virgo faceret; contigit autem ut Maria purpuram acciperet ad velum templi Domini. Quam cum acciperet dixerunt ei illae virgines : *Cum tu sis minor omnibus, purpuram obtinere meruisti !.* Et hoc dicentes quasi in fatigationis sermone coeperunt eam reginam virginum appellare. Cumque haec inter se agerent, apparuit angelus Domini in medio earum et dixit : *Non erit sermo iste in fatigatione missus, sed in prophetationem verissimam prophetatus* ».[1]

Propter quod Maria ut regina sic exculpta est, ac talis eius effigies revera in aliis saeculi quinti monumentis occurrit; quorum antiquissimum exemplum, Romae, apud Liberianam basilicam, in musivis triumphalis arcus operibus, paulo post quadringentesimum trigesimum secundum annum elaboratis, cernere est.[2] Neque mulierum numerus in sculptili effictarum ullam facessit difficultatem, nam varius apud apocryphas narratiunculas hic numerus est, et in alio e Protoevangelio Iacobi derivato pseudographo, quod de Nativitate Mariae inscribitur, haud quidem quinque, sed septem, perinde ac in nostro sculptili comites Virginis sunt feminae : « Virgo autem Domini, Maria cum aliis septem virginibus coaevis et collactaneis, quas a sacerdote acceperat, ad domum parentum suorum in Galilaeam reversa est ».[3]

Ita igitur de hoc sarcophago opinor; quid autem unaquaeque imago significet adamussim explicare, nequaquam, nisi consentaneos huiusce studii limites transgrediendo, par esset. Eligant potius studiosi quod sibi inter exposita magis arrideat.

(1) E. Amann, loc. cit. p. 30.

(2) Cf. meum opus : *I mosaici antichi di S. Maria Maggiore in Roma*, Roma, Pustet, 1910, tabb. I-X.

(3) E. Amann, loc. cit. p. 358.

Alterum proponendum exemplum, id est, Caesaraugustanus sarcophagus, ad primam saeculi quarti partem spectare videtur. Porro, praeter Adam et Evae lapsum, mulieris fluxu sanguinis laborantis sanationem, caeci curationem aliudque non satis clarum argumentum, mulierem aliquam ostendit inter apostolos stantem et cuius brachium manus quaedam, ex alto porrecta, apprehendit, perinde quasi eam velit in altum trahere. Hoc idem in altero effictum cernitur sculptili quod, in eadem ecclesia, tamquam antefixum altaris S. Encratiae ornamentum adhibitum est. Fuerunt qui ibi Virginis assumptionem, seu ad caelum translationem adumbratam existimaverint; alii vero communem animae inter sanctos receptae repraesentationem discernendam sunt arbitrati. Priorum sententiae libenter, ob plura exponenda, assentimur. (Tab. 53).

Ut documentis et monumentis patet, assumptionis Mariae mysterium satis antiquitus inter plerosque catholicos coepit pro certo haberi, et quidem propter summam eius cum Virginis Matris dignitate congruentiam; quod diserte iam saeculo quinto anonymus auctor quidam exprimit, inter alia dicens:

« Vere credo... quia tanta (Deiparae) santificatio dignior caelo est quam terra. Thronum Dei, thalamum caeli, Domini domum atque tabernaculum Christi dignum est ibi esse ubi ipse est. Tam pretiosum enim thesaurum dignius est caelum servare quam terram; tanta integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur ». (1)

Necnon et ipsos apostolos talia esse opinatos contendit scriptor ficticii libri *De transitu Virginis*, falso S. Melitoni adscripti, cum narrat:

« Tunc Petrus et alii apostoli dixerunt: Domine, praeelegisti hanc ancillam tuam fieri immaculatum tibi thalamum, et nos servulos tuos in ministerium tuum... Sic ergo visum nobis fuerat famulis tuis etiam rectum esse, ut, sicut tu, devicta morte, regnas in gloria, ita, resuscitans matris corpusculum, tu tecum duceres eam laetam in caelum.

(1) Inter S. Augustini opera, *De assumpt. beatae Mariae Virginis*, cap. VI. Sunt tamen qui hoc scriptum tardiori tribuant aetati.

« Tunc Salvator ait: Fiat secundum verbum vestrum; et pracepit Michael archangelo, ut animam sanctae Mariae deferret. Et ecce repente Gabriel archangelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, et ait Dominus: Surge, amica mea et proxima mea; quae non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulcro. Et statim surrexit Maria de tumulo, et benedicebat Dominum...

Tab. 53. Sarcophagus Caesaraugustanus (Saragozza).

« Et osculatus eam Dominus recessit, et tradidit eam angelis, ut deferrent eam in paradisum ». (1)

Idem, plus minusve, docent alia nonnulla apocryphorum librorum commenta, quae aliunde saeculo quinto multo antiquius, (2) id est, si criticae artis peritis fides adhibeatur, etiam

(1) S. Meliton, *De transitu Virginis Mariae*, cc. XVI, XVII et XVIII; *P. G.* V, 1258.

(2) Enger, *De transitu B. Mariae Virginis*, Erbelfeld, 1854; *Journal of sacred lit.* menss. Ian. et Aprilis, 1865; Revillout, *Apocryphes coptes*, t. I; p. 10 sq.; Batiffol, *Littérature grecque*, p. 331; Bickell, apud *Tüb. theol. Quartalschrift*, 1866, pp. 465–479; Le Hir, ap. *Etudes religieuses*, 1866, t. X, pp. 514–555; Tischendorf, *Apocalypses apocryphae*, Leipzig, 1866, pp. 94–136.

iam secundo saeculo redactum, archetypum supponunt [1]. Non est igitur cur, ut absonum et incredibile, Mariae Virginis assumptionem, saeculi quarti initio, apud quaedam anaglypta, specialiter apud Caesaraugustanos sarcophagos, potuisse exhiberi negetur.

Si ad propiorem insuper talium imaginum devenimus considerationem, nonne primo parum veri videtur simile defuncti alicuius animam, quae inter sanctos apostolos, seu proinde gloriosa ac beata, iam esset efficta, sic nihilominus in caelum a Deo raptam ostendi?

At talis effigies, quae ad animam privati significandam viri minime congruens est ac revera inaudita, apprime propria illorum deprehenditur anaglyptorum, quae Christum ad caelos ascendentem, aut imperatoris cuiusdam apotheosim repraesentant. Antiquissimum huiscemodi exemplum in quodam Arelatensi habetur sarcophago, de quo supra est facta mentio: ibi, adstantibus discipulis, Christus cernitur sublatus manu quadam, e caelo prolata; [2] item et in quodam sarcophagi fragmento, apud Clarum Montem (Clermont), in Gallia detecto. [3] In quodam autem ligneo ianuarum S. Sabinae aedis apud Romam sculptili, non iam manus e caelo, sed angelus Christum, arripiens lacertis, in altum evehere conspicitur (Tab. 61). In eburneo autem diptycho, apud Monacense museum asservato, praeter eius sepulcrum, cui adsistunt milites, angelus et mulieres sanctae, Christus exhibetur in caelum per clivum cuiusdam montis ascendens, dum manus eum trahit e nubibus porrecta (Tab. 55). Alius e Soltikoff collectione diptychus idem fere refert; [4] cum autem hic ad nonum pertineat saeculum, quam diu, de quo agitur, symbolu mperseveraverit intelligere est.

(1) Cf. *Dictionnaire de la Bible*, art. *Assomption*; Dom Cabrol, *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturg.* art. *Apocryphes* et *Assomption.*

(2) Le Blant, *Etudes sur les sarcophages d'Arles*, 1878, p. 46 sq. tab. xxix.

(3) Le Blant, loc. cit. p. 48, tab. xxxiii n. 2.

(4) Cf. Dom Cabrol, loc. cit. art. *Ascension*, ubi monumenta eiusmodi describuntur.

1

3 6

4 7

5 8

2

Tab. 54. Anaglyptum eburneum evangeliarii Mediolanensis.

1. Praesepium ac Matthaei et Lucae symbola — 2. Innocentium strages ac Matthaei et Lucae imagines — 3. Annuntiatio iuxta apocrypha scripta — 4. Magi de visa stella laetantes — 5. Christi baptisma — 6. Maria ad templum se praesentans — 7. Christus in schola, ex apocryphis commentis — 8. Christus Ierusalem ingrediens.

Similis etiam imago in parva codicis, S. Pauli bibliae nuncupati, ac tardioris aetatis reperitur pictura.

Tab. 55. (Mus. Monacense).

Ad artis vero formam quod spectat, imperatorum defunctorum hoc argumentum afflatum videtur apotheosi; nam in quadam laudativa de imperatore Constantio Chloro incerti auctoris oratione, imperator dicitur « receptus (in caelum), consensu caelitum, Iove ipso dexteram porrigente ».(1) Necnon numisma quoddam, de quo et Eusebius loquitur Caesareensis, (2) dum Constantinum quadriga ad caelites evectum prodit, etiam manum e nube ad illum excipiendum protentam monstrat. (3) Denique in quodam-apocrypho, mortem seu transitum Mariae narrante, Matri morienti adstans inducitur Christus, qui, sua manu animam Virginis apprehendens, ad caelum eam attollit. (4)

(1) *Incerti panegyricus Augusto dictus*, n. VII, Leipzig, 1874.

(2) Eusebius, *Vita Constantini*, lib. IV, c. LXXII; *P. G.* XX, 1228.

(3) Eckhel, *Doctrina nummorum veterum*, Vindobonae, 1792, t. VIII, pag. 92.

(4) Max Enger, *Iohannis apostoli de transitu beatae Mariae virginis liber*, Frankfurt am Main, 1854; Ianucci, *De Dei parentis Assumptione*, Torino, 1884. Verum, in tardioribus picturis, anima Virginis quam Christus ad *Patris thesaurum* evehendam suscipit, infantis sub forma, iuxta ethnicum morem, adumbratur, uti, exempli gratia, Panormi, apud *Martoranam* ecclesiam.

ART. VI. — **Quaedam ad primatum et praerogativas S. Petri spectantia.**

Inter rationes, quas Lutheriani et Calviniani adduxerunt ad suam a Romana Ecclesia secessionem quodammodo cohonestandam, haec fuit potissima, ut scilicet ad primaevam fidei esset redeundum simplicitatem, a qua catholica Ecclesia prorsus descivisset. Interim vero Pontificis Maximi conciliorumque auctoritas ipsaque apostolica traditio illis nulla: dogmata quae sibi placent, mutata persaepe eorum natura, ea retinent; cetera veluti abusus reiiciunt. Sacrorum exinde librorum testimonia privatum iuxta uniuscuiusque iudicium docent accipienda, ac proinde quidquid sibi favere posse intelligunt, huic parcendum existimant; quae autem nullo possunt modo ad praesumptum sensum detorqueri, haec, tamquam interpolata, eliminanda pronuntiant.

Itaque contra illos, nedum Petri potestas summa, ne auctoritas quidem Scripturarum sacrarum efficaciter plerumque afferri potest; utrumque enim respuunt criterium, ad historiam provocantes eamque iactantes se probatam habere dumtaxat.

Aperte et ingenue fatendum est tali ad historiam provocationi refellendae, catholicos diutius remansisse impares. Doctissimi cardinalis Baronii Annales aliorumque virorum eruditorum scripta complures certe dissiparunt errores; attamen adhuc propugnaculum quoddam relligionis nostrae hostibus praesto erat, in quo fere invicti viderentur. Sic saeculo XVII, Iacobus Spon, vir antiquitatis suo quidem tempore peritissimus, catholicos archaeologos ut historice, seu per monumenta, nonnulla dogmata, verbi gratia purgatorii existentiam, aut precum pro mortuis efficaciam, a Christianis antiquitus fuisse admissa probarent, provocabat; neque ullus fuit, qui tunc, ac deinceps per longum tempus, responderet; ita Christiana monumenta, licet ab immortali Bosio paullo ante illustrata, parum tamen perpensa atque examinata fuerant.

E contra, hodie quot traditionis testimonia circa praecipua catholicorum dogmata licet e monumentis colligere! Iacobi

Spon oppugnationi, quinquaginta circiter abhinc annis, a doctissimo viro Edmundo Leblant, inter alios, apprime occursum est, nec quidquam illius difficultatis superest hodie nisi provocatoris audacia. Multo etiam ulterius in huiuscemodi probationis genere procedi posse, satis est nostris temporibus demonstratum, idque in praecedentibus praestitimus libris. Nunc vero de S. Petri primatu merito venit tractandum, cum hunc clare et ubique anaglypta proclament, multoque eloquentius quam in quibuslibet aliis monumentis.

Quanta vero haeretici contra S. Petri primatum, ut illum everterent, pertinaciter moliti sint, incredibile pene videtur; eorum tamen disiiciendis cavillationibus fraudulentisque ambagibus haud immorabor. Unum animadvertam, eorum nempe detortam capitis XVI Matthaei interpretationem,[1] iuxta quam nihil Petro a Christo Domino commissum fuit, quod simul ceteris apostolis aeque non fuerit tributum. Etenim, nihili quod Christus nomen Petri (*Cephas*) Simoni indiderit ipsi faciunt; nihili quod eidem fratres in fide confirmandi munus commiserit; nihili denique quod pascendi non solum agnos, sed et oves curam Petro, eique soli, Christus crediderit. Immo et Patrum plurima explicataque testimonia de Petri primatu aut spernunt, aut ad alienum detorquere sensum conantur.

Videamus igitur num revera Petrum ceteris parem apostolis monumenta archaeologica exhibeant. Haud profecto ad nostram fidem confirmandam eiusmodi argumentum referre necesse est: clariora enim Scripturae verba sunt quam ut istud quidquam amplius demonstret; at adversariis non ita: quippe qui, si Scripturae verbis ac Patrum testimoniis parum auctoritatis tribuerint, nihilominus haud ita facile monumentorum eloquentiam vitare aut minuere poterunt.

(1) «Respondens autem, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis». (vv. 17-19).

1. PETRUS SAEPIUS QUAM ALIUS QUISQUAM, PRAETER CHRISTUM, IN SCULPTILIBUS CERNITUR. — Humanae proprium est naturae, ut illud magis commemoretur quod, aut propter praestantiam, aut propter bonitatem, ceteris rebus excellat, magisque cordi sit. Porro, si Christi salvatoris personam excipias, nemo tam saepe in sculptilibus coemeterialibus cernitur quam beati Petri effigies.

Illi qui eiusmodi monumenta probe norunt, facile id mihi concedent; verum, ut omnibus probetur, rem, variorum ad hanc spectantium argumentorum computando numerum, in studium adducam; qui nempe disserendi modus hodie in omnibus quaestionibus maximi fit. Ut autem recte eiusmodi intelligatur computatio, quaedam sunt animadvertenda.

A supputatione nostra excluduntur primum ea omnia biblica argumenta, quae prophetam vel patriarcham aliquem exhibent veluti defuncti imaginem: Ionam videlicet, Danielem inter leones, paralyticum aliosque huiuscemodi; secundo vero omnes personae, quae nullo modo possint certo ac perspicue dignosci, uti sunt quidem prophetarum vel apostolorum iuxta Christum imagines, inter quas tamen vel Petri haud raro adumbratio esse potest. Praeterea, ut facile suis unusquisque oculis rem inspicere ac recognoscere possit, ad fidelem quamdam monumentorum synopsim est recurrendum: *Artis Christianae historiae*, a Garrucci doctissimo scriptae, quintum igitur eligatur volumen, quod plurima huius generis omniumque Christianarum regionum complectitur monumenta; atque iuxta illud computatio fiat.

Personae autem considerandae, praeter Christum, apostoli Petrus et Paulus mihi videntur, qui a ceteris apostolis facile distinguuntur, sive quia apud anaglypta Christo propiores sunt, sive quia etiam soli sine apostolorum collegio effinguntur. Porro, in praefato Garrucci volumine, omissis obscurioribus repraesentationibus. Christi imagines *quadringentae et quadraginta* sunt;[1] Petri imagines *ducentae duodecim*, Paulique vero *quadraginta septem*.

(1) Haud computantur hic imagines boni Pastoris, quae innumerae prorsus exstant.

Ut autem proportionis huius, respectu ceterarum personarum, conceptus habeatur, notare sufficit, Moysis imagines *triginta septem*, Ezechielis *quinque*, Danielis *undecim*,[1] Eliae *sex*, in praefato volumine reperiri; denique collegium apostolorum ne trigesies quidem cerni. Neque dicendum est id Romae solummodo contigisse; nam Garrucci volumen, quoad sarcophagorum anaglypta, omnia complectitur monumenta, quae suo tempore cognita erant. Christiana igitur plebs, praeter Christum, beati Petri magis quam aliorum, et ipsius Pauli, memoriam coluit, eiusque apostoli imagine potissime sculptorum ingenia sunt afflata.

2. Quaedam Petri ac Pauli communia. — Ut ipsa rei natura ferebat, communis Petri cum Paulo apud Romanam Ecclesiam apostolatus effecit, ut in quibusdam honoribus consocii duo isti apostoli prorsus essent, atque praesertim in cruciamentis divino Magistro quodammodo compararentur. Hinc est quod Paulus a militibus deprehensus aliquando inveniatur symmetrice cum Petro, item a militibus deprehenso, dispositus. Immo semel eius deprehensio atque martyrium cum captura Christi symmetrice opponuntur; quod profecto quanta eius fama fuerit luculenter probat.

Aliud est insuper hoc in genere notandum, Paulum videlicet, haud secus atque Petrum, saepe ad latus Salvatoris conspici, atque ab eo mandatum Evangelii inter gentes propagandi accipientem aliquando ostendi (Tabb. 56 et 57).

Denique illi apostoli, veluti intercessores pro defunctis saepe delineati reperiuntur sive in catacumbarum picturis, sive in sculptilibus, ubi animae imagini, orantis instar personae effictae, adsunt, praesertim in media anaglyptorum parte (Tabb. 14, p. 20; 45, p. 99 passim). Horum quidem exemplorum nullus fuit in supra dicta computatione respectus, sed, ob lineamenta utriusque propria, haud est ambigendum quin ita fuerint saepissime ambo Romanorum apostoli repraesentati; saepius vero Petrus, qui praeterea, in monumentis

(1) Agitur de Danielis effigie cibum mortiferum draconi porrigentis

omnigenis, aliquo etiam peculiari adiuncto a Paulo distinguitur, clavibus praesertim, cruce, baculo seu virga, ac volumine aperto (Cf. tabulas quae sequuntur).

3. PETRUS - MOYSES. — Quum supra ducentas duodecim Petri numeravimus imagines, plures etiam hoc numero effigies computavimus, quae quidem Moysen rupem percutientem adumbrant, sub cuius specie Petrus, novus veluti Moyses, intelligendus est; id vero nunc probandum.

Tab. 56. Petrus ac Paulus apud Christum (Sarcophagus Ravennatensis).

Notemus inprimis fontem e rupe a Moyse percussa scaturientem haud quidem historicam, in primaevis Christianorum monumentis, habuisse significationem, sed mysticam ac typicam, iuxta illa Pauli ad Corinthios verba: « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus ».(1) Re enim vera Christianae artis proprium fuit evangelicas veritates antiqui Testamenti argumentis adumbrare: quod quidem ipsius Christi et Apostolorum, necnon Patrum doctrinae concinit; quin etiam, ipsis Veteris Testamenti prophetiis respondet, inter quas unum, Isaiae scilicet, quoddam vaticinium meminisse iuvabit: « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia *scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine.* Et quae erat arida erit in sta-

(1) I *ad Corinth.* X, 4.

gnum, et sitiens in fontem aquarum ».(1) Porro indubium est, adducta verba et de messianico regno loqui futuro, et prodigiosum fontem commemorare, qui e monte a Moyse percusso manavit.

Tab. 57. Petrus ac Paulus apud Christum (Sarcophagus Vaticanus).

Ceterum fontem e petra defluentem baptismatis fontisque gratiae omnigenae symbolum exstitisse, plus est exploratum quam ut memorari oporteat. Verumtamen, quia ad monumenta, quae mox producentur, illustranda sunt apta, quaedam Patrum testimonia huc afferenda putamus. Sic Iustinus martyr, in suo cum Tryphone colloquio: « Fontem aquae vivae, aiebat, a Deo in solitudine cognitonis Dei experte, in terra scilicet gentium, scaturire fecit hic Christus »; et Tertullianus: « Haec est aqua (scilicet saluberrima baptismatis), quae de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aquas in Christo baptisma videmus benedici ».(2) Et S. Cyprianus: « Quotiescumque aqua sola in Scripturis sanctis nominatur, baptisma praedicatur, ut apud Esaiam XLVIII significari videmus... Praenuntiavit illic par prophetam Deus quod apud gentes in locis

(1) Isaias, XXXV, 6-7.
(2) Tertull. *De baptismo*, IX; *P. L.* I, 1210.

quae inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent, et electum genus Dei, id est per generationem baptismi filios Dei factos, adaquarent. Item denuo praecanitur et ante praedicitur Iudaeos, si sitierint et Christum quaesierint, apud nos esse potaturos, id est baptismi gratiam esse consecuturos: Si sitierint, inquit, per deserta adducet illos, aquam de petra producet illis, findetur petra et fluent aquae et bibet plebs mea ».(1) Et S. Hieronymus « ...Interrupit petram in eremo, sicut Moyses percussit in terreno petram, et produxit populo aquas; ita et Dominus quem Paulus percussum ait propter peccata nostra immensos nobis protulit fontes, apostolos scilicet, quos petra monstravit; et per quos fluxerunt torrentes ».(2) Et S. Augustinus: « ... Denique percussa est ipsa petra ligno, ut aqua flueret virga enim percussa est. Quare ligno non ferro? nisi quia crux ad Christum accessit ut nobis gratiam propinquaret.(3) Denique Isidorus Hispalensis: « ... Percussa enim petra, fons emanavit; percussus in cruce Christus, sitientibus lavacri gratiam et donum Spiritus Sancti effudit.

His adiungenda sunt quae in apocryphis reperiuntur scriptis, potissimum in iis quae Odae Salomonis nuncupata, nuper ab egregio Rendel Harris primum evulgata sunt, atque ad primum saltem saeculum attinent Christianum. Ibi inter alia legimus: « Aquis e vivente Domini fonte replete vos, quia omnibus ipse apertus est. Omnes sitientes venite, sumite potum et requiescite iuxta fontem Domini, pulcher enim est ac purus, saturatque animam... ».(4) In ode vero decima prima sic dicitur: « Aqua loquens appropinquavit labiis meis, de Domini fonte, munifice. Et ego bibi, et aqua vivente et immortali inebriatus sum; ebrietas autem mea non fuit sine scientia... Domini munere dives factus sum ». Quanta inter haec et Pectorii inscriptionem est congruentia: « Tuam, amice, foveto animam aquis perennibus

(1) S. Cypr. *Epist. ad Caecilium*, c. 8; *P. L.* IV, 379.

(2) S. Hier. *In Psalm.* LXXVII; *P. L.* VII, 1049.

(3) S. Aug. *Serm.* 352, c. 1.

(4) Od. XXX, 1-3. Latine textum reddendo, Gallicam I. Labourt interpretationem ad litteram sequuti sumus. Cf. *Revue biblique*, 1910-11.

sapientiae largientis divitias »![1] Justini autem aliorumque verbis supra allatis haec odes sextae respondere videntur: « Quia rivus exivit et factus est torrens magnus et latus... Et omnes sitientes qui sunt in terra biberunt, et sitis expleta est et extincta, quia altissimus est qui potum donavit ».

Hinc est profecto cur haec fontis effigies symbola eucharistiae constanter praecedat, atque in ipsa de saxo defluente aqua pisciculus a piscatore captus apud monumenta appareat: « Nos, inquit Tertullianus, pisciculi, secundum ΙΧΘΥΝ nostrum, Iesum Christum, in aqua nascimur[2] » ; atque Clemens Alexandrinus: « Sint autem nobis signacula columba, vel piscis, vel navis;... et, si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli et puerorum, qui ex aqua extrahuntur ».[3]

Iam vero quisnam erit hic a Clemente Alexandrino appellatus apostolus? Dubium dari nequit, quin de Petro agatur; non solum quod a Christo illa verba audierit: « Ex hoc homines eris capiens »,[4] sed quia antonomastice Petrus piscator evangelicus habetur.

Nihilominus, si ex Pauli doctrina rupes Christus est, et fons inde scaturiens potus spiritualis, seu gratia, praesertim baptismi gratia, quae *gratiae* vocabulo simpliciter a priscis nuncupabatur Christianis, cuiusnam figura erit Moyses? Si ex ipsa rerum comparandarum natura similitudo erui debeat, nemo, nisi Petrus, Moysis specie adumbrari dicendus est. Quisnam enim novus Moyses, id est novus Dei populi dux ac legislator reputari poterit, nisi Petrus?

Sed, ne probatum immerito habere dicat quod probandum sumpsi, hanc inter Moysis ac Petri personas similitudinem aliunde evincam. Petri nempe concepta idea ac fontis gratiae summaeque potestatis cogitatio ita erant ex vulgi opinione coniunctae, ut, saeculo quinto, in quibusdam Romanis catacumbis, *fontium sancti Petri*, — *nympharum sancti Petri* seu

(1) *Notiones*, vol. II, pars 1, p. 169.
(2) Tertull. *De baptismo*, I; *P. L.* I, 1203.
(3) Clem. Alex. *Pedag.* 3, 11; *P. G.* VIII, 634.
(4) Luc. V, 10.

loci ubi Petrus baptizaverat, — sedis ubi prius sedit santus Petrus apostolus, insignes memoriae essent.

Patres vero haud aliter hac de re opinati sunt. Sic, exempli gratia, Maximus Taurinensis ait: « Per Christum Petrus factus est petra ; nam, sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit e petra, ita in universo mundo, perfidiae ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferae confessionis emersit ». (1)

Tab. 58. Cuppae fundus auro pictus, qui in Museo Vaticano asservatur.

Et sane, inter ea quae Patres excogitarunt ut omnem potestatem ecclesiarum ab ecclesia Petri manare ostenderent, aquae fontisque similitudo saepe reperitur, « a Petri potestate debeant sumere ceterae ecclesiae velut de natali suo fonte aquae cunctae procedunt ». (2)

Audiatur Leo Magnus : « Multo est dignius ad beatissimi Petri apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere,... qui ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irri-

(1) S. Maximi, *Opp.* ed. Romae 1784, p. 219.

(2) Cf. *Coll. epist. roman. e pontif.* edit. Constantii, *Ep. Bonifacii papae IV*, n. XV.

gationibus inundatus, ut, cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit ». (1)

Sed explicatius Moysis ac Petri coniunctionem alia testimonia declarant. Ne loquar de Actis apocryphis Processi et Martiniani, in quibus Petrus revera, quasi Moyses, carceris parietem percutiens describitur, ut aquam inde scaturientem ad duos carceris custodes aliosque baptizandos adhibeat, paucis



Tab. 59. Cuppae fundus auro elaboratus (Biblioth. Vat.)

abhinc annis quoddam subditicium in lucem venit evangelium, quod antiquissimum a pluribus existimatum, atque illud esse duodecim apostolorum evangelium, iam saeculo secundo notum, reputarunt; verius tamen saeculo tertio ex antiquiori parte videtur tribuendum, licet antiquius archetypum supponat. (2) Porro, in hoc scripto, ubi de Petri dignitate est sermo, haec leguntur: « Quum Petrus magnos hos recepit honores,

(1) S. Leo, *Sermo III* habitus in anniversario suae assumptionis ad pontif. c. II.

(2) Cf. C. Schmidt, ap. *Göttingische Gelehrten Anzeigen*, 1900 (n. 6) p. 481–506; et Baumstark, ap. *Revue biblique*, 1905, p. 245–265.

eius facies illuminata est, ac veluti sol ante apostolos resplenduit, vel *sicut Moyses tunc temporis* ». (1)

Quodcumque sit huius textus momentum, illud indubium apparet, ibi apocryphum de vulgari opinione testari, iuxta quam, saeculo saltem secundo, Petrus Moysi assimilabatur, et ista quidem opinio diu perseveravit; nam, praeterquam apud Augustinum, ut infra videbimus, vel apud Aegyptios saeculi quarti monachos invenitur, quum in vigesima sexta homiliarum quae beato Macario accensentur, ista legantur: « Postea Moysen excepit Petrus, cui nova Ecclesia Christi ac verum sacerdotium commissum est ». (2)

Tab. 60. Figura graphio ducta in quadam patera in Dalmatia reperta.

Sed ad monumenta veniamus.

Primum locum duo cupparum vitrearum fundi obtineant, in Romanis coemeteriis inventi, atque nunc in Vaticana bibliotheca asservati. In utroque enim Petri imago efficta est, veluti novi Moysis, virga percutientis rupem, e qua rivus aquae profluit. Effigies auro elaboratae sunt, persona vero Petri ideo innotescit, quia nomine suo insignita utroque in exemplari cernitur (Tabb. 58, 59). (3)

Aliud pretiosissimum huius generis monumentum quaedam est vitrea patera apud Dalmatiam inventa, in qua, inter alia biblica argumenta, Petri quoque figura apparet, virga arborem percutiens e qua rivus manat. Hic etiam dubium omne inscriptione, qua imago munita est, solvitur; nam retro ac supra Petri capite legitur: *Petrus virga perquodset, fontis ciperunt quo-*

(1) Revillout, ap. *Revue biblique,* 1904, p. 324.
(2) Macarii Aegyptii, *Homilia XXVI,* 23; *P. G.* XXXIV, 690.
(3) Cf. *Notiones archaeologiae Christ.* vol. II, pars secunda, p. 160.

rere; id est: « Petrus virga percussit, fontes coeperunt currere ». (1) Inscriptio ista, e *Numerorum* vigesimo libro eruta est, in quo dicitur: *Cum elevasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressae sunt aquae largissimae.* (2)

Ecce cur, tam saepe et ubique, in antiquis artis Christianae anaglyptis, hoc Moysis argumentum apparet ac constanter Hebreorum legislator speciem eam, sub qua Christiani artifices Petrum solebant effingere, prae se fert ita ut facile sit animadvertere Moysen ac Petrum unam eamdemque esse personam.

Erit fortasse tamen qui dubitet quominus revera Moysis imago in saeculi secundi catacumbarum picturis Petri cogitationem praebeat. Profecto neque nos id decretorio modo asseverare audemus; nihilominus haec plane animadvertenda sunt: Moysen scilicet tunc solum revera adesse, cum transitus maris Rubri aliaque in deserto patrata miracula cernuntur. Tunc enim historice repraesentatur, ac, quaecumque horum argumentorum sit interpretatio adhibita, haud tamen eius significatio personae ad aliam innuendam personam transfertur (Tabb. 16, 17, 61). Quando autem solius viri rupem percutientis est delineata imago, quomodo eam pro Moysis accipere imagine licebit, cum nomen Petri super eius capite appareat, aut ipsa fontis scaturientis adumbratio cum baptismatis symbolis sit connexa, uti in sacramentorum cubiculis apud Callistianum coemeterium videre est? Praeterea, anaglyptum tabula 62 repraesentatum ad saeculum saltem pertinet tertium, si quidem non ad secundum, ibique Petrus rupem sicut Moyses percutit, ac deinde a vexatoribus deprehenditur. Itaque haec Petri cum Moysi assimilatio antiquissima est.

Patera, de qua supra, aliquid refert, quod difficile explicatu videtur: nempe haud quidem e rupe, sed ex arbore fontem salutarem elicit. Quidnam hoc sibi velit, adhuc inter archaeologos non satis constat; sed unum certe demonstratur, hanc effigiem nempe alias efficies imitari, quae multo illa exstent antiquiores; proin-

(1) Ibidem, tab. CXXXV.
(2) *Num.* XX, 11.

Tab. 61. Transitus maris Rubri.
(Anaglyptum ligneum portae ecclesiae S. Sabinae.)

deque sensum imaginis, ut supra explicavimus et in patera inscriptione declaratur, eumdem esse atque apud anaglypta in quibus inscriptiones desunt, sed quae eamdem arboris exhibent figuram [1] Ceterum quod mystica prorsus eiusmodi sit fontis imago, eo patet, quod in quodam Arelatensi sarcophago, necnon alibi, fons, qui non e rupe sed e caelo defluere videtur, baptismatis lavacro adhibeatur, ac supra nudum adolescentem eius aqua labatur, dum duo alii iuvenes adsunt bibentes. [2]

Tab. 62. Sculptile musei Lateranensis.

Totius itaque huius articuli conclusio haec erit: Petrum uti novum Moysen, novum populi Dei ducem, legislatorem et caput apud priscos Christianos habitum fuisse; quod quidem his versibus, quos Constantinus Augustus triumphali arcui basilicae Vaticanae inscribendos curaverat, expressum invenimus:

QVOD DVCE TE MVNDVS SVRREXIT IN ASTRA TRIVMPHANS
HANC CONSTANTINVS VICTOR TIBI CONDIDIT AVLAM

4. Petrus a fidelibus adorandus. — Ne cui mirum videatur nos de Petro a fidelibus « adorando » loqui; sensu enim verbum « adorari » eodem volumus intelligi quo, apud Orien-

(1) Arborem Christi crucem significare haud inepte affirmat Garrucci. At plura sunt, in his Petri adumbrationibus, quae melius clariusque Moysis cogitationem excludunt, sed quae minime propterea clara evadunt, ac fortasse ad apocrypha aliqua pertinent scripta, ad nos usque non tradita. De his infra erit sermo.

(2) Garrucci, IV, 398 n. 9.

tales regiones, reges ac proceres venerabantur subditi, et quo saepe in ipsa Scriptura sacra usurpatum invenitur.

Plus semel ab antiquitatis Christianae peritis notatum est, tum viros qui ad prodigiosum e rupe a Petro percussa scaturientem fontem sitim expleturi veniunt, tum eos qui Pe-

Tab. 63. Anaglyphum eburneum.

trum ipsum deprehendunt et ad carcerem vel martyrium rapiunt, eodem esse modo vestitos; tunicam nempe succinctam, bracas, caligas et chlamydem gerunt, atque saepe pileum; raro vero ensem vel baculum. Milites igitur esse videntur tam illi qui apostolum vexant, quam qui eius beneficio ac miraculo fruuntur; idque certissimum eo patet quod, in sarcophagorum anaglyptis et in nonnullis aliis monumentis, milites qui Christum abducunt vestimentum simile plerumque gestent. (1) Item et qui in quodam arcus Constantini, Romae iuxta amphithea-

(1) Garrucci, V, 322, n. 2; 316, n. 1.

Tab. 64. (Mus. Arelat.).

trum Flavium, sculptili, triumphalem sequuntur pompam, armis insignibusque, non secus ac ceteri Romani milites, muniti sunt. Hos ergo, de quibus loquimur, viros haud immerito milites legionis Palaestinensis egregius A. Monaco (1) vocavit, atque ideo prorsus differunt a Iudaeis mare Rubrum transeuntibus aut apud alia Mosaica argumenta adstantibus, prout in ipsis, sive marmoreis, sive ligneis anaglyptis repraesentantur. In his enim Iudaei nunquam chlamydem, sed plerumque paenulam portant, quae apud Romanos vestis erat viatoria, aut aliud super tunica habent palliolum pastorum venatorumque proprium. (2) Haec sane differentia, dum ex una parte novam facessit interpretari volentibus difficultatem, Moysis personam saltem omnino excludit, ac Petri personam ibi esse plane confirmat.

Porro, aliquando, ut in quodam apud Cadurcum (Cahors) sarcophago invento, et in Are-

(1) *N. Bull. di arch. crist.* 1907, pp. 55–61.

(2) Garrucci, V, 308, n. 1–5; 309, n. 1–4; 366, n. 2.

latensi altero (Tab. 64),[1] dum Petrus aquam manantem commonstrat, vir cernitur quidam ad eius pedes provolutus, eodem prorsus modo quo fideles ac defuncti ad Christi pedes venerabundi ac prostrati conspiciuntur. Quod autem ita provoluti iidem sint qui biberint, ac summo illo beneficio gavisi sint, id evidenter patet quodam saeculi secundi aut tertii Lateranensi sarcophago, in quo, tres ad fontes bibentes cernuntur viri, qui postea, Petri deprehensi ad pedes sunt prostrati, perinde quasi ne ille auferretur, impedire vellent, illumque adorarent. (Tab. 62).

Tab. 65. (Mus. Britann.

Hic rerum adspectus quamdam nuper prolatam omnino excludit sententiam qua Petrus, in aliis eiusmodi argumentis, haud quidem deprehensus a militibus, sed ab istis interrogatus ac negans se Christum cognovisse effictus esset. Verumtamen egregius Becker, cuius est haec sententia,[2] haud novi quicquam protulit, sed e cineribus errorem revocavit Arinhi, qui ita hoc descripsit argumentum: « Petrus, ad ignem se calefaciens, a Praetorii militibus an Christum nosset interrogatus, et a quodam huius rei causa velut delicti conscius, iamiam alligandus describitur ».[3]

(1) Garrucci, V, 380, n. 2-3.

(2) Erich Becker doct. phil., *Das Quellwunder des Moses in der altchristlichen Kunst.* Strassburg, Hertz, ed. 1909.

(3) Aringhi, *Roma subterranea*, t. posterior, p. 398. — Becker sententiam apte clarissimus Marucchi refutavit, cuius verba huc afferri libet: « Questa scena fu interpretata dal Ficker per la ' Bedrängung Moses ' cioè

5. Petri cathedra et virga. — Argumenta quae supra recensita sunt aliam sibi vindicant significationem, nempe quatenus cathedrae cogitationi aliquando coniuncta sunt, scilicet ipsius beati Petri cathedram veluti legis divinaeque doctrinae ac potestatis fontem exstare memorant. Nota sunt S. Cypriani de Petri cathedra verba quae in eius *De unitate Ecclesiae* tractatu leguntur, scilicet: « Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? »; et in quin-

la violenza fatta a Mosè. (Nel suo libro *Die antiken Bildwerken des lateranischen Museums*); mentre il Garrucci, il De Rossi e l'Allard vi riconobbero la scena dell'imprigionamento dell'apostolo Pietro in Gerusalemme.

« Per la spiegazione data dal Ficker si presenta subito la difficoltà che l'atteggiamento dei due personaggi i quali pongono in mezzo l'uomo barbato non è quello che dovrebbero avere gli Ebrei nel domandare l'acqua a Mosè ma è invece l'atto di due uomini i quali trascinano via violentemente un altro.

« Ed il Becker riconosce anch'egli che la scena suddetta della figura barbata posta in mezzo ai due Ebrei contradistinti dal consueto berretto non può riferirsi alla ' Bedrängung Moses ' supposta dal Ficker, e dichiara che ivi quella figura barbata deve essere quella dell'apostolo Pietro. E questo è già un progresso nello studio della presente questione. Egli però vuol dare a quel gruppo una spiegazione nuova e sostiene che esso sia una riproduzione del momento in cui l'apostolo interrogato dai servi del pontefice nega di conoscere Cristo; ed aggiunge esser questa scena il complemento dell'altra rappresentata pure spesso sui sarcofagi in cui il Salvatore predice a Pietro il suo tradimento.

« Per quanto debba riconoscersi ingegnosa la spiegazione del Becker essa non mi sembra accettabile per più ragioni. Per prima cosa osservo che se gli artisti cristiani non ebbero difficoltà di rappresentare l'annunzio della negazione perchè essa per la presenza del gallo ricordava anche il pentimento di Pietro. (« Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat Prius quam gallus cantet, ter me negabis: et egressus foras flevit amare », (Matth. XXVI, 75), ad essi però avrebbe ripugnato di riprodurre e di ripetere così spesso sui loro monumenti proprio l'atto stesso della debolezza e della caduta dell'apostolo. Ma inoltre l'atteggiamento delle figure nel gruppo in questione non corrisponde al racconto evangelico. In primo luogo avendo avuto tanta parte in quel fatto le due « ancillae ostiariae » perchè mai in nessuna di quelle rappresentanze si vede una donna che interroga Pietro? E di più il gesto dei due Ebrei non è quello di chi interroga ma di chi trascina via violentemente una persona, ed il gesto di

quagesima quinta epistula: «... Ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est (conveniendum)».

Quaedam saeculi quarti metrica inscriptio ad baptisterium basilicae Vaticanae adposita hunc versum aliunde ferebat:

VNA PETRI SEDES VNVM VERVMQUE LAVACRVM

Iam autem supra animadvertimus, vel in coemeteriis ubi rite creditur Petrus ministerio apostolico fuisse functus, sedis

Pietro non è mai quello di chi nega o di chi protesta, come egli fece in quel caso restando fermo nell'atrio del pontefice, ma di chi viene violentemente trasportato da un luogo ad un altro. Ed è a notare che gli artisti cristiani riprodussero chiaramente in questi stessi sarcofagi il gesto di Pietro che protesta innanzi a Cristo di non tradirlo, onde il medesimo gesto avrebbero a lui attribuito nel gruppo in questione se vi avessero voluto esprimere pure l'atto di negare o di protestare. «Tunc coepit de-«testari et iurare quia non novisset hominem». (Matth. loc. cit.).

«Si aggiunga pure che in quel gruppo Pietro ha quasi sempre in mano il bastone che è indizio di autorità ed anche talvolta il volume che allude al ministero dell'insegnamento; e questi particolari se si addicono assai bene alla scena dell'imprigionamento dell'apostolo, il quale fu messo in carcere da Erode Agrippa appunto per il ministero e per l'insegnamento da lui esercitato, non possono però convenire alla rappresentanza di quell'altro momento storico quando Pietro che non aveva ancora alcuna autorità seguì timidamente e di nascosto il Maestro nell'atrio del pontefice ed ivi sedeva aspettando l'esito «et sedebat cum ministris «ut videret finem» (Matth. XXVI, 58).

«Finalmente osserverò che se il significato di questo gruppo fosse quello supposto dal Becker noi dovremmo trovare questa scena sempre unita a quella dell'annunzio della negazione. Invece, mentre talvolta queste due scene sono contigue, perchè appunto ambedue si riferiscono a Pietro, esse però sono altre volte separate ed intramezzate da scene diverse, come può vedersi in alcuni sarcofagi del museo lateranense.

«Concludo pertanto che la spiegazione fino ad ora più verosimile per il contrastato gruppo posto accanto a quello del Mosè – Pietro percuotente la rupe, è quella già data dal Garrucci, dal De Rossi e dall'Allard, che cioè esso rappresenti la prigionia dell'apostolo in Gerusalemme; e che questa prigionia fu posta in relazione al concetto del suo apostolato, delle persecuzioni contro la Chiesa in lui personificata e dell'autorità di lui come novello Mosè e condottiero del popolo cristiano il quale dalla rupe, simbolo di Cristo, fa scaturire l'acqua mistica dei sacramenti». (Cf. N. *Bull. di arch. crist.* 1910, pp. 182–183).

ac fontis memorias exstitisse. Haud aliter Patres loquuntur, licet fontis cogitatio non semper eodem ab illis intelligatur sensu. Sic Optatus Milevitanus: « Fontem, – ait – unam esse de dotibus, unde haeretici non possunt vel ipsi bibere vel alios potare, quia sigillum integrum, id est symbolum catholicum non

Tab. 66. (Mus. Lateran.).

habentes, fontem verum aperire non possunt »; de fonte autem ac de aliis dotibus concludit: « Ea esse in Ecclesia *per cathedram Petri quae nostra est* ». (1) Et Innocentius I, ad Africanos episcopos scribens, cathedram Petri « *natalem fontem* vocat, *unde aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant* ». (2) Quae quidem verba cuiusdam videntur vitrei monumenti commentarium, in quo rupi, iam percussae ac fontem mananti, cathedra appli-

(1) Opt. Mil. *De schismate Donat.* II, 9.
(2) *Collect. epist. rom. pont.* ed. Constantii, p. 866.

cata est (Tab. 65); necnon sane notandum, arborem ibi monti eminere, perinde ac in tabula 25 anaglyptum pulcherrimi cuiusdam Lateranensis sarcophagi referente, et in summitate cathedrae Christi monogramma esse effictum. Haud supervacuo quoque dicetur, in sarcophagorum anaglyptis, quae ceteris generatim anaglyptis antiquiora sunt, praeter Christum et apostolorum collegium, praeter Heroden ac Nabuchodonosor, ut reges, praeter Caipham, Pilatum, Danielem, ut iudices, praeter postremo Mariam ut Salvatoris matrem, Petrum ita solummodo sedentem in throno, seu cathedra, exhiberi, dum nempe Christus ei pedes lavaturus adest (Tabb. 34, 35, p. 64).

Sed et virgae cogitatio his argumentis natura coniuncta est: videlicet, non solum dum, Moysis instar, petram percutit, virga praeditus est Petrus; verum etiam dum a Iudaeis deprehenditur et (quod prorsus incredibile videtur) dum Christus triplicem ei praedicit aut improbat negationem. Tunc enim Petrus aut doloris elicit actum, dexteram ad mentum ferens, vel retro vertens, (1) aut videtur, post negationem, se praedictionis recordari, indicem ad nasum aut ad mentum applicans. (2) In ipsa tamen hac apostoli ignavia et infirmitate, eius apparet principis ac magistri dignitas; idque vel clarius patebit si animadversum fuerit, post hanc repraesentationem statim plerumque Petri persecutionem patientis argumentum sequi, ac denique ipsum etiam Petrum aquam e rupe educencentem apparere (Tabb. 32, p. 60; 50, p. 115; 66). Profecto haec omnia Augustini quaedam in mentem revocant verba, quibus hunc septuagesimi septimi psalmi explicat versiculum. « . . . *Qui disrupit in deserto petram, et adaquavit eos sicut in abysso multa, et eduxit aquam de petra* ». En quippe clari doctoris commentarium: « Potest utique sitienti fidei donum-

(1) Verum quidem est semel et Paulum in coemeterio Domitillae sedentem apparere, sed tunc simul cum Petro; at Petrus solus sine Paulo pluries sedens apparet, atque insuper, in quadam pyxide eburnea, dum sedet baculum fert, velut auctoritatis signum (Tab. 67).

(2) Sunt qui hunc gestum verba illa: « Etiamsi oportuerit mori tecum non te negabo » innuere arbitrentur.

Spiritus Sancti, quod illa res gesta spiritaliter significabat, infundere de spiritali sequente petra, quod est Christus, qui stabat, et clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me, et qui biberit de aqua, quam ego dabo, flumina aquae vivae fluent de ventre eius.* Hoc enim dicebat, sicut in evangelio legitur, de Spiritu

Tab. 67. (Mus. Berolin.).

quem accepturi erant credentes in eum; ad quem velut virga lignum passionis accessit ut emanaret credentibus gratia ». (1)

Sed magis adhuc perspicue explicateque Petrum Moysi Augustinus assimilat; quippe qui haud tantum Hebraeorum duci, e saxo aquam virga elicienti, sic aliquatenus apostolum aequiparet, sed etiam Moysis, in deserto diffidentis, dubitationem ut negationis Petri similitudinem accipiat, ac Petri ad

(1) S. Aug. *In psalm.* LXXVII, n. 13.

suummam potestatem post fidei suae confessionem evehendi, in Moyse, apud montem Nebo moriente, figuram inveniat: « Video enim ait, et post illam dubitationem, et post iram Dei, et post minas mortis, et post remotionem ab introductione populi in terram promissionis, multa Deum sic dicere ad Moysen, tamquam ad amicum, quomodo et antea loquebatur: usque adeo ut ipsi Iesu novae obedientiae exemplum de Moyse proponatur, et hoc eum moneat Deus ut sic ei serviat, quomodo servivit Moyses: et sic se pollicetur cum eo futurum, quomodo cum Moyse. Evidenter, carissimi, constringit nos ipse Deus, non passim deprehendere sed intelligere dubitationem Moysis. Figura petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura et Moyses dubitans. Et ibi dubitavit ubi percussit. Hinc facta est dubitatio Moysis quando lignum accessit ad petram. Iam veloces praevolant (intelligentes), imo tardos patienter expectent. Dubitavit Moyses quando lignum accessit ad petram: dubitaverunt discipuli quando viderunt Dominum crucifixum. Horum figuram gerebat Moyses. *Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitavit? Quia lignum petrae propinquavit. Cum mortis suae genus, id est, crucem ipsam praenuntiaret Dominus, ipse Petrus expavit*: « Absit a te, Domine, non erit hoc. (MATTH., XVI, 22). Dubitas, quia petrae imminere virgam vides ».[1] Ac paulo post: « Iam ergo illa dubitatio, quae nata erat ad petram, in monte moriatur. Agnoscant discipuli salutem suam, revocent spem suam. Attende quemadmodum moriatur illa dubitatio, attende quemadmodum moriatur Moyses in monte. Non intret in terram promissionis: nolumus ibi dubitationem; moriatur, ostendat nobis eam Christus mori. *Trepidavit Petrus, et negavit ter. Petra enim erat Christus. Resurrexit, mons factus est, firmavit et Petrum. Sed moritur dubitatio. Quomodo moritur? Petre, amas me?* (IOANN. XXI, 15). *Cordis inspector, cordis cognitor interrogat; et vult audire quod ametur, et parum est semel. Interrogat hoc, audit prope cum taedio ipsius Petri:*

(1) S. AUG. *Sermones*, IV series, CCCLII, 4.

miratur enim interrogari se a praescio, sed etiam totiens interrogari cum semel sufficeret respondere etiam nescienti.

« Sed tamquam tibi diceret Dominus: Expecto, numerus legitimus impleatur; tertio confiteatur per amorem, quia ter negaverat



Tab. 68. Anaglyptum musei Lateranensis
(Ex photographica Dr. Styger repetitione).

per timorem. Quod ergo Dominus totiens interrogabat, dubitationem illam in monte occidebat ». (1)

Sunt autem qui Petrum baculum habere dicant haud quidem ad eius principatum significandum, sed quia, perinde ac Christus, miracula operatur. Esset videlicet baculus nihil aliud quam virga, ut Graece dicitur, thaumaturga. Sed huic coniec-

(1) S. Aug. loc. cit. 5.

turae facile est respondere: nam Christus baculum adhibet cum mortuos ad vitam revocat, vel panes ac pisces multiplicat, aut aquam in vinum vertit; Petrus contra, dum virgam non habet cum viduam Tabitham a morte excitat,[1] ea praeditus aliquando cernitur cum a militibus deprehenditur, cum ei Christus triplicem negationem praedicit (Tab. 68), et etiam alias, ut in quadam pixide eburnea musei Berolinensis (Tab. 67).

Cathedra igitur, quae dignitatem ac potestatem significat, necnon virga, qua, praeter Christum, Moyses ac Petrus uti rectores ac duces solummodo praediti sunt, satis ostendunt quid de Petri auctoritate prisci Christiani cogitaverint: re vera enim novus Moyses, novus populi Dei dux, legislator et caput Petrus habitus est.

6. ARGUMENTA QUAEDAM, QUAE, ETSI INCERTA, AFFINEM HIS, QUAE SUPRA EXPOSITA SUNT, SIGNIFICATIONEM VIDENTUR HABERE. — Haud raro, in sarcophagorum anaglyptis, vir sedens apparet, volumen tenens manibus, et sibi adstantes habens duos Palestinensis legionis milites; horum vero militum alter plerumque, pone quamdam arborem latitans, quid eveniat attente observat, aut aliquando, stans retro, manus in sedentem, eum quasi deprehensurus infert, dum alter vel sedentem a lectione distrahit, vel ei audacter conviciari videtur (Tab. 69). Quandoque etiam tertius miles adest, ad pedes sedentis quasi vellet deosculari provolutus;[2] semel etiam volumen Christi monogrammate est insignitum, semel, denique, ipse Christus viro adest sedenti, eique, ni fallor, docendi munus committit.[3]

(1) GARRUCCI, V, 353, n. 2; 400, n. 8. Perraro etiam Ezechiel effictus videtur, mortuos tangens virga.

(2) GARRUCCI, V, 378, n. 3.

(3) En ea de re quid, in docta quadam ad me directa epistula, D.r Styger, amicus meus, scribebat: «Quod igitur ad primam illam Petri figuram attinet, sedentis scilicet sub arbore et volumen legentis dum a duobus militibus circumdatur, non importunum esse censeo si imprimis analysim quamdam instituam circa singulas actiones in quibus tum Petrus tum milites cernuntur: *Petrus in loco quodam publico doctrinam legis christianae tradens et a militibus deprehensus exhibetur.* Quae singula ita probo: 1. Dixi *in loco quodam publico,* adest enim ibi arbor, quae nonnisi tria signi-

Quidnam hic significetur facile adamussim dicere non est; attamen ad Petrum apostolum ea pertinere propter similitudinem quam cum prodigiosi fontis argumento habent nos vehe-

Tab. 69. Anaglyptum musei Lateranensis (Ex phot. D.r Styger repetitione).

ficare potest: locum campestrem, aut paradisum, aut arborem vitae. Secunda et tertia significatio omnino symbolica est et ideo in casu nostro excludenda. Restat ergo prima. 2. *Petrus tradit doctrinam legis christianae.* Dubium non est, quin per volumen expressa sit lex christiana generatim, uti patet ex monogrammate Christi quod in sarcophago quodam Arelatensi cernitur. Deinde Petrus repraesentatur legens, non vero cum volumine clauso vel cum scrinio et fascibus; et sic non de symbolica aliqua agi vel typica significatione apparet. 3. *Petrus a militibus deprehensus.* Viri illi qui adstant sedenti apostolo, nequaquam doctrinam eius approbare videntur; sed unus eorum iam manum suam ponit ad volumen et ita revera optime indicavit artifex qua de causa milites venerint, ad impediendum scilicet quominus Apostolus in legendo pergat. Alter vero militum veluti absconditus et insidias praeparans cernitur. Nonne haec repraesentatio perfectam similitudinem exhibet cum anaglypto illo in Lateranensi museo asservato, ubi Susanna tentatur a sene quodam, qui, etiam subter arborem stans, caput suum inter ramos abscondit? ».

menter suspicamur. Etenim, vir sedens Petri imaginem prae se fert; milites autem eodem modo ac in aliis, quae Petrum memorant, argumentis vestiti sunt, ac non absimiles, partim venerationis, partim contentionis seu saevitiae, gestus agunt. Cum aliunde in pluribus reperiantur anaglyptis, certo defunctum privatum aliquem non respiciunt.

Haec mihi, nempe de Petro, vera videtur interpretatio, licet quorumlibet adiunctorum rationem reddere non assumam, neque revera in iis, quae de apostolo Petro sacra Scriptura narrat, quidquam, quod huic historiae lucem afferat, valeam invenire; (1) Ista forsan ex apocryphis quibusdam pendent scri-

(1) Egregius Styger ad eiusmodi historias explanandas sufficere ea censet quae in actis apostolorum apocryphis reperiuntur, nempe apud *Martyrium beati Petri Apostoli a Lino episcopo conscriptum*, ubi haec leguntur: «... Sed et custodes carceris, Processus et Martinianus cum reliquis magistrianis et ex officio iunctis postulabant eum (Petrum), dicentes: DOMINE, QUO VIS ABSCEDE, quia imperatorem oblitum tui iam credimus... nam, postquam nos credentes in hac vicini Mamertini custodia, *fonte* precibus et admirabili signo crucis de rupe producto in sanctae Trinitatis nomine baptizasti, licentiose, quo libuerat, perrexisti et nemo tibi fuit molestus, nec modo esset... quapropter *oramus te... in salutem tantae plebis abscedas...*».

Opinio ista plane non est spernenda, et si integre admitti nequeat, nihilominus rem acu quodammodo tetigisse dicenda est, nimirum quatenus ab apocryphis scriptis argumenta illa quoad formam esse repetenda docet. Secus enim minime explicaretur milites constanter his in historiis cerni. At vero, textus, quo sculptilia nostra explicari praesumitur, sive quia historice dumtaxat res accipienda foret, sive varium propter modum quo ipsa efficta apparet, sive propter quaedam argumenti adiuncta, haud multum probare videtur. Etenim, non de baptizandi actione, sed de potatione illis in sculptilibus agitur; sensus proinde mere historicus excludendus, iamque allatus textus aptari nefas. Milites Petrum tamquam latronem deprehendere videntur, hic autem modo e monte, modo ex arbore aquam exprimit; haudquaquam vero e pariete carceris quamtumvis saxeo praeruptoque. Ubi igitur est arbor locus significatur apricus, a quo carceris cogitatio amovenda: poterit tamen adhuc custodiam innuere, sed hoc a textu proposito abhorret. Secus profecto si foret, apocryphum illud scriptum multo esset omnium sententia antiquius, cum sculptile tabula 62 adumbratum, in qua Petri historia conspicitur, ad saeculum saltem pertineat tertium, ut supra diximus.

ptis quae ad nos usque non pervenerunt, nisi dicere velis ipsas apocryphas de Petri casibus narrationes ex anaglyptorum argumentis profluxisse; quae quidem ultima opinio licet a docto viro nuper prolata, nobis parum placet.

Denique, cum in quodam sculptili, haec argumenta exhibente et nunc apud Lateranense museum iacente, figurarum

Tab. 70. Anaglyptum Lateran. inscite restitutum.

capita temporis seu hominum iniuria truncata essent, ista tam inscite suppleta sunt ut, loco viri barbati sedentis, Christus substitutus sit docens, ac milites apostoli, verba Magistri audientes, falso evaserint (Tab. 70).[1] Nec desunt, quod peius est, qui, secundum hunc sensum, hodieque imaginem illam interpretentur; unde opportunum visum est restitutionem quamdam, nobis ab amico carissimo Dr. Styger exhibitam, studentibus proponere, ne et ipsi huius hodierna sculptilis specie decipiantur (Tab. 71).

(1) Garrucci, V, 367, n. 1.

7. PETRUS LEGIS CUSTOS AC CAELORUM CLAVIGER. — Ut notum est, Christus, apud Lucam, (1) futuram praedixit in communi apostolis tentationem circa fidem : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : »; deinde affirmavit Petro se speciali modo orasse pro eo, ne fides eius deficeret : « Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides

Tab. 71. Restitutio Dr. Styger.

tua ». Denique subiunxit : « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Ultima haec verba priorum verborum gratia prolata sunt; nam ideo poterit Petrus fratres suos in fide confirmare, quatenus eius fides nunquam deficiet. Neque fides hic solummodo intelligenda est velut propria apostoli fides, sed ut ipsius legis divinae certa atque sine errore cognitio, unde ipsa lex, quasi e scrinio ubi deposita fuerit, depromi pro opportunitate possit atque ad ceteros confirmandos declarari.

Porro, fidei hoc depositum, e quo depromere summi Pon-

(1) Luc. XXII, 31.

tifices dicuntur, quoties aliquid *ex cathedra* seu modo *infallibili* pronuntiant, eloquentissime in primaevis monumentis adumbratum est; immo eo modo qui perfecte Petri personae congrueret, utpote Moysis personae assimilatae. Moyses enim legem a Domino in monte Sina accepit: Petrus, cuius Moyses figura fuit, a Christo stante in monte, vel in throno sedente, legis divinae volumen accipiet (Tabb. 13 p. 19, 34 p. 64, 35 p. 70, ... passim). Ne autem de natura voluminis traditi Petro dubitaretur, artifices aliquando, in volumine explicato, scripserunt:

DOMINUS LEGEM DAT (1).

(1) Id praesertim in musivis operibus et in pateris fundisque cupparum reperitur. (Cf. GARRUCCI, I, p. 395). Cum vero legis traditio Paulo praesente plerumque sit adumbrata, ipsique Paulo quandoque, adstante Petro iam regno caelorum claves retinente, Christus volumen involutum porrigat, hinc sine dubio error exortus est ille, ut scilicet Petrum ac Paulum scripta de arte magica disserentia a Christo revera recepisse quidam saeculo quarto et quinto haeretici crederent. Id quidem S. Augustinus iam ex parte notaverat, cuius verba pulchramque erroris huius refutationem praestat referri: « 15. — Quid quod etiam divino iudicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant, tamquam epistolari titulo praenotatos. Et fieri potest, ut sive inimici nominis Christi, sive qui eiusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi et Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic excaecati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur ».

« 16. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos qui ei familiarius adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur; et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et apostolos eius non in sanctis codicibus sed in pictis parietibus quaesierunt; nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius, quem post passionem suam, post resurrectionem, post adscensionem, post missum de caelo Spiritum Sanctum, post multorum

In quibusdam musivis picturis Romae, apud mausoleum quod S. Constantiae vocant, iuxta viam Nomentanam, saeculo quarto, ut videtur, elaboratis, hinc Moyses a Domino legis antiquae explicatum volumen accipit; illinc vero Christus in monte, adstante Paulo, novae legis volumen explicatum porrigit Petro. (Tabb. 72, 73). (1)

Ravennae autem, prima saeculi quinti parte, iussu episcopi Neonis, duae depictae sunt tabulae, quarum altera Petri ad convertendas gentes vocationem, altera Petrum, inter apostolos, legem e caelo recipientem exhibebat. His haec erat subscripta inscriptio:

> Euge, Simon Petre, commissum tibi suscipe munus...
> Bissenos inter fratres in principe sistis,
> Qui fera corda domas hominum, qui pectora mulces,
> Christicolasque doces (unum) omnes esse per orbem (2).

In quodam aliunde, anno praeterito, Romae, apud basilicam S. Sebastiani, invento sarcophago, Petri lapsus, necnon poenitentia et ad summum munus evectio uno simul argumento efficta sunt. Adest enim Christus, qui dexterae tres extendit digitos ad triplicem significandam apostoli negationem, sinistra vero volumen ante Petrum porrigit. Hic autem, dum dextera manu se Christi praedictionis memorem fore indicat, aut infitiatur se esse negaturum, ad volumen sinistra accipiendum se parat (Tab. 74). Ceterum hac eorum argumentorum coniunctione nil communius apud Patres, qui nunquam de Petri loquuntur primatu quin simul eius peccati ac poenitentiae mentionem ad fideles erudiendos faciant: « Ter negavit Petrus,

Iudaeorum conversionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, et eos qui in Christum crediderant graviter persequeretur, de caelo vocavit, et suum discipulum atque apostolum fecit. (*Act.* IX, 4). Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tamquam familiarissimos, Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus eius? » (S. Aug. *De consensu Evangelistarum*, lib. I, c. X).

(1) Volumen ibi, refectoris inscitia, haud quidem verba *Dominus legem dat*, sed *Dominus pacem dat* prodit. Ceterum restitutio fidelis satis videtur.

(2) *Monumenta Germ. hist., Script. rer. lang. et ital.*, p. 293.

Tab. 72. Deus legem dat Moysi
(Musivum mausolei S. Constantiae, Romae, iuxta viam Nomentanam).

princeps discipulorum », ait quidam saeculi quarti auctor anonymus; ac Scripturae verba: « Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis » commentans, S. Ioannes Chrysostomus inter alia haec habet: « Petrus, post gravem illam

Tab. 73. *Deus legem dat Petro*
(Musivum mausolei S. Constantiae, Romae, iuxta viam Nomentanam).

negationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est flevitque amare, sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus apostolorum fuerit »; (1) et S. Augustinus : « Pas-

(1) S. Ioan. Chrys. *Adversus Iudaeos*, VIII.

sionem eius, crucem eius praenuntiavit ei (Petro) ipse Dominus Christus, sed iam amanti, non neganti... Ergo, in illa negatione praedicta ostendit Dominus Petro Christum: *Amas me*,

Tab. 74. (Ex G. Bonavenia, *Insigne sarcofago* etc. Fig. 2).

inquit? *Amo.* — *Pasce oves meas* ».[1] Et ista quidem sufficiant; nam si omnia velim testimonia huiuscemodi colligere, facile integrum volumen conficiam.

(1) *Serm. ad populum*, CCXCIX, n. 7.

Notemus denique in his repraesentationibus Petrum plerumque, perinde ac si vexillarius caelestis regni esset, crucem ferentem apparere margaritis saepe exornatam et aliquando in speciem Christi monogrammatis effictam. (1)

Iam vero, aliud est quo Petrus insignis apud priscorum saeculorum fideles potissimum est habitus et ceteris apostolis superior. Tunc enim saepissime claves regni caelorum collatas esse uni Petro commemoratur et praedicatur; proindeque omnino aërem verberant haeretici, quum contendunt clavium hanc potestatem Ecclesiae universae, seu ceteris apostolis, aeque atque Petro, primitus imputatam fuisse: monumenta contrarium constanter exhibent.

« Sed, aiunt nonnulli, eo quod a Christo Cephas, id est petra dictus fuerit eique claves regni caelorum sint commissae, Petrus minime singulare munus accepisse est putandus; nam respondit unus pro omnibus, qui praesentes erant, et ideo pro omnibus promissiones clavium accepit ».

Verum enim vero monumenta omnis generis, quae clavium traditionem referunt, plerumque Petrum solum cum Christo repraesentant, aut, ut summum, unam et alteram personam, praesertim Paulum, qui tamen re ipsa praesens minime erat quando claves promissae sunt. Itaque, si artifices, qui ita sensibili ac materiali modo Christum stantem promissis adumbraverunt, aliquid velut omnibus apostolis commune claves illas esse cogitassent, aliter certe, et saltem apostolis omnibus adstantibus, rem effinxissent. Petrus, igitur et ipse solus, clavium potestatem vulgo recepisse putabatur, neque ulla est ratio cur de hac clavium traditione aliter saltem intelligatur, quam de illa, de qua apud Isaiam legitur: « Et dabo clavem domus David super humerum eius (nempe Eliacim): et aperiet et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat ». (2) Ceterum notum est in Apocalypsi clavium symbolo supremam Christi designari potestatem: « Haec dicit sanctus et verus, qui habet clavem David ». (3)

(1) Vide infra, cap. De statuis.
(2) Isaias, XXII, 22.
(3) Apoc. III, 7.

8. Petri cum Christo similitudo. — Christi potestas tam clare Petro collata effecit, ut artifices, aut potius illi qui sarcophagos insculpendos artificibus locabant, sedulo quidquid aliquam Petri cum Salvatore similitudinem contineret, in anaglyptis significarent. Sic duo sunt apud anaglypta qui mortuos ad vitam revocent, Christus scilicet ac Petrus: Christus quam saepissime, Petrus vero pluries, et iuxta illa quae de Tabitha vidua in evangelio leguntur. Miracula etiam quaedam Petrus patrans effingitur, ut cum Anania ab eius conspectu mortuus abducitur, et quando, iuxta apocrypham quamdam fabellam, cani loquelam ipse apostolus impertit; semel insuper ambulans super fluctibus obviam Christo apparet. Sicut Christus, Petrus potestatis virgam habet, in throno sedet; sicut Christus a militibus deprehenditur, in carcerem detruditur, ad crucem damnatur. Petri aliquando in anaglyptis historia ita contexta est, ut *Petrinos* quosdam sarcophagos libenter dixerim. Sic in quodam Firmano sarcophago quae ad Petrum spectant argumenta sunt distributa: (1)

Mulieres mortem Tabithae ante Petrum plorantes.	Tabithae resurrectio.	Cain et Abel Deo munera offerentes.	Milites Petrum custodientes.	Petrus ab angelo e carcere eductus.

In alio Arelatensi sarcophago: (2)

Petrus Christum negans.	Petrus ab Herodis satellitibus deprehensus.	Petrus praedicans.	Petrus a Neronis militibus ad supplicium ductus.	Petrus claves a Domino recipiens.

Et in alio Romano sarcophago, apud museum Lateranense asservato: (3)

Petrus in cathedra sedens, dum Christus ei pedes loturus adest.	Petrus ad crucis supplicium ductus.	Christus legem dans Petro	Christus ad Pilatum ductus.	Pilatus manus suas lavans.

(1) Garrucci, V, 310, n. 2.
(2) Garrucci, V, 340, n. 5.
(3) Garrucci, V, 335, n. 3.

Nec raro evenit, ut in uno eodemque sarcophago, Christi ac Petri commemoratio aliquatenus unice fiat. Exempli gratia, in Romano quodam sarcophago, apud cryptas Vaticanas invento, ita historiae distribuuntur (Tab. 57, p. 144):[1]

Christus caecum sanans.	Christus mulierem fluxu sanguinis laborantem sanans, adstante Petro.	Christus legem Petro committens coram Paulo.	Christus triplicem negationem Petro praedicens.	Christus claves Petro committens.

In alio sarcophago, nuper apud S. S. Marci et Marcelliani coemeterium detecto, Christi miracula semper adstante Petro patrata exhibentur; unde non est ibi historia in qua Petrus desit.

Erit fortasse qui obiiciat eiusmodi tam crebram Petri memoriam Romae solummodo conspici. Id autem veritati haud consentaneum; nam Petrus, exempli gratia, ad vitam viduam Tabitham revocans in Gallia saepius quam Romae cernitur; ceterum, ut res perspicua omnibus evadat, en, iuxta iam laudatum Garrucci opus, Petri historiarum prospectus *topologicus*, seu tabella qua urbes nominantur, in quarum museis monumenta, de quibus egimus, inveniuntur.

Petrus Tabitham resuscitans:

Romae — Firmi (*Fermo*) — Arelate (*Arles*) — Cabillone (*Châlon-sur-Saône*).

Petrus cum baculo coram Christo ei negationem triplicem praedicente:

Romae — In Civitate Castellana — Syracusis — Arelate — Parisiis — Narbonae — Massiliae — Lugduni — Madriti — Caesaraugustae (*Saragozza*) — Geronae.

Petrus legem et claves a Domino accipiens:

Romae — Veronae — Ravennae — Anconae — Mediolani — Arelate — Remis (*Reims*) — Aquis (*Aix*) — Massiliae.

(1) Garrucci, V, 330, n. 5.

PETRUS A MILITIBUS DEPREHENSUS:

Romae — Pisis — Mediolani — Firmi — Arelate — Narbonae — Cadurci (*Cahors*) — Claro-Monte (*Clermont-Ferrand*) — Geronae — Barcinone (*Barcellona*) — Asturigae (*Astorga*) — Caesaraugustae.

PETRUS-MOYSES:

Romae — Pisis — Mediolani — Arelate — Avenione — Narbonae — Massiliae — Madriti — Asturigae — Geronae — Caesaraugustae.

Quae autem post editum Garrucci opus in lucem prodierunt, tum in Occidente, tum in Oriente, monumenta, haec quae hucusque demonstravimus mirum in modum confirmant; quam circa rem plane notandum venit, excepta, praeter Boni Pastoris, Mariae Virginis ac S. Hippolyti statua, Petri solummodo statuas, saeculo quidem sexto vetustiores, ad nos usque pervenisse.

Porro, brevissimam simplicissimamque quidem, sed eloquentissimam, ni fallor, conclusionem eruere licet atque iuvat: — I. Petrum, sicut in Scriptura ita in monumentis, primum inter omnes apostolos designari, ac longe crebrius quam illos repraesentari; eius autem praerogativas evidenter significari, immo sensibili omnino modo clavium potestatem, ei non solum promissam, sed datam adumbrari; — II. Petrum Christo apud monumenta, quoad cruciatus ac supplicium conferri; Petro legem a Domino, veluti fidei arcae, concredi, eumque, sicut Christum, fideles adoratione quadam prosequi; — III. Tandem Petrum, uti Christum, gloriosae crucis baiulum apparere, sicque revera, perinde ac Dracontius cecinit, *crucis almae signiferum* vel ut alius auctor dixit *novi signiferum Testamenti*, seu ducem eum habitum fuisse. (1)

(1) DRACONTIUS, *Carm. de Deo*, III, 218; *Auct. de vera circumcis. int. opp.* S. Hieronymi, 17.

Tab. 75. Iudicii universalis adumbratio (Sarcophagi operculum Romae inventum).

ART. VII. — **Argumenta hominis novissima adumbrantia.**

In anaglyptis saepissime commemoratur resurrectio: hoc quidem argumentum fere semper imaginum seriei finem facit, necnon eucharistica symbola, velut eucharistiae significans effectum, subsequitur. (1)

(1) Non erit supervacaneum notare quanta inter haec duo symbola sit congruentia, licet hoc idem iam in praecedentibus libris a nobis fuerit animadversum. Hinc enim imaginum significatio mirum in modum elucet, nam liturgiae quibus anaglypta, haud secus ac picturae, in hac parte afflata sunt, praeter bona quae in hac vita e sumptione corporis Christi percipiuntur, resurrectionem, immortalitatem ac vitam aeternam, veluti praecipuum eucharistiae effectum, tam vivis quam defunctis profuturum concelebrant. Sic in octavo apostolicarum constitutionum legimus: ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ... ζωῆς αἰωνίου τύχωσι; in liturgia S. Iacobi dicta: ἵνα γένηται πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν... εἰς ζωὴν αἰώνιον (RENAUDOT, *Lit. Orient. collectio*, Francofurti, 1847, II, 33); in liturgia S. Marci appellata: ἵνα γένωνται πᾶσιν ἡμῖν τοῖς ἐξ αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν... εἰς κοινωνίαν μακαριότητος ζωῆς αἰωνίου καὶ ἀψθαρσίας (RENAUDOT, loc. cit. I, 142, 48); in liturgia a Tmuis nuncupata: καὶ ποίησον πάντας τοὺς κοινωνοῦντας ψάρμακον ζωῆς λαβεῖν (Ed. WOBBERMIN, 6); in liturgia Aegyptia S. Gregorii appellata: καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον τοῖς ἐξ αὐτοῦ μεταλαμβάνουσι (RENAUDOT, loc. cit. I, 98); in liturgia S. Ioannis Chrysostomi: ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν... εἰς βασιλείας

Resurrectionis vero praecipuae adumbrationes Christi sunt miracula quibus Lazarus e sepulcro, viduae filius e feretro, archisynagogi filia e lecto, aliique mortui ad vitam revocantur. Quandoque etiam reperiuntur Ezechielis visio, Tabithae viduae resurrectio, ac Ionae casus, qui quidem, cum Lazari resurrectione, saeculo ineunte secundo in picturis potissimum apparent. Ad resurrectionem denique, praeter pavonem et phoenicem avem, etiam quattuor annorum tempora spectant, quae instar personarum plerumque in anaglyptis effinguntur, de quibus iam in hoc opere sermo fuit.

Universale iudicium semel inter anaglypta adumbratum cernitur, in quodam scilicet Romano sarcophago (Tab. 75) apud quem Christus, pastoris quasi sub specie ac sedens, dum oves sibi dextera parte obvenientes ad se invitat, arietes sinistra

πλήρωμα (DANIEL, *Codex liturgicus ecclesiae universae*, Lipsiae, 1853, IV, 360); in liturgia Abissinorum (*Ordo communis*): «Ut in te vivamus per omnia saecula saeculorum (RENAUDOT, loc. cit. I, 490)»; in liturgia Nestorianorum: «Ut sit nobis, Domine,... ad vitam novam, in regno caelorum cum omnibus, qui placiti fuerunt coram eo (REN. loc. cit. II, 586)»; in liturgia Theodori Mopsuestani: «Ut quicumque cum fide vera ederit ex hoc pane et biberit ex hoc calice, fiant illi Domine, ad vitam novam in regno caelorum. Dignos quoque fac nos omnes per gratiam Domini nostri Iesu Christi, ut cum omnibus illis, qui placuerunt voluntati tuae, et secundum praecepta tua vitam instituerunt, laetemur in regno caelorum fruentes bonis futuris quae non transeunt (REN. loc. cit. II, 586)». Et ibidem: «Panis enim vivus est et vivificans qui descendit de caelis, et dat vitam mundo universo; quem qui edunt non moriuntur; et qui illum recipiunt per illum salvantur, nec corruptionem sentiunt, et vivunt per illum in aeternum: tuque es antidotum mortalitatis nostrae, et resurrectio totius figmenti nostri (II, 586–587); "... ut sint (eucharistiae partes)... in spem quoque magnam resurrectionis a mortuis, et vitae novae in regno caelorum (II, 588–589)"». Sic etiam ceterae liturgiae loquuntur, ut videre est apud MURATORI, *Liturgia Romana vetus*, II, 566, 637, 651, 654, et apud MIGNE, *P. L.* LXXII, 257, 305, 313, 315; LXXXV, 263, 273, 304, 342, 376, 388, 606, 637, 794, 826, 855, 870, 891, 936; sic denique et Syrorum monophysitarum anaphorae (cf. RENAUDOT, *Liturgiarum Orientalium collectio*, II, 137, 157, 166, 191, 204, 218, 228, 236, 246 sq., 256, 262, 278, 303, 313, 324, 349, 426, 441, 450, 461, 477, 495, 513, 530).

manu reiicit. Sculptura ista Domini, ad Ezechielem loquentis, in mentem revocat verba: « Ecce ego iudico inter pecus et pecus, arietum et hircorum, » (1) necnon haec alia evangelica

Tab. 76. Musivum ecclesiae basilicae S. Apollinaris Novi.

apud Matthaeum: « Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem



Tab. 77. (Ex D. Giarolo, *La necropoli cristiana di Vicenza*).

maiestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, *sicut pastor segregat oves ab haedis:* et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris.

(1) Ezechiel, XXXIV, 17.

« Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi... Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum... » (1)



Tab. 78. Sarcophagus Ravennatensis.

Antiquissimam sine dubio, quae fuerit in monumentis, ultimi iudicii speciem tabula 74 exhibet, et quia sculptura illa ad quartum saeculum pertinet, quod pastoris solummodo proprium est nobis praebet, licet Christus ibi, quoad figuram, haud nimis pastoris similis appareat. Aliter vero postea, in musivis basilicarum operibus, hoc fuit argumentum ostensum, ut e quadam musiva basilicae S. Apollinaris Novi apud Ravennam pictura colligitur, saeculo sexto efficta (Tab. 76). Ibi enim Christus revera uti iudex sedet, duoque angeli adsunt ei; alioquin iam in Fundana basilica Paulinus Nolanus (saec. IV–V) universale iudicium adumbrandum curaverat, et huic argumento hos inscribendos composuerat versus:

. . . . . .

Et quia praecelsa quasi iudex rupe superstat,

(1) MATTH. XXXV, 31–33.

Bis geminae pecudes discors agnis genus haedi
Circumstant solium: laevis avertitur haedis
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos (1).



Tab. 79. (Mus. Lateran.).

Praeterea, ad defunctos quod pertinet, etiam animae singulare iudicium exsculptum invenitur, uti de eo iam supra sermo fuit; necnon animae aeterna gaudentis beatitudine imago, quae quidem haud eodem semper adumbrata est modo. Animas in paradiso receptas orantium significant effigies cum inter oves, arbores, aut iuxta bonum Pastorem, seu Christum, apparent. Item oves, agni, cervi vel aves in cantharis bibentes, columbae cruci gloriosae aut arboribus insidentes aut uvam rostro petentes; (Tabb. 45 p. 99, 77 et 78) tandem defuncti imago inter sanctos, praesertim inter principes apostolorum, sive orans, sive legis volumen ferens in eove legens, sistitur. In quodam autem Lateranensi sculptili, volumen in quo quaedam defuncta, Crispina nomine, legit, Christi monogrammate est insignitum, (Tab. 79) idem et in alio, de quo egregius Garrucci loquitur. (2)

In quodam Pisis invento sarcophago, mulieris imago intra orbiculatum mediumque spatium adstat, dum ex altera parte Pastor cum grege appropinquat, ex altera vero puellarum adventat chorus, quarum duae priores defunctam salutare perspiciuntur (Tab. 80). Procul dubio electorum hic adumbratur grex, quem liturgiae plurimae ac epitaphia commemorant, utpote cui anima est adnumeranda, cum *verus ille Pastor eam*

(1) S. Paulinus, *Epist.* XXXVI; *P. L.* LXI, 339.
(2) Garrrcci, V, 328 n. 3.

Tab. 80. Sarcophagus Pisanus.

inter oves suas agnovisse credatur;[1] necnon virginum chori intelligenda imago, iuxta liturgiae verba illa: « Iubilantium te virginum chorus excipiat, et beatae quietis in sinu patriarcharum te complexus adstringat ».[2] Communis enim erat opinio, ut virginis animae virginum chorus occurreret, unde S. Hieronymus in Paulae epitaphio: « Choris, ait, comitata virgineis, civis est Salvatoris effecta »;[3] et Gregorius Turonensis in morte Radegundae: « Et scimus te choris sanctarum virginum et Dei paradiso esse coniunctam »;[4] necnon S. Ambrosius in morte Marcellinae sororis: « Agnis tuis (Domine), admixta sine offensione versetur, comes virginum, pedissequa Mariarum ».[5]

(1) Ordo commendationis animae.

(2) Ibidem.

(3) S. Hieron. *Epitaph. Paulae*, 31.

(4) S. Greg. Turon. *Miracula S. Martini*, V.

(5) S. Ambrosius, *De institutione virginis*, l. I, 113. — Cf. Le Blant apud *Revue archéol.* 1877, p. 353 ss.

CAPUT III.

Opera musiva sacra et basilicarum picturae.

ART. I — **Musivorum operum origo, modus et usus apud ethnicos et apud Christianos.**

Opus musivum, σύνθεσις λίθων, coloratarum repraesentationum genus dicitur, in quo imagines haud quidem coloribus aquatis vel udo depictae sunt, sed parvis lapidibus apte paratis, quadratis scilicet ac politis, qui muro, calce adhuc molli cooperto, ita applicantur ut omnino illum tegant ac coloribus suis depictae parietis adspectum reddant. Lapilli huiuscemodi *tesserae* vel *tessellae,* ob eorum formam, vocantur, licet proprie tessellatum opus aliud sit a musivo: hoc enim ad parietes decorandas potissime effingebatur, illud ad pavimenta conficienda ac, si tessellae quadratae non essent, opus eiusmodi *vermiculatum* vocabant. Item opus musivum ab opere distinguitur *sectili,* in quo figurae effingendae simplicia foliorum, florum aliorumque huiusmodi ornamenta, minime vero historias exhibent, neque tesserae, sed marmoris frusta, iuxta efformandas figuras concisa, aliive lapides, vel lapideae materiae, aut etiam ebur, adhibebantur, Denique opus musivum aliud est ab opere *Alexandrino,* quod geometrica tantum fert ornamenta, cuiusque lapides, multo tesseris largiores, geometricae quoque sunt formae.

Omnia tamen haec opera nomine musiva veniunt; Byzantina, quam vocant, aetate, etiam μοῦσα, μουσάκιον, ac μουσίωμα passim appellata.

Opus musivum ortum habuisse videtur in Oriente, ubi antiquiora exempla inventa sunt; pulcherrima vero, inter alia,

sunt Hellenica, Delo in insula detecta.[1] Romae aliisque in Italiae regionibus, teste Plinio, Syllae temporibus primum adhibita fuerunt, itemque in Romanis Africae provinciis,[2] necnon ad pavimenta exornanda, deinde ad laquearia seu parietes; sed tesserae tunc ex vitro aut vitrea materia conflabantur, idque Plinii Senioris tempore recens erat adinventum.[3] Quapropter, musivorum Romae apparitio omnino congruit aetati qua lateres aut parvi ex tofo lapides ad construendum usurpari coeperunt.

Re enim vera, proprius antiquorum construendi mos fuit, praesertim Romae, ut aedificia magnis et quadratis erigerentur lapidibus superpositis, necnon aliquando in hanc formam iam reductis quam in aedificiis essent habituri; quod *opus quadratum* dicebatur. Hinc parietes minime aut perraro calce tegebantur, ipsaque ornamenta exsculpebantur in lapidibus. Quum autem nova invaluerunt construendi genera, quae opus latericium et reticulatum nuncupaverunt, nisi accuratissime lateribus aut tofaceis lapidibus muri essent convestiti, calcis muniebantur corio, unde tegumenti marmorei, vel imaginum udo aut musivo pictarum, aliorumque ornamentorum utilitas.

Imperii temporibus, magis magisque musivorum percre-

(1) M. Bulard, *Peintures et mosaïque de Delos*, apud *Monum. Piot*, XIV, fig. 63 ss., pl. x ss.

(2) Operum musivorum relliquiae Praeneste, apud Fortunae (quod vocant) templum, sunt inventae, de quorum significatione valde hodie disceptatur (Cf. Marucchi, *Il tempio della Fortuna prenestina*, apud *Bollett. archivio comunale*, 1907, pp. 275-324; *Il lithostrotos di Silla*, ibid., 1909, pp. 66-74). Huiuscemodi fragmenta aut exemplaria extant quoque in Pompeiana urbe, necnon Romae: id est super ianua sepulcri cuiusdam Pomponii Hylae, iuxta viam Latinam, in domo Palatina quam *Liviae* vocant, apud diversas thermarum saeculi secundi ac tertii ruinas, praesertimque apud Lateranense profanum museum, in quo praecipua ex Antoninianis thermis collecta pavimentorum musiva asservantur. In Africa, pulcherrima sunt musivorum exemplaria apud *Althiburos* praesertim, seu municipium Aelium Althiburitanum reperta. (Cf. *Mcn. Piot*, XII, pp. 113-154).

(3) Plinius, *Hist. nat.* XXXVI, 64: « Lithostrota coeptavere iam sub Sylla, parvulis certe crustis. Exstat hodieque quod in Fortunae delubro Praeneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere e vitro: novitium et hoc inventum ».

buerat usus, eisque non solum privata, sed publica aedificia, basilicae praecipue ac balnea, nonnunquam et sepulcra, orna-

Tab. 81. Mariae imago apud musiva saec. v basilicae S. Mariae Maioris (Romae).

bantur. Huius artis vero proprium erat ita imagines producere, ut coloribus depictae viderentur, eoque perfectius habebatur opus, quo picturam aptius sic imitabatur. (1)

(1) Plinius, *Hist. nat.* XXXV, 1; Seneca, *Epist.* LXXXVI.

E superstitibus monumentis facile colligitur tesseras initio parvas ac veluti mali punici grana, vel etiam minores fuisse, deinde sensim grandiores, plerumque haud ita tamen ut centesimam quater metri partem superarent. Haec autem progressio non accipienda et intelligenda est tamquam absoluta ac in omnibus operum gereribus constans: nam in pavimentis alias fuit quam in parietibus exornandis ritus, nec opera, quae a longinquo erant conspicienda, eadem lege ac illa, quae ex vicino essent visenda, elaborata sunt; et non raro in una eademque imagine, praesertimque in vultu effingendo, diversae magnitudinis tesserae erant adhibitae (Tab. 81), quod vel in tardioribus musivis animadverti potest. Quae autem de Italia dicimus, et de ceteris Romani imperii partibus affirmanda, licet in illis fere nullum huius artis fuerit repertum indicium, quod tertio saeculo antiquius ac certe ethnicum sit.

Tesserae plerumque marmoreae, haud raro tamen ex aliis duris lapidibus, aut ex vitrea seu solida aliqua materie, compositae.

Apud Christianos, pauca musivorum exempla ante pacem Ecclesiae constat exstitisse. Etenim Romae, praeter pavimentorum fragmenta et mutila aliquot imaginum vestigia, duorum solummodo coniugum effigies musivae, apud coemeterium Cyriacae inventae ac in Chigi familiae bibliotheca servatae, [1] quoad hanc aetatem possunt memorari; extra Urbem vero straturarum tantum, ad basilicas sepulcrave adhibitarum, relliquiae.[2] Cetera operis musivi indicia in catacumbis detecta, si quaedam in coemeterio Praetextati excipias, quidquid aliqui dicant, ad Postconstantiniana tempora pertinent, atque ad arcosolia decoranda plerumque usurpata. Recentes autem in coemeterio S. Callisti effossiones musiva multo opinione usitatiora in sepulcris fuisse, ac Romae aliquando, sicut mos erat in quibusdam Africae et Hispaniae regionibus, [3] epitaphia tesseris musivis esse conscripta demonstrarunt.

(1) De Rossi, *Musaici cristiani,* Roma, 1872, tab. I.

(2) G. Gatti, apud *Bull. della Commissione archeologica comunale di Roma*, t. XXIX, 1901, p. 86-89.

(3) *Notiones* etc., vol. II, pars prima, p. 7.

Post pacem Ecclesiae, musivum opus optimum ad basilicas digne exornandas est visum, et cum eo novus quidam artis quasi progenitus est stylus, de quo infra.

Opus vero ita efficiebatur, ut in superficie decoranda, calcis adhuc mollis tegmine cooperta, praecipua figurarum lineamenta coloribus primum ducerentur, deinde tesserae levi pressione tegmini applicarentur. Id praesertim in coemeteriis apparet, ubi tesserarum crusta fere tota evulsa est, sed simul cum tesserarum vestigiis etiam praevia adumbratio apparet. (1) Immo

(1) Quod imagines prius pingerentur coloribus, ut facilius postea tesseris effingerentur negavit Diehl, cuius verba circa musivorum exsecutionem praestat referri: « Pour appliquer sur les murailles ces magnifiques décorations, le mosaïste commençait par préparer le mur. Après l'avoir rustiqué au préalable, il l'enduisait d'une couche de ciment de chaux et de marbre pilé, à grumeaux assez gros, destinée à niveler la surface à recouvrir, et employée en une assez forte épaisseur. Une seconde couche, de composition semblable, mais à grains plus fins, recouvre la première et porte à sa surface un ciment plus fin, destiné à recevoir les cubes. Sur ce ciment plus fin on constate fréquemment, sous les cubes, des traces de couleur, et on en a conclu que, sur l'enduit frais, on peignait à fresque l'esquisse de la composition, sur laquelle le mosaïste, succédant au peintre, posait ses smaltes. *Il semble bien que c'est là une erreur.* Les mosaïques n'étaient point composées directement sur les murs, mais préparées à l'atelier sur des canevas coloriés. Les teintes sous-jacentes qu'on observe sur le ciment proviennent de ces couleurs dissoutes par la colle. Toutefois, comme il arrivait que, sous la poussée des cubes enfoncés, le ciment produisait une bavure blanche dans l'intervalle des smaltes, on mettait souvent en couleur, à l'aide d'un enduit colorié, cette partie apparente du ciment » (Diehl, *Manuel d'art byzantin.* Paris, 1910, p. 187–188). Porro, ipse auctor errare videtur cum dicit: *Il semble bien que c'est là une erreur*; nam quidquid sit de praevia musivorum probatione antequam tessellae directe muro applicarentur, – quam factam fuisse, praesertim in complexis accuratisque basilicarum compositionibus, nolumus negare, – haud pauca sunt opera musiva quae talem exsecutionem praeviam non exigebant: intelligi volumus de musivis apud coemeteria effictis, quippe quae plerumque geometricas figuras aut facillima schemata inscriptionesque exhiberent, et certo directe, nullaque probatione, peracta elaborarentur. Iam vero ista schematis adumbrationem praeviam in corio coloribus inductam supponunt, ut ex pluribus abrasis musivis evidenter apparet, ac plane non intelligitur cur tam brevi negotio, ad facilius musiva exequenda, in difficilioribus accuratioribusque compositionibus artifices non fuissent usi.

adhuc imaginum argumenta, quae musivum prae se opus ferebat, quandoque discernere fas est, necnon egregius Kanzler, in coemeterii Praetextati diruto quodam musivo, accurate vestigia talia coloresque superstites examinando, paralytici speciem effictam ibi fuisse colligere potuit. Facilius vero delineationes geometricae possunt dignosci, ut in pluribus arcosoliis et cryptis coemeterii S. Callisti. Ibi adhuc, circa imaginem S. Caeciliae, deprehenditur ornamentum, foliorum instar, ex vitrea constans materia; in aliis vero cryptis, praesertim in cubiculo S. Eusebii, in contiguo alio cubiculo iuxta S. Caii sepulcrum, ac in crypta quam Marci et Marcelliani doctissimus Wilpert vocavit, non desunt operis sectilis vel Alexandrini, una cum musivis commixti, plura notabiliaque fragmenta; ibique parietes talibus ornamentis cooperti omnino fuisse videntur.

In Christianis basilicarum musivis, tesserae ex vitrea plerumque diversi coloris materia erant conflatae; tesserae tamen auratae colorem aurei folii, in iis dispositi, praebebant; raro vero argenteae erant, raro etiam, ac nonnisi serius, ex concha aliave pretiosiore materia. Modus denique pingendi apud Christianos idem atque apud ethnicos.

Art. II. — De nova quadam, praesertim apud musiva opera, Christianae artis indole et de eius vicibus.

Anaglyptorum supra illustratorum imagines multa, ut vidimus, argumenta exhibent, quae frustra in coemeterialibus quaererentur picturis, et quae funerariae significationi aegre possent aptari. Horum pars maxima de verae fidei triumpho videntur loqui, de nempe idolorum eversione, de veri Dei agnitione ac adoratione, deque eius gloria et maiestate; quae omnia temporibus pacis plane conveniunt. Ad talem significationem, exempli gratia, spectant imagines in quibus Daniel venenosum draconi Babyloniensi porrigit cibum, aut tres pueri Nabuchodonosor regis statuam adorare recusant; ad talem pertinent argumenta quae Magos exhibent Iesum infantem adorantes eique offerentes dona, necnon Hebraeum populum Salvatori

Ierusalem ingredienti cum palmis occurrentem; ad talem etiam sensum attinent quae Christum hominis creatorem commonstrant, Ecclesiae institutorem ac magistrum, angelorum humanique generis regem. Quandoque tandem, ut animadvertimus, anaglyptorum argumenta historico, magis quam symbolico, efficta sunt modo, et ad viventes potius quam ad defunctos

Tab. 82. Musivum saec. IV apud mausoleum S. Constantiae appellatum (Romae).

referuntur, tamquam aliquam moralem vel dogmaticam veritatem suggerentia.

Haec vero mutatio, quae apud anaglypta iam leviter se prodit, licet ea funerariam prorsus non amittant indolem, in basilicis exornandis, maximeque in musivis operibus fabricandis, magis ac magis invalescit, ita ut novum artis genus vere sit exorsum. Nec mirum: humana enim veluti lex est, ut simul cum novo operis genere, ars quoque, si qua operi congrua sit, nova aut renovata exsurgat. Atqui in basilicarum arte non

solum operis plerumque materia, sed et locus, sed et destinatio alia quam in sepulcris erant; unde artis afflatus, rationes eius ac fontes plurimum mutarentur oportebat.

Novus nempe afflatus artis a funeraria omnino indole alienus fuit; novus cogitationum inductus ordo, qui praecipuis animorum affectibus responderet, Ecclesiaeque condiciones quodammodo redderet. Quanto enim minus apocalypticae visiones sepulcrorum parietibus olim conveniebant, sive quia haud satis proprie ac directe defunctorum statui aptatae, sive propter spatii angustiam, tanto tunc temporis artificum mentibus facilius illae fiebant obviae, et aptiores ad basilicas videbantur decorandas.

Ecclesiae in terris, verbi gratia, parta victoria ultimum Ecclesiae in caelo triumphum ad mentes revocabat illum, quem mire Ioannes apostolus in Apocalypsi descripserat; nec superni regni imago poterat expressius repraesentari quam sacrarum splendore aedium, ubi ara, in qua Christus mystice immolabatur, aeterno divini Agni assimilabatur throno, omniaque caelestis Ierusalem aliquatenus adumbrabant visionem perinde ac posterius Romana, in templorum dedicationis festo, cecinit liturgia:

Urbs Ierusalem beata,
Dicta pacis visio. (1)

Aliud non obliviscendum insuper. Scilicet artifices, saeculis prioribus, Graeca eruditi venustate, a compositionibus coruscis ac nimis complexis natura abhorrebant, neque alioquin facile tot tamque vividos colores poterant in parietibus adhibere sepulcrorum, cum par ad eiusmodi picturas apprime contemplandas lux in catacumbis deesset. Contra vero, in basilicis, complexas ac splendidas compositiones et adiuvabat et requirebat optime tum spatii amplitudo, tum varium iamque marmoreum ornamentum, tum profuse sive solis sive lucernarum lumen undique auratis seu expolitis parietibus reflexum.

Praeterea, neque opes pontificibus deficiebant, nam haud

(1) *Brev. Rom.*, in festo Dedic. eccles. — Nunc vero, post peractam Urbani VIII iussu correctionem, hymnus ille sic se habet: *Caelestis urbs, Ierusalem, — Beata pacis visio,* etc.

parvam in impensarum partem veniebant imperatores, quippe qui, quasi certatim, non solum exstruebant basilicas, sed eas omnimodis muneribus ac pretiosa supellectile cumulabant. (1)

Tab. 83. Christus panes ac pisces multiplicans.
Musivum basilicae Ravennatensis S. Apollinaris Novi.

Praeter temporum adiuncta, quae in nova basilicarum arte apocalypticas suggesserunt compositiones, aliae, plus minus

(1) Ut lector huiusmodi largitionum notionem habeat, *Libri pontificalis* textum, circa imperatoris Constantini munera ecclesiae Lateranensi collata, ex parte referam: « Huius (*id est papae Silvestri*) temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit: basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona: fastidium (*id est fastigium seu altaris tegmen*) argenteum battutilem, qui habet in fronte Salvatorem sedentem in sella, in pedibus V, pens. lib. CXX (*id est quinque pedes latum ac centum viginti librarum pondus habens*) et XII apostulos, qui pens. sing. in V pedibus libras nonagenas cum coronas argento purissimo; item a tergo respiciens in absida Salvatorem sedentem in throno in lib. CXL, et angelos IIII ex argento, qui pens. sing. in pedibus V lib. CV cum gemmis alabandinis in oculos (*id est loco oculorum gemmas habentes*) tenentes astas; fastidium ipsum (*fastigium ipsum*) pens. IIXXV ex argento dolaticium; cameram ex auro purissimo et farum ex auro purissimo qui pendet sub fastidium (*fastigium*) cum delphinos L (*delphini isti erant candelabri brachia quae in formam delphinorum erant elaborata*) ex auro purissimo pens. sing. lib. L, cum catenas, quae pens. lib. XXV...» etc. (MOMMSEN, *Monum. Germaniae historica, Gest. pont. Rom.* p. 52–53).

connexae, cogitationes argumenta alia, ut, verbi gratia, sanctorum quasdam ordinatas series, et versus altare quasi procedentium imaginum pompas, induxerunt: re enim vera, fidelium mentes non solum ad supernam mansionem contemplandam, sed et ad dimicandum fortiter in terris, eorum virorum exemplo qui fortitudine caeleste rapuerant regnum, rite reputabantur incitandae; inde, apud templorum parietes, illae patriarcharum, apostolorum martyrumque, militantium ac victorum instar, post antesignanum Dominum, propalam expositae catervae.

Quoad vero musivarum repraesentationum stylum seu modum, sunt qui, prima saeculi quarti parte, quoddam viguisse dicant genus, quo a coemeteriali arte ad basilicarum artem transitus exstiterit, ac cuius specimen Romae, in rotundo S. Constantiae mausoleo, iuxta viam Nomentanam, habitum fuisse perhibetur.

Musivorum operum partes, quae ibi nunc supersunt, nihil quidem continent quod ad rem istam attineat annularius nempe fornix monumenti pulchre, sed profano more, vindemiarum tantummodo, praeter pura decoramenta, offert imagines (Tab. 82); in duabus autem laterum apsidibus, hinc Moyses, illinc Petrus divinam legem conspicitur accipiens. Mausolei vero tholus olim diversis exornatus erat musivis, quae significationis Christianae et indolis a funerariis picturis minime absimilis nonnulli fuisse docent; et quidem recte: Garrucci enim earum, nunc destructarum, effifigierum apud Scorialensem (Escurial) codicem invenit adumbrationes;[1] atqui hic expressa erant Baal sacerdotum ab Elia profligatorum confusio, Abrahae sacrificium, Tobiae casus, Susannae liberatio, a Cain et Abel oblata munera, Moysisque rupem percutientis historia.

Utcumque fuerit, artem musivorum propriam cito invaluisse veri est simillimum. Licet enim antiquissima Christianarum basilicarum musiva hodieque servata ad primam saeculi quarti partem vix attingant, nihilominus posterioris aetatis opera haud statim ad eam eximiam ascendere potuerunt pul-

(1) Cf. ARMELLINI, *Le chiese di Roma*, p. 860. Roma, 1891.

chritudinem, quae in Romanarum, verbi gratia S. Pudentianae vel S. Sabinae ecclesiarum, musivis comperitur. Varia quippe harum imaginum dispositio ac prospectus, singularis apud eas uniuscuiusque figurae facies habitusque, nobiles et ampli vestimentorum sinus, ac, in S. Pudentianae apside, quoad aedificiorum ostensorum ordinem, optimus distantiae sensus, profecto exquisitiorem sollertiam revelant, quam ut adeo valuerit brevi tempore elucere. Neque, ex eo quod alia nunc huiusce artis exempla veteriora nobis desint, concludere fas est illa, de quibus sermo fit, omnium antiquissima dicenda; multa namque eiusmodi ornamenta, quae ad nos usque non pervenerunt, prius certum est exstitisse (Tab. I extra textum).

Ceteroquin vel S. Pudentianae musivo, quod sub Siricio pontifice (384-399) est elaboratum, vetustiora fere ab omnibus musiva quaedam basilicae S. Mariae Maioris reputantur, illa scilicet quae papae tribuuntur Liberio (352-366) ac, in quadratis spatiis, super columnarum cernuntur ordinibus. Ibi optimas quoque artis antiquae regulas artifices servaverunt, immo interdum Traianeae Antoninaeve columnae anaglypta mire sunt imitati.

Dum autem sic Romae, centum saltem abhinc annis, primaeva cum venustate ecclesiae ornabantur, Ravennae, iisdem adhibitis elementis, sed altero ex Orientis regionibus grassante impulsu, aliud musivae oriebatur artis genus ac quasi officinarum aliarum instaurabatur caput. Intelligi volumus de Byzantina musivorum arte, cuius origo et natura haud satis forsan archaeologis innotescunt. Sunt qui eam fere omnino Orientalem dicant, illi scilicet ipsi, qui vel plura anaglyptorum argumenta ac plures ornamenti modos ex Oriente repetunt; sunt contra alii qui maximam huius artis partem Romae ceterisque Occidentalibus regionibus vindicent. His posterioribus haud aegre assentimur, quia pulchriora artis Byzantinae specimina adhuc Romanam artem sapiunt, utpote quae eius antecedentia elementa in se usurpata commonstrent, Orientalibus quibusdam dumtaxat caussis plus minusve commutata; dein quia praecipui de imaginibus effingendis huius artis modi in Romanis

plerumque antiquioribus operibus inveniuntur, sicut iam de nonnullorum sarcophagorum architectura supra animadvertimus. Circa hoc plura quoque, in aliquo meo de antiquis ecclesiae S. Mariae Maioris musivis libro, (1) passim notavi, ut antiquiora Ravennatensium artificum musiva haud parum e Romanis derivata ostenderem operibus, pluraque alia occurrent infra, cum de Byzantina questione (quam vocant) erit sermo, discutienda.

Tab. 84. Musivum basilicae Ravennatensis S. Apollinaris Novi.

Verum, in suo genere, etiam Ravennatensis musivorum ars bene effloruit, eoque magis quo serius, nullaque proinde aemula exstante, ad culmen suae pulchritudinis pervenerit, scilicet dum Romana iam ars gradatim decidebat, necnon Orientalium efficientiae obnoxia fuerat facta.

(1) P. Sisto Scaglia, O. C. R., *I mosaici antichi della basilica di S. Maria Maggiore in Roma.* Roma, Pustet, 1910.

Quarum rerum caussae duae: Romae nempe, anno quadringentesimo decimo a barbaris direptae, magis ac magis increscens prolapsio atque miseria; aliunde Ravennae urbis, quam et diligenter Honorius summis favoribus auxerat, et sedem in Italia Gothorum rex, Theodoricus, sibi elegerat, augescens claritas opulentiaque.

Nihilominus, si in Ravennatensibus saeculi quinti ac deinceps musivis vultuum lineamenta, necnon effigierum colorumque concordem compaginem, aliquando admirari licet, quam saepe contra in personarum singularum adumbrationibus et in circumvestientibus vestimentis, omne naturae magisterium vitaeque seu motuum species desiderantur. Hinc communis illa corporum dispositio et habitus, ob quae lapideas aut emortuas formas productas esse dixeris; hinc ocularum nimia apertio eorumque, velut si reptilium essent, rigidissima acies, vel extra locum, ubi res agitur, imperitissime directa intentio.

Quantumvis gravia sint haec menda, non tamen infitiandum, apud musiva istius modi opera, magnam et eximiam aliquibus, praesertim Christi ac imperatorum, figuris inesse maiestatem; quae quidem sensus in arte tunc vigentis eloquentissimum indicium est. Postquam enim deorum Romanorum relligio undique magis in dies collabi coepit, Christiani invicem cultus splendor, imperatorum potissimum ope, mirifice auctus est, ita ut praesertim Christi sanctorumque effigies hucusque depictae haud amplius satis nobiles solemnesque viderentur. Salvatoris ergo figura non ultra apparuit nisi uti regis, aut saltem, in ipsis Passionis repraesentationibus, non nisi caput nimbo cinctum habens ac ceteris praecellens statura (Tabb. 83, 84).[1]

(1) Praestat, hanc circa rem, quaedam Bayet referre: « Auparavant le style était plein de naturel, les attitudes simples et sans contrainte; à partir du quatrième siècle, ces qualités charmantes commencent à disparaître. Il semble qu'on soit choqué de ces allures familières, qu'on les évite, comme un manque de dignité et de tenue. Ce Christ, qui ne se distingue point de ceux qui l'entourent, a quelque chose de trop populaire. Il est roi, et l'art doit le faire sentir. Aussi lui donnera-t-on désormais un costumes plus éclatant, un aspect plus majestueux et plus imposant. Sa véritable place est sur le trône, sur le trône byzantin, tout

Ipsa deinceps boni Pastoris imago regali quodammodo decore est efficta (Tab. 100).

Ars igitur musiva apud Christianos, tum Romae quarto quintoque saeculo, tum Ravennae dein, nova prorsus praebuisse dicenda est, quia, licet et antiqui Romani musivo ad parietes aedificiorum aliquando decorandos usi essent, numquam tamen evenisse videtur ut immensas apsidarum superficies, sicut in basilicis Christianis est factum, hoc opere exornarent.

Neque hoc solummodo artis incrementum sibi laudi vindicare potest Ecclesia; nam etiam quidquid Christianam fidem non directe impugnaret, illud servavit cultuique suo adhibuit. Cuius quidem rei Iunii Bassi apud Esquilinum montem basilica est testis, quae, ut illustris I. B. de Rossi demonstravit, anno circiter quadringentesimo septuagesimo primo, a papa Simplicio e profano usu in usum est addicta Christianum, sanctoque Andreae apostolo dedicata. In ea enim solummodo apsidis decoratio mutata fuit; unde ceteri parietes, adhuc saeculo decimo sexto, sic a Ciacconio describebantur: « Habebat autem tota haec basilica picturas elegantissimas ex incrustatione marmorum, peculiariter ex tabulis porphyreticis et orphiticis, concinnata et opere insuper vermiculato interposito, ubi ferarum diversarum insultus et praedae visuntur in alias mitiores bestias factae »; [1] et, in vita papae Simplicii idem auctor scribit: « ... Ecclesia S. Andreae, quae vocatur in barbaris, quod in muris eius variae ferarum imagines a Diana ve-

resplendissant d'or et de gemmes. Il est là, calme, impassible, dominant le monde, qu'il bénit d'un geste royal » (BAYET, *Recherches*. Paris, 1879, p. 54-55). De materia autem his in operibus adhibita, en quid Diehl habet: « ... La beauté des matériaux employés correspond à la grandeur des conceptions. A mesure que le temps marche, les fonds d'or se multiplient et s'étendent, les métaux précieux et les nacres se mêlent aux pâtes de verre colorées. Rien n'est épargné pour mettre en relief la splendeur et la gloire du christianisme triomphant et, malgré les incorrections ou les faiblesses de détail, les œuvres que cet art a produites gardent encore une réelle beauté. Tel est le caractère général que présentent les monuments de Ravenne » (CHARLES DIEHL, *Ravenne*. Paris, 1907, p. 105).

(1) Cod. Vat. 5407, pp. 98-100.

natrice et ab hippocentauris conficiantur, opere partim tessellato, ex variis confecto marmoribus, partim vermiculato ».[1]

Quin revera Dianae ibi esset effigies dubitare licet; variam autem ac ditissimam imaginum vere adfuisse copiam graphides, quae nunc adhuc asservantur, clare ostendunt; necnon, iuxta I. B. de Rossi, imagines illae satis congruebant aedificio, quod ad Constantini victoriam, Maxentio profligato, memorandam forsan fuerat erectum.[2] Ceterum, saeculi quinti initio, Paulinus Nolanus aedem, quam in honorem S. Felicis iusserat construi, praeterquam apocalypticis et symbolicis argumentis in apside, animalium etiam figuris in parietibus decorandam curavit;[3] ac, sexto saeculo, Paulus Silentiarius, de S. Sophiae basilicae musivis loquens, in atrio depicta cerni ait animalia et alibi omnigena florum, fructuum, avium similiumque ornamenta.[4]

Ephesino autem concilio expleto (431), in quo Nestoriana haeresis fuerat damnata, Romae, iussu pontificis Syxti III, in arcu triumphali basilicae S. Mariae Maioris, evangelica argumenta, Christi primordia praecipue respicientia, opere musivo, efficta sunt. Decidua tamen irrevocabiliter apud Urbem artis sors, ita ut S. S. Cosmae et Damiani ecclesiae, iuxta Forum, apsis, Felice IV (526-530) iubente, musivis elaborata, ultimum

(1) Alfonsus Ciacconius, *Vitae pont.* ed. Rom. 1671, t. I, p. 320.

(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1871, pp. 5-59. «L'attento e critico esame dei monumenti figurati fatti e adoperati dai cristiani nei primi secoli c'insegna che costoro, finchè durò la guerra del paganesimo contro la religione cristiana, aborrirono da ogni opera figurata di indole e culto veramente idolatrico; e perciò ne cancellarono o nascosero ogni traccia nei marmi da loro adoperati come materiali di costruzione e chiusure dei sepolcri. Ottenuta poi la pace ed il trionfo, i cristiani cominciarono a mirare con occhio più o meno indifferente e talvolta anche a considerare come trofei di vittoria le opere di ogni classe dell'arte antica» (p. 20. – Cf. *Bull.* 1865, p. 5-8; 1866, p. 53-59, 61; 1867, p. 10, 64-69, 76; 1868, p. 25-32, 48, 52-57, 69-75; 1890, p. 13-14).

(3) S. Paulinus Nol. *Epist.* XXXII.

(4) Paulus Silent. *Descriptio S. Sophiae*; ed. Bonnae, v 607-612, 649-657.

huiuscemodi, quod mirandum se praebeat, monumentum dici possit: subsequentis enim aetatis musiva, Byzantinam secundum indolem elaborata, quidquid in hoc artis genere est mendosum referunt, aliquanta eius pulchritudine penitus demissa.

Saeculo octavo, Ioannis VII ope, haud paucae, et quidem maiori aliquantulo peritia, musivae effigies sunt confectae, inter quas notabilia sane opera exstiterunt, quae in *Sanctae Dei Genitricis* oratorio, apud basilicam S. Petri erecto, fuerant elaborata, sicut e superstitibus fragmentis (Tab. 85), necnon e picturis S. Mariae Antiquae in Foro Romano colligere possumus.

Iconoclastarum litibus exortis, dum in Oriente picturae diripiebantur, Romae huic haeresi valde repugnatum est, plurimaeque proinde effigies, tam musivo quam udo inductae, in basilicis aliisque oratoriis pontificum iussu apparuerunt, praesertim Pauli I cura (757-767), qui nonnulla ecclesias seu sacella erigi praecepit, ipsamque suam domum in basilicam convertit; neque solummodo noviter exstructas, sed etiam antiquas aedes imaginibus sive musivis sive udo pictis sic exornandas ille voluit, ut *Libro pontificali* luculenter patet.(1) At in Oriente, post sanctorum abrasas imagines, plerumque varia topiorum, animalium ac vegetalis naturae, necnon mythologicarum historiarum ludorumque argumenta in basilicarum parietibus solummodo sunt delineata, donec, Theophilo imperatore (829-842) mortuo, eius vidua, Theodora, imaginum sacrarum decus cultui restituit. Verumtamen, tunc adhibita ars haud prioris retinuit indolem artis quae, sive in singulis imaginibus, sive maxime in plurium figurarum compagine, ad symmetriae normam omnia iam reducebat; sed feliciter contra, naturae magisterio convenientius aliquantulo respondere incepit; unde, si in illa tam immani imaginum iactura, multa pulcherrimaque opera destructa sunt, saltem illud proinde venit,

(1) DUCHESNE, *Le Liber pontificalis: Paulus I*, 464; cf. etiam *Gregorius III*, 415-417 et *Stephanus III*, 476.

ut venustior renasceretur pictura, et huic veluti cuiusdam aureae aetatis initium fieret.

Romae vero, etiam Paschalis I (817-824) tempore, ea haud diuturna quidem, artis efflоruerat renovatio, quam Carolingianam vocant; attamen, neque Urbi tunc data quies, neque Caroli

Tab. 85. Musivum oratorii Vaticani Ioannis VII, hodie apud ecclesiam S. Mariae in Cosmedin asservatum.

magni protectio ac munificentia, neque nonnullorum pontificum pietas et in basilicis exornandis studium efficere potuerunt, ut Romae musiva ornamenta in pristinam resurgerent excellentiam: si S. Zenonis sacellum, apud S. Praxedis ecclesiam, excipias, vix quidpiam alibi, quod peioribus mendis careat, invenies (Tab. 96).

Tab. 86. Musivum sacelli S. Zenonis, Romae, apud ecclesiam S. Praxedis.

Saeculo decimo primo ac deinceps, animadverti potest imaginum artem novos ex antiqua arte subire afflatus, qui eam paulatim elevant eique novam indolem largiuntur: musiva recedunt, praevalent picturae, novumque ac pulcherrimum aevi medii artis genus efflorescit.

Hac quoque aetate, aliud quoddam musivum opus progignitur ad pavimenta, plutea, ambones, altaria, cathedras aliaque huiuscemodi decoranda; quod alii Cosmatum (Italice *Cosmatesco*), alii Alexandrinum opus vocandum existimant. Revera tamen neutrum vocabulum convenit, cum neque a Cosmate, saeculi decimi tertii marmorario, opus inventum fuerit, neque opus Alexandrinum, quale a Lampridio describitur, quidquam cum hoc opere habeat commune. Antequam Cosmatis floreret schola, iam aliae apparuerant marmorariorum familiae, ut patet ex eorum inscriptionibus apud opera appositis.

En aliqua specimina:

1. *Petrus et Nicolaus Ranucii romanus* (MCXLIII), *Ioannes* (Nicolai filius) *et Guitton* (MCLXVIII), *Ioannes Guittonis* (*filius*) civis romanus (MCCIX).

2. IN·N*omine*·D*omini*·MAGISTER GIL*bertus* PRO CARD·
S·MARCI IVSSIT HOC FIERI PRO REDEMPTIONE
ANIMAE SVE ANN·DNI M·C·L·IIII·IND (indictione)·
II FACTVM EST PER MANVS IOHIS PETRI
ANGELI ET SASSONIS FILIOR·

Cuiusdam nempe Pauli filii, Ioannes, Petrus, Angelus et Sasso, tabernaculum ecclesiae S. Marci exornarunt. Pater autem dexterrimus in eadem arte fuisse ex hac, apud Pii IV villam in Vaticano inventa, inscriptione videtur:

✠ Nunc operis quidquid chorus ecce nitet pretiosi
Artificis scultrix comsit bona dextera Pauli.

Huic familiae Cosmates successerunt, pater videlicet Laurentius, filius Iacobus et dein ipsius Iacobi filius:

1. Hoc opus ex auro vitris Laurentius egit,
Cum Iacobo nato sculpsit simul atque peregit.
(Inscriptio in basilica Vaticana olim exstans).

2. Magister Iacobus cum filio suo Cosmato fecit hoc opus.
(Super ianua monasterii S. Thomae in Formis).

Huius aequalis, alia Romae floruit schola, quae a Vassalletto quodam nomen accepit:

> Nobilis et doctus hac Vassallectus in arte
> Cum Patre cepit opus, quod solus perficit ipse.
> (Apud Lateranum claustrum a Sirmond transcripta inscriptio).

Alii eadem circiter aetate, fuerunt huiuscemodi artifices, nec ecclesiastici viri illam dedignati sunt artem exercere;[1] nuperrime vero egregius P. Grisar aliam Italam marmorariorum scholam detexit[2] quae, cum in Umbria nata fuerit, Umbrica vocari posset.

Opus illud, in quadam inscriptione, Romanum olim vocatum est: *romano opere et maestria*;[3] nec facile aliud conveniens posses nomen invenire, nisi velis *opus mixtum* illud appellare, quatenus musivo simul et sculptura consistit. Plerumque enim tesserae inter mormorea ornamenta sunt aptatae, iisque insertae puram decorationem efficiunt, nullam imaginem componentes, sed geometricas imitantes formas.

Denique notandum est non solum Romae ac in Umbria, sed et in aliis Italiae regionibus, Venetiis, Ravennae, apud Sublacum, in Sicilia insula, necnon in Anglia exempla horum operum reperiri.

Art. III. — De basilicarum picturis.

Cum eadem plus minus fuerint picturarum ac musivorum sors vicesque, neque has separatim tractare licebit, neque multa de his dicere oportet.

Imagines, sive aquatis coloribus, sive, et quidem saepius, udo depictae, plerumque basilicis decorandis tunc adhibebantur cum opes ad musivam decorationem efficiendam non suppetebant. Neque solum apud basilicas picturae sic elaboratae

(1) De Rossi, ap. *Bull. di arch. crist.* 1875, p. 110 sq.; 1888–1889, p. 156 sq.; 1891, p. 73 sq.

(2) Grisar, ap. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1895, p. 42 sq.; p. 127 sq.

(3) Cf. Faloci Pulignani, *Del chiostro di Sassovino*. Foligno, 1879.

sunt, sed etiam aliquando in sepulcretis, quae tamquam sanctuaria habebantur, seu in quibus martyrum sepulcra fideles venerabantur. In Africa, sicut in Oriente, monasteria quoque picturis multis decorata sunt, ac notabiles prorsus extant imagines sacrae quibus tum Oasis Maioris coemeteria, tum monasterium S. Apollonis, apud Baouït, sunt insignita. (1)

His tamen omnibus picturae ecclesiae S. Mariae Antiquae in Foro Romano praecellunt, cuius ex parte diruti parietes effigierum varia specimina fragmentaque produnt, ad varias pertinentia aetates, quae inter quartum atque undecimum intercedunt saeculum. Hinc est quod haec S. Mariae Antiquae aedes quibuslibet prioris medii aevi elaboratarum aetatibus picturarum vices quodammodo oculis obiiciat, ac pretiosas nobis notitias ad texendam artis historiam suppeditet; nec solum pro Roma Occidentalibusque regionibus, verum etiam pro Oriente. Vidimus enim, post primam saeculi sexti partem, Romanam artem Orientalis artis efficientiae obnoxiam fuisse; quae igitur Romae post hanc aetatem effictae fuerunt imagines, Orientalis artis exemplum ac veluti indicium reputari possunt, praesertim cum, grassante iconoclastarum persecutione, innumeri in Italiam monachi, inter quos multi pictores, confugerint, Porro, ex quamplurimis post Ioannem VII in Italia delineatis picturis, ne unam quidem invenies quae bonae artis indolem exhibeat, idque e picturis S. Mariae Antique patet clarissime. (2)

(1) Cf. W. DE BOCK, *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, et JEAN CLÉDAT, *Le monastère de la nécropole de Baouït*, apud *Mémoires de l'Institut français d'arch. orient. du Caire*, 1906, t. XII.

(2) Praestat hac de re quaedam egregii Wilpert verba referre: «Le pitture (scilicet S. Mariae Antiquae) ci insegnano come l'arte, fino al principio dell'ottavo secolo, si mantenne ad una certa altezza; fra le opere infatti eseguite sotto Giovanni VII ve n'è qualcuna assai pregevole. Furono questi gli ultimi sprazzi di luce che l'arte diede in Roma. D'allora in poi essa andò sempre più decadendo. La guerra alle immagini che trasse a Roma una quantità di monaci e forse anche di artisti, non valse a migliorarla, ma aumentò soltanto il numero delle pitture. È una prova questa che in quel tempo, a Costantinopoli e in tutto l'impero devastato

Praeterea, sicut in basilica S. Mariae Maioris, sic in ista imagines plerumque alicuius haeresis depictae sunt caussa. Sunt enim picturae quae ad pontificis Ioannis II aetatem (533-535) respiciunt, unde, ut egregius opinatus est Wilpert, ob renovatam in Oriente Nestorianorum haeresim effictae.[1]

Monothelitae haereseos, contra quam strenue Martinus I (649-655) pugnavit, occasione, noviter depictae sunt imagines et quidem tales, ut nullum circa earum naturam dubium dari possit.

Confingebatur enim tunc ab haereticis unica in Christo voluntas, et huius perniciosissimi erroris Constantius II praecipuus fautor erat. Martinus I concilium coegit Lateranense, in eoque, viginti capitibus, nova commenta damnavit, necnon apud S. Mariae Antiquae basilicam, tunc velut imperatoris Palatinique comitatus propriam ecclesiam habitam, quattuor, utpote verae fidei testium, effigies Patrum depingi iussit illorum, qui potissime doctrina ac scriptis vana Monothelismi confutaverunt argumenta: adfuerunt scilicet Leonis I, Gregorii Nazianzeni, Basilii et Ioannis Chrysostomi effigies, cum laterculis singulorum decretorios magis textus exhibentibus.

In picturis vero Ioannis VII iussu (705-707) delineatis, quidquid pulchrum cernitur privato est adscribendum ingenio artificis, qui antiquiora opera imitari conatus est; hoc quidem vel de musivis ipsius pontificis dicendum. Sic in Mariae Reginae imagine depingenda artifex ut prototypum adhibuit illam Mariae figuram, quae opere musivo fuerat in basilica S. Ma-

dall'iconoclasmo, l'arte non si trovava in condizioni migliori di quella di Roma». (WILPERT, *S. Maria Antiqua,* ap. *L'Arte*, an. XIII, fasc. 1, *Conclusione*).

(1) «Del resto, subiungit Wilpert, non è certamente impossibile che le decorazioni siano state fatte dopo l'occupazione di Roma da parte dei Bizantini, perchè è verosimile che i vincitori abbiano subito colta l'occasione di adornare la loro chiesa di corte in Roma con decorazioni che non costavano molto e servivano d'altro lato a cattivarsi la benevolenza del popolo. La differenza di tempo fra le due ipotesi è del resto così breve che ambedue sono ugualmente verosimili». (WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, p. 10).

riae Maioris elaborata: illic enim Maria inter duos angelos necnon inter principes apostolorum ac utrumque Ioannem ap-



Tab. 87. Maria Regina (Apud ecclesiam S. Mariae Antiquae).

parebat; hic autem non nisi utriusque Ioannis effigies desunt (Tab. 87).

Tempore quoque Ioannis VII usus inductus est inferiores parietum partes apud basilicas ita picturis exornare, ut viderentur tapetibus quos clavi sustentassent coopertae,[1] dum prius ad marmorum similitudinem effingebantur. Haec tamen decoratio inaudita haud erat, quippe quae apud Romanos an-

Tab. 88. Pictura basilicae subterraneae S. Clementis (Ex Wilpert, *Le pitture della basilica sotterranea di S. Clemente*).

tiquos viguerit, et cuius exemplum olim musiva basilicae Iunii Bassi, seu S. Andreae *in catabarbara*, protulerint. Ioannis VII etiam artifices nova exhibuere argumenta, de quibus postea

(1) Haec decoratio pulcherrima apud ecclesiam S. Mariae Antiquae apparet, et etiam ad exornanda sanctuaria super coemeteriis erecta adhibita est. Ego ipse, in basilica SS. Syxti et Caeclliae apud coemeterium S. Callisti, eam extitisse notare valui, quam tamen, post Boldetti tempora, nemo discernere potuerat.

loquendum atque item de iconoclastarum temporibus. Deinceps vero, picturae omni fere destituuntur pulchritudine donec, saeculo decimo primo, post devastatam a Normannis Urbem, aliqua pingendi renascatur ars, cuius praeclarum basilicae subterraneae S. Clementis specimen praebent. (Tab. 88).[1]

Art. IV. — De « Byzantina » quaestione.

Antequam supra dictarum imaginum *cyclos* considerandos aggrediamur, de valde disputata ac disputanda loquendum est quaestione, quam Byzantinam vocarunt, et quae ad id in summa reducitur ut medii aevi artis origo et explicatio apprime determinentur.

Quaestio ista perdifficilis. Haud enim certe negare licet Orientalem artem in Byzantini styli formatione partem habuisse, pars tamen ista Romanae artis efficientiam excludere non debet. Archaeologi qui fere omnia Orienti satagunt tribuere, adversarios de ignorantia aliquando arguunt, atque ad styli notam plerumque recurrunt quasi vero haec per se quaestionem ultimo dirimere posset. Verum, praeterquam haec nota, si solum adhibeatur, parum nonnunquam valeat, etiam exempla, quae veluti termini afferuntur comparationis, vix quidquam probant. Sed variae sententiae expendendae sunt.

Christiana ars, ait egregius Kraus, primo et secundo saeculo, Alexandrina fuit,[2] postea facta est Romana; nam, post illam aetatam ars Romana longe lateque est propagata.[3] Unde, ex Kraus sententia, ars Christiana, quae a quarto ad septimum saeculum, in Aegypto, in Syria, in Asia-Minori, Constantinopoli et alibi, floruit, nedum quoad argumentorum materiam, etiam quoad stylum, ab urbe Roma, veluti ab originis artis centro, repetenda est.

(1) Cf. Wilpert, *Sancta Maria Antiqua*, p. 46.

(2) Cur Alexandrina et non Graeca, si de sculptilibus agatur; cur non Graeca simul atque Etrusca, ac parva ex parte Aegyptia, si agatur de architectura aliisque?

(3) Kraus, *Geschichte der christlichen Kunst*, t. I, Friburgi, 1896.

Haec quoque sententia, si prout iacet accipiatur, ex parte solummodo vera est dicenda: ars nempe Romana haud potuit elementis locorum non esse obnoxia, neque in Orientalibus regionibus omne artis lumen penitus erat extinctum, aut ita parvi habitum ut pro Romana, utpote victorum, arte reiiceretur. Ars gentica igitur saltem in templis ac inter domesticos parietes aliquatenus servata est, ac quoties patrii incolaeque artifices ad publicum aliquod monumentum erigendum sunt adhibiti, quisnam dubitare potest quominus tale monumentum, si in Syria, Syriacum, si vero in Perside, Persicum redoluerit stylum? Id quidem omnino non negat auctor, cum Byzantinam artem quandam Romanae artis, ad interitum properantis, dicat provincialem formam esse; quod certe locorum efficientiam supponit.[1]

Inter eos qui Romae maximam in artis Byzantinae formatione partem adscribunt notandi sunt Riegl,[2] Wilpert[3] ac praesertim Wickhoff.[4] Contrarium autem Aïnalof,[5] Bayet,[6] Diehl[7] aliique defendunt, quorum agmen ducere videtur Ioseph Strzygowski,[8] audacis ingenii ac eruditissimus vir, de quo iam verbum fecimus. Hic, sive in architecturae monumentis, sive in picturis ac sculptilibus apud Orientales regiones effictis nihil quod Romanam artem stylumque saperet invenit, plae-

(1) Kraus sententia ex parte tantum vera est, scilicet si ad musiva opera attineat, necnon ad textilia (de quibus infra); quod quidem neque modo decretorio dicere licet, cum textilia omnigena Romam, sub finem popularis potestatis, undique gentium invecta fuerint.

(2) Riegl, *Die spätrömische Kunstindustrie.* Viennae, 1901.

(3) Wilpert, *Le pitture delle catacombe romane.*

(4) Hartel et Wickhoff, *Die Wiener Genesis.* Viennae, 1895.

(5) Haïnalof, *Origines hellénistiques de l'art byzantin.* Pétersbourg, 1900.

(6) Bayet, *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétienne en Orient, avant la querelle des Iconoclastes.* Paris, 1879 *L'art byzantin*, ed. 3e, Paris, 1904.

(7) Diehl, *Etudes byzantines*, Paris, 1905; *Manuel d'art byzantin*, Paris, 1910; *Iustinien et la civilisation byzantine au IV siècle*, 1901.

(8) Strzygowski, *Orient oder Rom*, Leipzig, 1901; *Byzantinische Denkmäler*, 3 vol., 1891–1893–1903; *Klein Asien*, 1903.

raque vero monumenta Romae adhuc exstantia Orientali arti esse tribuenda declaravit. Porro, ut iam supra diximus, exempla quae pro hac sententia afferuntur ad rem plerumque non faciunt; imo, si basilicarum quaedam ad structuram pertinentia excipiantur, quae picturas ac sculptilia respiciunt, Romana potius quam Orientalia sunt agnoscenda.

Re enim vera, quaedam veluti archetypa Orientalia proponuntur mulierum figurae, quae, manibus elevatis, dimidiatas ac in rotundo spatio imagines sustinent defunctorum: sed haec Romae non desunt, ac plures mutilatae adhuc statuae extant, victorias, personarum instar, adumbrantes, quae coronas eodem modo ac illae mulierum imagines attollunt; et istae quidem aliis, quae obiiciuntur, multo sunt antiquiores. Proponitur etiam quoddam decorationis genus, animalium figuris insignitum; sed hoc quoque saeculo iam primo invenitur Romae.

Iuxta Strzygowski opinionem, picturae quoque Caelimontanae, seu S.S. Ioannis et Pauli, domus, ubi nudi adolescentes serta sustinent geniique una cum avibus inter pampinos colludunt, orientali indole afflatae essent. Porro, Romae, eiusmodi exempla, vel saeculo primo antiquiora, non desunt, ut, iuxta viam Appiam, in quodam ex Albana petra exstructo sepulcro, videre est. In antiquissimo autem Flaviorum hypogeo, pulcherrima est avium geniorumque inter pampinos ludentium decoratio. Ipsum S. Constantiae sarcophagum nunc in Vaticano museo asservatum, artem Orientalem exhibere quidam volunt, quia Constantinopoli saeculi tertii quoddam sculpturae fragmentum inventum est valde illius sarcophagi ornamento consimile.

Nihilominus si atrium ecclesiae S. Silvestri, Romae, ingrediamur, statim inter plurima fragmenta marmorea tale ornamenti genus, idque ad saeculum secundum pertinens, sub oculis habebimus. In quodam aliunde codice papyraceo, Alexandriae invento atque parvis exornato picturis, egregius Strzygowski mere Aegyptias Orientalesque notas invenit; (1) e con-

(1) Strzygowski, *Eine Alexandrinische Weltchronik.*

tra nil fere illis in picturis est quod aliquantulum picturas catacumbarum Romanarum non sapiat. (1)

Syriae ac Persidi tandem adscribitur exornationis quaedam prodigentia, qua ipsae columnae necnon trabes ac parietes fruticibus ac floribus aliisque cooperta evadunt, praesertim ubi talia leviter insculpta sunt. Porro haec omnia saeculo tertio



Tab. 89. Capsa funeraria iuxta viam Appiam inventa.

ac quarto in Occidentalibus regionibus apparent, et eorum exempla apud museum Lateranense, in cryptis Vaticanis, apud Arelatem necnon in Hispania videre est. Ceterum huiuscemodi tabula 89 eloquentissimum specimen, parvam scilicet capsam, duorum defunctorum ossa continentem, ac nuper in via Appia inventam, affert. Tabula parvarum etiam rosarum, instar ornamenti, speciem praebet; quod ubique in Occidentalibus sculptilibus conspicitur. Praeterea ubique animalia, praesertim aves, iuxta vasa quasi ad bibendum adstantia cernuntur; illudque vel ante imperatorum aetatem in fictilibus adest. Ista ergo omnino Orientalia ornamenta definire nonne absonum?

(1) Cf. WILPERT, *Beiträge zur christlichen Archäol.* Roma, 1909.

Ceterum neque Strzygoski neque eius asseclae, quod sciam, nimis persuasum habere videntur quod docent; nam, dum monumentum aliquod cuius sit regionis statuere oporteat, alii Aegyptium, alii Hellenicum, alii Persicum, alii Syrum alii Mesopotamicum, alii Anatolicum, alii denique Constantinopolitanum nuncupant, Romano nomine quasi ex industria excepto. (1)

Quoad architecturam, tholorum usus ex Perside repetitur; at exempla quae velut antiquissima adduci possunt, saeculum tertium haud superant; quo quidem tempore, ars in Perside Hellenicam artem penitus redolebat. (2) Strzygowski, Bell, Diehl ecclesiarum formam polygonalem necnon Graecae crucis instar in Asia Minori quaerunt, ac inter monumenta saeculi quinti quae ad quartum immerito adscribunt saeculum; dum, Romae, utramque simul formam domus Augustana, in monte Palatino sita, iam a saeculo primo exhibuerat. Diehl tamen sententia, quae a Constantinopolitana urbe multa in ceteras Orientales urbes, ad aedificiorum structuram quod attinet, provenisse contendit, ex parte admitti potest, (3) praesertim si

(1) Cf. Théodore Reinach, ap. *Mon. Piot*, Paris, 1902, IX, p. 121 sq.; Millet, ap. *Revue archéol.* 1905, pp. 93–109.

(2) De aedibus agitur *Sarvistan* et *Firouz-Abad* vocatis, in quibus tholi inveniuntur ita quadratis innixi constructionibus, ut ubi anguli esse deberent, eorum locum teneant absides, quarum sphaerici arcus tholum sustinent quadratamque substructionem pene in octangulam reducunt. (Cf. I. de Morgan, *Miss. scient. en Perse,* IV, ap. *Recherches archéol.*, II, 1897, p. 309 sq.). « Les découvertes de ces récentes années, ait doctissimus Lagrange, à l'extrémité orientale du *limes* syrien, en particulier la série de châteaux explorés par M. Musil, (*Arabia Petraea* I, *passim*, le château d'*al-Okhaider* sur le *limes*, mésopotamien publié par M. Massignon, ap. *Compt. rend. de l'Acad. IBL.*, 1909, p. 202 sq.) fournissent de nouvelles et précieuses analogies. Or on sait que l'art, à la période des Sassanides (saeculo tertio), n'était pas un art spécial et indigène, né du génie du peuple Perse, mais un art tout imprégné des formes hellénistiques. *Ni Sarvistân, ni Firouz-Abâd ne valent donc plus pour prouver l'origine perse du dôme; c'étaient cependant les « meilleurs exemples connus »*. Ista proferuntur a viro quo melius nemo Orientalia monumenta posset cognoscere. (*Revue biblique*, 1910, n. 3, p. 455, not. 2).

(3) Diehl, *Manuel d'art byzantin,* 1910, *passim.*

de Syria septemtrionali agatur, nominatimque de quibusdam ruinis quae vocabulo *Qasr ibn Wardân* veniunt et quae ad sextum vel ad septimum pertinent saeculum: hae prorsus, ut Butler demonstravit, Byzantinae sunt. (1)

Notemus insuper, in Italia magis quam alibi orbiculatam aedificiorum formam antiquitus usurpatam fuisse, plurimaque monumenta, Romae, iam ante Christum natum, quadrata inferius, circularia superius, in tholum desivisse; quorum speciem nonnulla iuxta viam Appiam semiruta sepulcra exhibent.

His dictis, libet nunc nostram, quae multorum est, proferre sententiam nempe elementa plurima arti Byzantinae Orientem quidem suppeditasse, plurima, autem etiam ac fortasse maioris momenti, Romam. Si quid novi igitur revera exortum est, utrique est fonti adscribendum. Isti nobis genuini quaestionis termini videntur; unde in partes utriusque definiendas incumbendum est, non autem totum Orienti tribuendo, perinde quasi Roma, saeculo quarto, amplius non extitisset, aut ab eius arte artifices Orientales abhorruissent, vel totum quidquid in Oriente est Romanum dicendo, quasi illic vel memoria monumentorum, nedum ipsa monumenta, deleta fuissent. Orientalis denique aevi medii ars longe procul dubio ab antiqua Romana arte differt; sed, si quoad architectonicam modum tholos suis

(1) Butler, *Northern Syria* apud *Publications of Priceton University Archaeological Expedition to Syria*, Leyde, 1907-8. Praestat quaedam iterum Lagrange, hoc circa studium, adducere verba: « De récentes et insuffisantes descriptions, en faisant connaître superficiellement ces ruines, avaient créé une énigme: qui avait pu faire surgir de tels édifices en plein désert, et pourquoi? Travaillant sur des photographies, M. Strzygowski élaborait naguère, au sujet de l'église en particulier, une théorie ingénieuse et subtile, dans laquelle cette église, détachée de toute influence artistique venue de Byzance, devenait le type caractéristique d'un art syrien dont le foyer était situé à Antioche (*Kleinasien, ein Neuland* etc., p. 121 sq.). Il en résultait des conséquences graves dans l'évolution historique du type basilical à coupole. Tout cela était prématuré et bâti sur des donnes absolument insuffisantes. M. Butler *démontre*, au contraire, que tout l'édifice est byzantin, érigé, de la base au faîte, en quelques années par des architectes venus de Constantinople ». (*Revue biblique*, 1909, p. 595).

basibus imponendi capitellorumque formam excipias, cetera ideo discrepant, quia profuse artificiosiusque iuxta Orientalium morem, ornamenta adhibita sunt. Utrum vero haec ars Byzantina revera et legitime dici debuisset, decernere non audeo; videant doctiores.

ART. V. — **Argumentorum sive ex vetere, sive ex novo Testamento depromptorum, apud basilicarum musiva vel picturas, series seu cycli, eorumque ratio.**

Quod supra de novo artis afflatu summis delibavimus labiis, id nunc data opera tractandum est, ac statim animadvertere libet argumenta iuxta eorum momentum ac significationem plerumque locum in basilicarum parietibus sortiri. Sic, quod aliis imaginibus sanctius videbitur, ad sanctiores templi partes decorandas adhibebitur, ceteraque ita disponentur, ut ad ipsum altare ac tabernaculum quodammodo referantur. Materia autem imaginum haec est:

1. Apocalypticae visiones aliaeque symbolicae compositiones.

2. Christi vel Mariae cum divino Infante imago, cui angeli, apostoli aliive sancti adsunt, ac veluti series ex utroque latere aliquando producuntur.

3. Series seu cycli biblicorum argumentorum sive antiqui sive novi Testamenti.

Ista quidem argumenta ad apsides ac parietes pertinent iisque paucae sunt imagines adiungendae, quae imperatoris Iustiniani pompam respiciunt et quae Ravennae solummodo in S. Vitalis basilica apparent; pretiosa quidem illius artis exempla quibus publica erant condecorata aedificia, cuiusque nullum, praeter illa, vestigium remansit.

Ad pavimenta vero quod spectat, raro imagines sacrae in iis delineantur,[1] saepius vero, praeter geometricas figuras,

(1) In pavimento cuiusdam antiquae basilicae, nuper, apud Aquileiam inventae, Boni Pastoris figura opere musivo cernitur descripta (Cf. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1910, tab. v).

omnigenum animalium, plantarum florumque decus, votivarum inscriptionum, quandoque etiam aedificiorum imagines, topia, ethnicarum fabellarum historiae necnon topographicae sanctorum locorum delineationes. (1)



Tab. 90. Antiquae basilicae S. Petri interna restitutio.

Apocalypticae visiones. — Hae apsides aut triumphales arcus cooperiunt, iamque saeculo quarto apparent, licet illius temporis musivorum pauca maneant exempla.

Non ita tamen indicia historica quae nobis ubique eiusmodi argumenta usurpata fuisse commonstrant, quorum primum locum Paulini Nolani quaedam obtinent verba, quibus, in sua trigesima tertia epistola, Fundanae basilicae apsidis symbolicas imagines quas depingendas curaverat, describit:

« Pleno coruscat Trinitas mysterio, stat Christus agno, (id est agni sub forma), vox Patris caelo tonat, et per columbam Spiritus sanctus fluit. Crucem corona lucido cingit globo, cui

(1) Vol. I, pars prima, pp. 44–45, tab. 1.

coronae sunt corona apostoli, quorum figura est in columbarum choro. Pia Trinitas unitas Christo coit habente et ipsa Trinitate insignia: Deum revelat vox paterna et Spiritus; sanctam fatentur crux et agnus victimam, regnum et triumphum purpura et palma indicat. Petram superstat ipsa petra ecclesiae, de qua sonori quattuor fontes meant, evangelistae viva Christi flumina». Addit insuper illos admodum cognitos versus eidem Fundanae basilicae inscribendos:

> Et quia praecelsa quasi iudex rupe superstat,
> Bis geminae pecudis discors agnis genus haedi
> Circumstat solium: laevos avertitur haedos
> Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos. (1)

Ipsa haec argumenta etiam in basilica S. Felicis efficta erant; quae si cum imaginibus apsidarum basilicarum quarti saeculi comparare voluerimus, vix ea ab istis inveniremus differre; immo in ordine ac dispositione argumentorum atque in numero, potius quam in symbolorum elementis est differentia animadvertenda. Nil enim usitatius quam agni occisi aut Christi in monte, e quo flumina quattuor manant, insidentis imago, crux in rotundo stellatoque spatio emicans; columba Spiritus sancti effusi figura; manus e nubibus prodiens, aeterni Patris symbolum; columbae vel agni apostolos adumbrantes. Christus denique oves vel agnos accipiens haedosque reiiciens, praeter quam Ravennae, in S. Apollinaris Novi basilica, etiam in quodam saeculi quarti sarcophago, ut vidimus (Tabb. 75, 76) apparet; nec difficile est, in ceteris S. Paulini descriptionibus, reliqua argumenta invenire quae in musivis vel in basilicarum superstitibus picturis reperiuntur.

Immo moris fuisse videtur, ut aliquando versibus, musivo quoque aut coloribus delineatis, symbola munirentur, ne eorum sensus fidelibus obscurus evaderent, idque S. Paulinum fecisse ex eius scriptis accipimus, ac, ut probe iam plerique suspicabantur auctores, et duodecim abhinc annis egregius Kirsch ul-

(1) S. Paulinus Nol. *Epist.* XXXIII, *P. L.* LXI, 339. Horum symbolorum quamdam restitutionem apud ephemeridem *Römische Quartalschrift* egregius Wickoff proposuit (an. 1889).

timo rem absolvit, [1] quidam Prudentii (saec. IV-V) versiculi, qui inter poetae opera *Dittochaeum* nomine veniunt, veluti argumentorum biblicorum in aliqua depictorum basilica explanationes habendi sunt. [2] Ad rem praesentem quod attinet, notandum venit, Apocalypsim Ioannis in Prudentii Dittochaeo ultimo recenseri loco, his verbis expressam:

> Bis duodena senum sedes pateris, citharisque,
> Totque coronarum fulgens insignibus, agnum
> Caede cruentatum laudat: qui evolvere librum,
> Et septem potuit signacula pandere solus.

Porro, huic argumento, non solum ordine chronologico, sed pro eius cogitatione eiusque descripta explicatione supremus convenit locus, quippe quod in arcubus triumphalibus inque apsidibus solummodo ubique pictum invenitur ac reliquarum

(1) *Atti del II Congresso internazionale di archeologia cristiana*, Roma, 1902, pp. 127-131.

(2) Egregii auctoris textum huc praestat fuse referre: « Une première question qui se pose est celle-ci: Les compositions poétiques étaient-elles réellement destinées, dans la pensee de l'auteur, à servir de texte explicatif à des images bibliques? A cette question il faut répondre affirmativement. Le texte lui-même le prouve. Déjà la forme égale de toutes les compositions, qui ont chacune quatre vers hexamètres, et la façon semblable dont les sujets sont traités, fait penser à une destination de ce genre. Puis, l'emploi presque constant du présent montre que ce ne sont pas des récits historiques que Prudence veut faire, mais qu'il indique pour ainsi dire une chose qui se trouve placée sous les yeux du spectateur. De plus, nous rencontrons à plusieurs reprises des expressions qui ne peuvent s'expliquer que par la place occupée par les vers sous de scènes bibliques. Ainsi n. 4, *Ad ilicem Mambre*, la visite des anges auprès d'Abraham, *Hospitium Domini est*; n. 9, dans les vers sur le passage de la Mer Rouge: *Ecce Dei famuli scissim freta rubra dehiscunt*; n. 24, *Domus Ezechiae: Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos*, etc.; n. 27, l'adoration des rois Mages: *Hic pretiosa Magi sub Virgini ubere Christo — Dona ferunt puero...*; n. 41: *Vinctus in his Dominus stetit aedibus*, etc. Puis il faut encore faire remarquer que très souvent le poète fait une application allégorique de la scène qu'il décrit; il en tire en quelques mots des conséquences pratiques. Ceci encore s'explique le mieux, si nous admettons que les compositions devaient accompagner des images exposées aux yeux des fidèles » (loc. cit. p. 128).

historiarum veluti corona extitit (Tab. 90). Ex Paulino autem Nolano, ut rite Prudentii commentatores adnotarunt, vel de vocabulo seu titulo *Dittochaeum* ratio intelligitur, nempe duplicis Testamenti picturam duplicem cibum sive Dittochaeum posse appellari: *Qui videt haec vacuis agnoscens vera figuris - Non vacua fidem pascat imagine mentem.* (1)

Quam igitur maxime apocalypticae visiones arcubus et apsidibus super aut retro, semper vero prope altare conveniant non est cur dicatur; omnium vero perfectissimum huius rei exemplum in basilica Ravennatensi S. Vitalis habetur. Etenim, in parietibus ad latera altaris, Abel ac Melchisedech munera Deo offerentes, necnon Abraham filium sacrificaturus ac ipse patriarcha cibum tribus angelis apponens efficti sunt (Tabb. 91, 92). Hic vero atque illic Evangelistarum figurae sedentes sub propriis symbolis ac prophetarum imagines vitae Moysis argumentis commixtae. Ad curvas arcuum superficies, Christi et apostolorum dimidiatae figurae in rotundis spatiis conspiciuntur, in arcu denique triumphali, inter urbes Ierusalem ac Bethleem, duo angeli Christi monogramma in clypeo contentum sustinent. Profecto omnes personas, omnia argumenta omniaque symbola circa altare ubi Missa celebratur hic habentur, quae Agni divini sacrificium annuntiarunt, praefigurarunt, glorificarunt.

Cum apocalypticis visionibus alia quandoque commiscentur elementa; sic apud Ravennatensem S. Apollinaris in Classe basilicam, in summa apside transfiguratio Domini adumbrata est, ac modo prorsus symbolico; nempe loco Iesu Christi transfigurati crux adest inter stellas emicans, supra quam e caelo manus Patris proditur. Moyses vero et Elias e nubibus emergentes apparent; tres denique apostoli tribus niveis adumbrati sunt agnis.

Uti patet, adhuc symbola hic habentur paradisi, sed Romae, in arcu triumphali basilicae Liberianae (S. Mariae Maioris), praeterquam pauca apocalyptica elementa, Salvatoris primordia, propter peculiares temporum rationes, exhibita sunt. Elementa vero apocalyptica urbes Ierusalem ac Bethlehem extant

(1) *P. L.* LX, 112, in nota.



Tab. 91. Abraham tres angelos recipiens hospitio. Isaac sacrificium. (Opus musivum basilicae Ravennatensis S. Vitalis. Phot. Alinari).



Tab. 92. Abel ac Melchisedech oblationes. (Opus musivum basilicae Ravennatensis S. Vitalis. Phot. Alinari).

gemmis coruscantes, ad quas oves collectae sunt, ecclesia scilicet ex circumcisione et ecclesia ex gentibus coadunatae. Praeterea throni praeparatio, seu *hetimasia*, in quo Christus iudex ad omnes iudicandos cum maiestate sedebit; thronus, inquam, iam futuri iudicis symbolis munitus est, scilicet cruce, corona ac septem signaculorum libro. Apostoli Petrus ac Paulus adsunt ad latera, ac supra, inter nubes caeli, quattuor Evangelistarum symbola (Tabb. 109, 110) [1].

CHRISTI VEL MARIAE CUM DIVINO INFANTE IMAGO, CUI ANGELI, APOSTOLI ALIIVE SANCTI ADSUNT, AC VELUTI SERIES EX UTROQUE LATERE ALIQUANDO PRODUCUNTUR.

Apocalypticae visiones earumque adumbrationes haud ita exclusive invaluerunt, ut nullum aliud argumentum in sanctioribus basilicarum partibus locum habere posset. Iam enim saeculo quarto, Romae, in apside ecclesiae S. Pudentianae, Christi maiestas inducta est, cum apostolis ad latera, aeque atque Dominus, sedentibus (Tabb. I, II ad calcem). Saeculo autem quinto ac sequentibus, Christus in mediis apsidibus apparet, angelis duobus vel pluribus circumdatus, praesertim Michaele ac Gabriele archangelis, ac dum sibi defuncti ab angelis, vel ab apostolis aut sanctis praesentantur.

Saeculo quinto etiam Maria incipit eodem modo effingi ac pulcherrima huius rei exempla picturae ecclesiae S. Mariae Antiquae, in foro Romano (Tab. 87), [2] atque opera musiva Parentinae (in Istria) basilicae nobis proferunt. [3] Horum archetypa imago illa forsitan est reputanda quae olim parietem altari oppositum basilicae Liberianae exornabat, opere musivo, pontificis

(1) SISTO SCAGLIA, *I mosaici antichi di S. Maria Maggiore*, tab. 1; cf. DURAND, *Etudes sur l'Etimacia*, Chartres, 1867. — Thronus eiusmodi in tardioribus picturis iudicium universale adumbrantibus, medius compositionis apparebit, caelum a terra, paradisum ab inferno distinguens.

(2) Cf. WILPERT, *S. Maria Antiqua*, ap. *L'arte*, Roma, 1910.

(3) Cf. MARUCCHI, *Le recenti scoperte del duomo di Parenzo*, ap. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1896; WLHA et NIEMAND, *Der dom von Parenzo*; ERRARD et GAYET, *L'art byzantin*, Paris, 1901.

Tab. 93. Communio apostolorum. Apostoli adorantes ad altare, Petro praeeunte, appropinquantur, ut ambabus manibus, a Christo panem eucharisticum recipiant. Pars musivi sinistra pone altare. In parte dextra, symmetrice, Iterum, Christus calicem eucharisticum praebet apostolis eodem ordine adventantibus (ap. Serrès - Ex *Mon. Piot.* t. X).

Tab. 94. Musiva apud basilicam Montisrealis (Panormi).

Syxti III (432-440) iussu, elaborata, quibus hi fuerant versus appositi:

Virgo Maria tibi Sixtus nova templa dicavi
Digna salutifero munera ventre tuo.
Te Genitrix ignara viri te denique foeta
Visceribus salvis edita nostra salus.
Ecce tui testes uteri sibi praemia portant,
Sub pedibus iacet passio cuique sua
Ferrum flamma ferae fluvius saevumque venenum
Tot tamen has mortes una corona manet. (1)

Itaque, uti par erat, cogitatio Mariae Deiparae tamquam reginae repraesentandae Romae, ut videtur, primum effloruit; nam in Urbe tria huius exempla omnium in suo genere antiquissima extiterunt, nempe in Liberiana Basilica, in ecclesia S. Mariae Antiquae, ac in coemeterio Commodillae, quod quidem ultimum exemplum probe noverunt artifices saeculorum sexti et sequentium, qui fere eamdem pluribus in locis repetiverunt imaginem, uti, exempli gratia, in Parentina basilica ac in ecclesia Ravennatensi S. Apollinaris Novi videre est (Tabb. 95, 96).

Romae usus videtur coepisse donatorum adhuc viventium imagines repraesentandi, una cum re, puta templi fabrica, quam Ecclesiae donassent, aut etiam in actu alicuius erga Christum aut Mariam obsequii; in utroque vero casu eorum facies quadrato spatio circumscriptae sunt quasi prius delineatae in panno aliquo fuissent, ac postea sic parieti applicatae. Re enim vera primum eiusmodi imagines in panno quadrato inductae sunt, quarum quidem antiquissimum omnium exemplum apud coemeterium S. Callisti, in crypta quam Oceani vocarunt, habetur. Quadratus hic nimbus signum viventis dicebatur: *insigne viventis.* (2)

Haud raro in una eademque basilica tum Christus, tum

(1) De Rossi, *Inscript. Christ.* t. II, p. 71.

(2) Ita saltem quadratam aureolam Paulus Diaconus, loquens de imagine S. Gregorii Magni in Caelimontano monasterio efficta, appellavit; utrum vero viventis personae semper fuerit indicium dubitari potest, praesertim quando eiusmodi imagines in sepulcris fuerunt inductae.

Maria in medio Apostolorum sanctorumque coetu repraesentantur, ille, scilicet in triumphali arcu aut in tholo, ista in apside, ille dum loquitur seu docet,[1] ista dum divinum In-

Tab. 95. Pictura coem. Commodillae (saec. v).

(1) Sunt qui Christum benedicere dicant cum duos vel tres digitos manus dexterae porrectos habet, pollicem scilicet, indicem et medium, contractis reliquis, quasi vero actus benedicendi antiquis temporibus idem fuerit atque hodie. Porro certum est, antiquos Christianos solitos fuisse benedicere manum dexteram capiti imponendo; pariterque priorem illam

fantem, in gremio eius sedentem, adorandum ostendit; cuius rei pulcherrimum in Parentina praelaudata basilica exemplum conspicitur, opere musivo effictum, et apud Baouït sepulcretum,

Tab. 96. Musivum opus basilicae Ravennatensis S. Apollinaris Novi (saec. VI).

in Africa, utrumque argumentum in eadem depictum basilicae apside videre est. (1)

digitorum dispositionem, necnon eam quae apud Graecos viguit, uniendi scilicet pollicem cum anulario, reliquisque extensis, oratoris gestum fuisse pro certo haberi debet, nam non solum Christus docens aut iudicans hunc gestum prodit, verum etiam aliae biblicae personae, et quidem ante ipsum Dominum et cum eo loquentes vel eum, ut Ioannes Baptista, indicantes (vide tabb. 119); quinimmo fidelium ipsorum imagines benedictionis actum producere essent dicendae, quando cum aliis loquentes sunt hoc more adumbratae.

(1) JEAN CLÉDAT, *Le monastère et la nécropole de Baouït*, ap. *Mémoires de l'Institut français d'arch. orient. du Caire*, 1906, t. XII.

A saeculo circiter septimo etiam aliqui sancti locum in mediis apsidibus aut arcubus triumphalibus obtinuerunt, qui usus tamen nunquam praevaluit, primumque exemplum in apside coemeterialis basilicae S. Agnetis, Romae, exhibitum est (inter 625 et 640).

Tab. 97. Pictura monasterii S. Apollonis (Africa).

Series sanctorum, virginum ac martyrum, saeculo quinto in navis parietibus inductae sunt, sed, sicut illi martyres qui e Syxti relatis versibus, iuxta Mariae imaginem erant delineati, ad eam referebantur; ita sanctorum productae series quandoque ad praecipuam conversae erant figuram proindeque veluti ad eam quodammodo ordinatae. Horum magis perspicuum exemplum apud ecclesiam Ravennatensem S. Apollinaris Novi reperitur, ubi sanctorum, ad dexteram, sanctarumque, ad sinistram, imagines coronas manibus tenentes, eas ad Christum oblaturae ire videntur.

Itaque, ut tandem concludamus, ex propositis notionibus illud colligere fas est, in sanctioribus seu altari propioribus basilicarum partibus a saeculo iam quarto ea efficta fuisse, quae su-

blimiora significarent mysteria, ceteraque istis coordinata plerumque extitisse. Inter vero praecipua mysteria tali adumbrata modo, Christi gloriam ac maiestatem emicuisse videmus, nempe aut symbolis apocalypticis inductam, aut angelorum ministerio significatam, cum scilicet isti ei inserviunt, eum adorant eique coronam offerunt, quae aliquando etiam manu e caelo protenta super eius capite sustinetur. Ad Mariam vero quod spectat, ista a saeculo quinto, aeque atque Christus, licet uti mater eius, reginae instar sedentis apparet in throno, eique constanter angeli adsunt. Non est dubium hoc ab Ephesino dependisse concilio, in quo Maria vera Dei mater seu Deipara (Θεοτόκος) declarata fuit. (1)

(1) Praestat plura huc, circa sanctuariorum basilicarum ornamentationes, egregii Diehl adducere, qui saeculo septimo, atque, ut erat praevisum, Orienti, novam symbolicam templi significationem ac proinde respondentem decorationem, in praeclaro suo novissimo opere, descripsit: « Dès le VIIe siècle, les Pères de l'Eglise grecque avaient attribué une signification symbolique à l'Eglise et à ses différentes parties. " L'Eglise, écrit un théologien grec du VIIIe siècle, est le ciel sur la terre, le lieu dans lequel le Dieu céleste demeure et se meut... l'Eglise, ajoute-t-il, a été préfigurée dans la personne des patriarches, fondée dans celle des apôtres, annoncée dans celle des prophètes, ordonnée dans celles des évêques, consommée dans celle des martyrs ". Ces indications des liturgistes ne seront point perdues pour l'artiste. Et aussi bien, on le sait, pour un byzantin, l'image religieuse n'est point un simple objet d'art; elle a une valeur plus haute, un sens plus profond; le peintre s'appliquera donc volontier à traduire par ses compositions les idées des théologiens, chaque partie de la décoration aura désormais une intention symbolique: chaque group de saints, chaque cycle de scènes occupera dans l'édifice sacré une place spéciale, et jouera un rôle nettement défini dans la grande démonstration théologique que l'Eglise a pour charge de présenter aux yeux des fidèles; bien plus, chaque partie de l'édifice sacré formera même un domaine particulier, ayant sa signification propre: un grand principe religieux domine tout l'ensemble du système décoratif ».

Post haec sane praeclara verba, quae nobis vel saeculi sexti picturis basilicarum convenire videntur, nec minus in Occidente (ac fortasse magis) quam in Oriente; sic de picturis tholos adornantes ac sanctuaria loquitur auctor: « Au sommet des coupoles, à la partie haute des voûtes, c'est le ciel. Le Christ y figure dans sa gloire, environné d'archanges, qui, en costume de parade, montent la garde autour de lui, la lance au poing;

Ferventibus autem iconoclastarum litibus, (1) haud raro, ac praesertim Romae, illarum personarum imagines effingebantur, contra quas magis furerent iconoclastae, et quas proinde a pontificibus videmus imperatoribus commemorari. Sic, exempli gratia, in Pauli I vita, hic legitur pontifex « saepius suos missos cum apostolicis obsecratoriis atque admonitoriis litteris praefatis Constantino et Leoni Augustis direxisse, pro restituendis confirmandisque in pristino venerationis statu sacratissimis imaginibus Domini Dei et Salvatoris nostri *Iesu Christi*, sanctaeque eius *Genitricis* atque beatorum *apostolorum* omniumque sanctorum, *prophetarum*, *martyrum* et confessorum ». (2)

Apostoli libris praediti effingebantur, episcopi autem item libros tenentes, sed pallio muniti more Graeco aut Latino, iuxta uniuscuiusque patriam; martyres denique aut coronam

au-dessous des anges, prennent place les apôtres, plus souvent les prophètes, qui dans les textes sacrés inscrits sur parchemin qu'ils déroulent, portent témoignage de la toute-puissance du Seigneur et annoncent la venue de son règne. Le Christ-Roi a un aspect particulier. On dirait, écrit Photius, à propos de l'image de la Nea, qu'il inspecte la terre, qu'il en médite l'ordonnance et le gouvernement. Ainsi le peintre a voulu exprimer par des formes et des eouleurs la sollicitude du Démiurge. Et en effet ce n'est plus ici le Christ évangélique, le Sauveur doux et tendre; c'est le créateur, le maître du monde, le *Pantocrator*, image du Dieu invisible avec lequel il se confonde. C'est ce que montrent clairement les inscriptions qui accompagnent sa figure. Il est l'ancien des jours (ὁ παλαιὸς τῶν ἡμερῶν) et le ciel est son trône; il est à la fois le Père et le Fils, et l'image qui le représente proclame avec éclat le dogme de la consubstantialité.

« Derrière l'iconostase c'est le sanctuaire où, à l'abri des portes closes, le prêtre célèbre le saint sacrifice. Ici encore une idée liturgique inspire la décoration. A la conque de l'abside, la Vierge est assise et tenant l'Enfant sur ses genoux, représentant alors l'Eglise, *trône animé du Tout-Puissant*. Les deux archanges Michel et Gabriel, en grand costume d'apparat lui font d'ordinaire cortège.

« Depuis que le Christ est allé bénir au sommet des coupoles, la Madonne règne en maîtresse à la place jadis réservée au Sauveur dans les fonds des absides, et elle y restera désormais. Aussi bien cette place d'honneur lui revient naturellement, puisqu'elle est, après le Christ, la

(1), (2) Vide has notas in sequente pagina.

aut crucem ante pectus ferentes repraesentabantur; aliquando etiam cum sui martyrii instrumentis necnon inter palmas floresque. Notamus tandem, saeculo septimo, etiam Crucifixum in mediis absidibus apparere, sed de eo infra erit loquendum.

Cycli. — Praeter sanctorum comitatus hinc inde e Christi, vel Mariae lateribus procedentes, biblicorum factorum memorandae sunt series quae historico plerumque modo fuerunt repraesentatae. Si Ioanni Damasceno fides adhibenda est, series huiuscemodi iam ab initio saeculi quarti in basilicis habitae sunt; haec enim de Constantino scribit: « In ecclesiis pingi sanxit, vivis coloribus exarando, iustum Simeonem suscipientem, Ioannem baptizantem, inauditorum divinorumque miraculorum ostensionem, eximiam et vivificam resurrectionem, quaeque

première personne dans la hiérarchie céleste, *supérieure à toutes les puissances du ciel*, comme la proclament les conciles, *plus haute que les cieux*, comme la déclare la liturgie. Elle aussi, comme son divin Fils, doit donc avoir un trône dans le ciel. Et c'est le ciel pareillement et la gloire du Christ qu'évoque la voûte en avant de l'abside, lorsque, par un symbole significatif, elle montre le trône du Christ préparé pour le jugement dernier. C'est la représentation qu'on nomme l'*Hétimasie*, et ce trône vide où le Christ viendra s'asseoir parmi les apôtres rappelle à la fois, par les instruments de la passion qui l'environnent, sa première résurrection et annonce sa *seconde venue*.

« Les autres figures de la décoration du sanctuaire nous ramènent du ciel sur la terre: elles se rattachent toutes aux mystères de l'Eucharistie. Autour de la sainte table où officie le prêtre, se rangent les grands prêtres, prédécesseurs et figures du Christ (Abraham, Aaron, Melchisédech), les évêques ses représentants, parmi lesquels les grands docteurs du IVe et du Ve siècles occupent une place prééminante, les diacres associés aux évêques, tous servant de modèle et d'exemple au pontife qui célèbre à l'autel. Enfin des scènes empruntées à l'Ancien Testament... etc. ». (Cf. Tabb. 93, 94). Ut suis lector oculis videre potest, e descriptis decorationis elementis praecipua saeculi sexti propria sunt, quaedam insuper vel saeculo quinto Romae apparent.

(1) (Praecedentis paginae nota). Hae lites anno sexcentesimo vigesimo sexto caeptae sunt, Leone Isaurico auctore fautoreque acerrimo.

(2) *Liber pontificalis, in Pauli*, ed. Duchesne, I, 464; cf. etiam *in Gregorii III*, 415, 416, 417; *in Stephani III*, 476.

deinceps patrata ab apostolis prodigia sunt. Haec enim Ecclesiae regula et traditio est ».(1)

In mediana autem nave Romanae basilicae, quae S. Mariae Maioris nuncupatur, plura adhuc servantur antiqui Testamenti argumenta, tempore Liberii pontificis (352–366) opere musivo elaborata: Abraham, Iacob ac Moysis historias necnon Hebraeorum exitum ex Aegypto, Iosueque victorias exhibent.(2) Paucis post annis, item in Fundana basilica ac in S. Felicis aedibus apud Nolam, cycli eiusmodi generis adhibebantur, memorabilesque sane sunt Paulini Nolani versus suae picturarum ecclesiae significationem explicantis:

De Genesi, precor, hunc orandi collige sensum:
Ne maneam terrenus Adam, sed virgine terra
Nascar, et exposito veteri, nova former imago.
Educar tellure mea, generisque mei sim
Degener; et sponsae festinem ad mellea terrae
Flumina, Chaldaei servatus ab igne camini.
Sim facilis tectis, quasi Lot, fore semper aperta,
Liberer ut Sodomis; neque vertam lumina retro,
Ne salis in lapidem vertar, sale cordis egenus.
Hostia viva Deo, tamquam puer offerar Isaac:
Et mea ligna gerens sequar almum sub cruce Patrem.
Inveniam puteos; sed ne, precor, obruat illos
Invidus, et viventis aquae caecator Amalec.
Sim profugus mundi, tamquam benedictus Iacob
Fratris Edom fugitivus erat; fessoque sacrandum
Supponam capiti lapidem, Christoque quiescam, etc.(3)

Ad novum Testamentum quod attinet, anno circiter quadringentesimo trigesimo secundo, pontificis Syxti III iussu, Romae, in arcu triumphali basilicae S. Mariae Maioris haec, iuxta evangelium apocryphum S. Iacobi aut Pseudomatthaei, argumenta sunt efficta:

Angelus Mariae necnon Ioseph incarnationis mysterium nuntians;
Christus ad templum oblatus;

(1) S. Ioann. Damasc., *Epist. ad Theoph. imp.*, c. III, *P. G.* XCV, 349.

(2) Cf. P. Syxtus Scaglia, *I mosaici ant. di S. Maria Maggiore in Roma*, Pustet, 1910.

(3) Paulinus Nolan. *Carm.*, v. 607 sqq., *P. L.* LXI, 662.

Ante Herodem Magi necnon legis doctores prophetiam de Salvatoris ortu, in Bethleem nascituri declarantes:

Magi Christo offerentes dona;
Dum fugit in Aegyptum Christus a rege quodam ut Deus agnitus;
Herodes parvulorum iubens occisionem.

In baptisterio Neapolitano S. Ioannis in Fonte, saeculo quarto vel quinto, plura novi Testamenti facta opere musivo quoque inducta sunt: ex his Boni pastoris, Christi aquam in vinum convertentis, Christi cum muliere Samaritana, colloquentis, Christi apud Tiberiadis lacum, Christi legis volumen Petro committentis, praeterea ovium cervorumque ad fontes bibentium, avium flores fructusque appetentium et variarum denique plantarum imagines adhuc extant.(1) Ravennae autem, apud S. Apollinaris Novi basilicae parietes, ac supra duas sanctorum series, qui ad Christi thronum diriguntur, viginti sex tabularum conspicitur cyclus, Christi historiam adumbrans. Scilicet, ab altaris parte incipiendo, in medianae navis sinistro latere haec habentur:

Christus aquam in vinum convertens;(2)
Panum ac piscium multiplicatio;
Prodigiosa piscatio;
Duorum caecorum sanatio;
Mulieris fluxu sanguinis laborantis curatio;
Christi cum muliere Samaritana colloquium;
Lazari resurrectio;
Publicanus ac Pharisaeus ad ostium templi;
Viduae oblatio;
Christus oves ab haedis separans;

(1) Cf. STORNAIOLO, *I musaici del battistero di S. Giovanni in Fonte nel duomo di Napoli*, ap. *Atti del II Congresso di arch. crist.*, pp. 269-276, Roma, Spitöver 1901; VENTURI, *Storia dell'arte*, t. I, tab. CII–CIV.

(2) Haec tabula fere penitus destructa est, unde plerique archaeologi eam velut illam quae sequitur, panum multiplicationem exhibuisse putarunt, eoque sensu opus musivum pictura suppletum est. Verumtamen e Ciampinianis delineationibus miraculum Canae in Galilaea ibi repraesentatum videtur, quod etiam congruit iis quae paullo post sumus dicturi. – Cf. CIAMPINI, *Vetera monumenta in quibus praecipue musiva opera illustrantur*, Romae, 1690.

Paralytici sanatio;
Obsessi a demonibus liberatio;
Alterius paralytici curatio.

In latere vero dextro:

Ultima Christi cum apostolis caena;
Christus in monte Oliveti apostolos alloquens;
Iudas Christum deosculans;
Christus a Iudaeis apprehensus;
Christus ante pontificem;
Christus triplicem Petro negationem praedicens;
Petri negatio;
Iudas triginta acceptos denarios principibus sacerdotum restituens;
Iesus ante tribunal Pilati;
Iesus ad montem Calvarii ascendens;
Mulieres ad Salvatoris adstantes sepulcrum;
Emmaus discipuli.

Hae nomenclaturae quantus fuerit biblicarum narrationum in basilicis decorandis usus satis probant; sic animadverti potest series argumentorum quae in sepulcrorum parietibus et in sarcophagis saeculo quarto apparuerant, in ecclesiis ita ampliatas esse ut vix sacrae historiae notabile aliquod possit adduci factum, quod apud basilicarum muros non fuerit expressum.

His positis, exquirere licet quaenam eiusmodi serierum fuerit indoles. Haud certe dumtaxat fuit symbolica, quia singula argumenta sedulo cum suis historicis adiunctis inducta sunt; id tamen non impedit quominus altiorem quam pure historicum horum argumentorum complexus scopum habuerit. Ex S. Paulini Nolani, paullo ante adductis, versibus liquet basilicarum picturas aliquando incitamenta veluti ad orandum fuisse, perinde atque haec certa extitit multarum sepulcralium picturarum ratio. (1)

Altera autem, simplicior et magis obvia, haec depingendi causa fuit, scilicet ut fidelium oculi congruis oblectarentur spectandis, et mentes, praesertim rudium illiteratorumque, sic, quasi in libro apud parietes templi scripto, ea vitae Christi mysteria seu sacrae historiae argumenta edocerentur, quae sive

(1) *Notiones*, etc. vol. II, pars secunda.

in liturgicis orationibus, sive in lectionibus homiliisve, potioris momenti erant.

Id optime colligi posse videtur e natura et, quoad series, ex ordine argumentorum in Ravennatensi S. Apollinaris Novi depictorum aede, ubi doctissimus Antonius Baumstark, aliunde

Tab. 98. Iesus ante tribunal Pilati (Bas. S. Apoll. Novi).

et ipse plus nimio Orientis efficientiae conferens, quandam inter historias tales et ordinem mysteriorum, prout in antiquissima Syrorum liturgia proponuntur, convenientiam deprehendit.

Notemus inprimis, Ravennae, historias in utraque parte ab altari incipere, non autem vice versa. (1) Atqui, in dextera serie,

(1) Qui quidem ordo evidentissimus, Romae quoque, in musivis S. Mariae Maioris cernitur basilicae, ubi patriarcharum historiae iuxta portam ingressus finem faciunt.

primum tenet locum Christi cum duodecim apostolis coena, a cuius narratione initium sumebat Evangelium missae illius, quae *paschae* apud Syros dicebatur et, sub vespera feriae quintae, in hebdomada maiori, ad inchoandam *passionis salutiferae* commemorationem, celebrabatur. (1) Quae autem, in S. Apollinaris aedium picturis, hoc argumentum sequuntur, mire cum supra dictae liturgiae compagine congruunt, neque desunt puncta, utrinque sibi respondentia, quibus patet artifices liturgia illa aliave fere simili, prorsus fuisse afflatos.

Tab. 99. Mulieres ad Christi sepulcrum (Ravennae, ap. bas. S. Apoll. Novi).

Etenim, si duo argumenta, quorum unum ad Petri negationem alterumque ad primi argumenti, ut videtur, continuationem referuntur, excludas, cetera, vel quoad numerum, evangelii conveniunt lectionibus, quae in nocturnis vigiliis ac in tribus horis, quas magnas (μεγάλας) appellant Graeci, fiebant. In breviario apud Iacobitas hodieque in usu, haec loca tali ordine sequuntur: Matth. XXVI, 30-32; Luc. XXII, 31-34; Matth. XXVI, 34; Marc. XIV, 31; Ioan. XVI, 31-38;

(1) *Breviarium secundum ritum Ecclesiae Antiochenae*, pars verna secunda, Mansili, 1892.

Luc. XXII, 35–38. Porro, ait Baumstark, cum in musivis, quae consideranda suscepimus, post Christi in monte Oliveti sermonem, proditoris Iudae perfidia, Salvatoris a militibus captura ac eius a Synedrio condemnatio exhibeantur, revera hic adesse dici potest figurata quaedam verborum inductio evangelicorum, apud praefatum Syrorum officium nocturno tempore usurpatorum, id est: « Adhuc eo loquente, ecce Iudas, unus de duodecim venit »; « At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum »; « Principes autem sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent ». (1)

Tab. 100. Musivum basilicae S. Apollinaris Novi.
Christus Pastor tamquam rex effictus.

(1) MATTH., 47, 57, 59. — Sed aliqua Baumstark (verba referre pretium operae est: « Se da ultimo consideriamo ancora la pericope della negazione di Pietro, illustrata nei mosaici Ravennatesi delle due rappresentazioni seguenti, sarà ovvio congetturare che la liturgia ravennate del del secolo VI *ineuntis* conosceva anche la solennità di una sacra vigilia notturna nel Venerdì Santo, corrispondente alla greca ἀκολουθία τῶν ἁγίων παθῶν, vigilia che doveva comprendere una serie di cinque pericopi evangeliche, quante difatti ne comprendeva esattamente la forma primitiva palestinense di quella ἀκολουθία, come ci viene espressamente descritta alla fine del IV secolo nella cosidetta *Peregrinatio Silviae* (cap. 35, §§ 3–36 ap. GEYER, *Itinera Hierosolymitana saeculi IIII et VIII*, Vienna, 1898, p. 86 sq.); sicchè per le tre ore restano le tre rimanenti rappresentazioni della passione, o almeno la seconda di esse, Pilato che si lava le

Ista satis demonstrant quinam saepe fuerint basilicarum artis fons atque afflatus, nempe missae divinique officii liturgia, haud secus ac praecipuam coemeteriorum artis materiam et argumenta ipsa liturgia funeraria artificibus suppeditavit.

mani, sembrerà davvero la naturale illustrazione di un evangelo della sesta di Venerdì Santo, se si vuol pensare alle parole di IOANN. XI, 14: *Erat autem Parasceve Paschae hora fere sexta.* Questo per le scene della passione. Consideriamo ora le tre figure relative a quella della risurrezione, e vedremo che anche qui la scelta fatta dall'artista di Ravenna ha una strettissima relazione con la liturgia siriaca. Infatti, quello che vediamo in quei mosaici è una piena illustrazione delle pericopi: MATTH. XXVIII, 1-7; LUC. XXI, 13=35; e IOANN. XXI, 19-23. Ora quanto alla prima di queste pericopi, è accertato, da un manoscritto del secolo VI (*Vat. Syr. 12.* – Cf. *Römische Quartalschrift für die christliche Alterstumskunde und Kirchengeschichte*, X (1897), p. 61), che essa sia stata in Edessa una messa in aurora per la domenica di Pasqua e presso i Siro-Giacobiti di tutti i tempi forma l'Evangelo del primo vespro di essa e precisamente di una messa che si celebra in quei vespri. La seconda di queste pericopi gli stessi Giacobiti l'hanno sempre letta colla stessa continuità al pomeriggio seguente, nei primi vespri del lunedì di Pasqua. La terza poi, secondo la testimonianza della *Peregrinatio Sylviae* (cap. 39), si leggeva, alla fine del IV secolo, in Gerusalemme, nella sera della domenica pasquale, subito dopo il calar delle tenebre, in una funzione straordinaria della chiesa *in Sion.* Non è neppur necessario rilevare esplicitamente la conclusione di queste osservazioni: la liturgia ravennate al tempo di Teodorico, dal Giovedì Santo alla domenica di Pasqua, era essenzialmente siriaca. Gerusalemme, Edessa, Antiochia, nel modo di commemorare la Passione e la Risurrezione di Cristo, erano le sorelle di Ravenna. Da questo risultato appunto dobbiamo partire, se vogliamo renderci la ragione liturgica della successione dei mosaici dal lato sinistro. Tutti convengono che questi trovino il loro compimento immediato in quelli di destra; dunque non possono avere per base che il sistema di pericopi evangeliche di un periodo antecedente al Giovedì Santo e che formi un tutto a sè nell'anno liturgico. Non si deve pensare, per trovarlo, al Natale e all'Epifania; poichè manca assolutamente ogni rappresentazione che alluda a queste feste; quindi non saprei che cosa congetturare all'infuori della quaresima. La durata di questa in Ravenna era senza alcun dubbio la medesima che in Roma, vale a dire comprendeva sei settimane, includendovi la Settimana Santa; di che ci garantisce Sozomeno, quando attribuisce tale consuetudine all'Illiria e alle altre contrade dell'Occidente. Dunque la quaresima ravennate, eccettuando la domenica *in capite ieiunii*

Praeterea animadvertendum est in basilicis, perinde ac in coemeteriis, symbola eucharistica frequenter prope altaria repraesentata fuisse. Iam compertum habemus in ecclesiis S. Apollinaris in Classe ac S. Vitalis, Ravennae, iuxta aram conspici argumenta quae Agni mystici occisionem ac missae sacrificium adumbrant. In S. Apollinaris aede, symbola eucharistica, id est aquae in vinum conversio, panum multiplicatio necnon ultima coena ita quoque disposita sunt ut in propinquo altari sint. Item et in Romana S. Mariae Maioris basilica; nam biblica imaginum series ad sinistrum latus, iuxta altare, Melchisedech panem et vinum offerentem atque Abraham tres angelos convivio excipientem prodit; ac procul dubio etiam Isaac sacrificium olim, ubi nunc musivum deest, apparebat.

In Oriente, post saeculum octavum, praeter ista, etiam ipse Christus sacra faciens, necnon eucharisticas species apostolis distribuens, ministrantibus angelis, depingitur (Tab. 93). (1)

e quella delle Palme, contava quattro domeniche, appunto come l'odierna nostra quaresima. Ora è un uso antico nella Chiesa siro-giacobita proporre nelle letture evangeliche delle domeniche quadragesimali una serie dei principali miracoli del Redentore; se dunque anche qui la Ravenna combinasse con la Siria, dovremmo trovare nei nostri mosaici una serie di quattro o cinque rappresentazioni di miracoli in ordine successivo. Orbene, appunto tal serie, e precisamente di quattro figure, è data dai numeri 2-5, dall'altare in poi, cioè le figure della moltiplicazione dei pani, della pesca prodigiosa, della guarigione del cieco e di quella dell'emorroissa, episodi che ricorrono costantemente, almeno i due ultimi, fra quei miracoli che il rito siro-giacobita ha scelto per i Vangeli domenicali della quaresima » (BAUMSTARK, *I mosaici di S. Apollinare Nuovo*, ap. *Rassegna Gregoriana*, Romae, 1910, coll. 42-44).

(1) En quid de hoc Diehl habet: « Les autres figures de la décoration du sanctuaire (praeter ea scilicet quae caelum ac paradisum adumbrant, ut supra recensuimus) nous ramènent du ciel sur la terre. Elle se rattachent toutes au mystère de l'Eucharistie. Autour de la sainte table, où officie le prêtre, se rangent les grands prêtres prédécesseurs et figures du Christ... Le même esprit, la même intention ont donné naissance à d'autres sujets fréquemment représentés à la courbe des absides. C'est le Christ donnant la communion aux apôtres, sous les deux espèces du pain et du vin, ou célébrant lui-même, avec l'assistance des anges vêtus en prêtres et en diacres, le saint sacrifice... Ces représentations font, au fond de l'eglise,

Abel agnum offerens Melchisedech Abraham offerens Isaac

Tab. 101. (Opus musivum ecclesiae S. Apollinaris in Classe).

une frise magnifique, se déroulant aux yeux de l'officiant, et montrent avec force comment, dans ce sanctuaire isolé de l'église, tout se rattache à l'Eucharistie » (DIEHL, *Manuel d'art byzantin*, Rome, 1910, p. 157-158).

Qua quidem de re illud sane notandum, scilicet apostolos adorantium more ad mensam accedere, ac, corpore inclinatos eo eucharistiam recipere modo, quem Cyrillus Hierosolymitanus describit. En huius doctoris verba: « Ad communionem non expansis manibus velis accedere, neque digitis; sed sinistram subiicias dexterae, quae tantum Regem susceptura est, et concava manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen »[1] (Tab. 93).

Attamen, si in utroque monumentorum, sepulcrorum scilicet ac basilicarum, genere eadem eucharistica occurrunt, haud tamen omnia eumdem semper habent sensum. Bis enim dumtaxat, in coemeterialibus picturis, Abraham sacrificium ad sacrificium missae incruentum, veluti eius adumbratio, certo refertur, nempe in crypta quam Itali *Cappella greca* appellant, apud coemeterium Priscillae, et in cubiculo A^3, apud S. Callisti coemeterium;[2] ceterae vero huiusce argumenti imagines, tam depictae quam sculptae funeraria prorsus afflatae sunt liturgia.[3] Contra vero, in basilicarum picturis, semper eucharistica emergit significatio, ipsa scilicet quae in romano missae deprehenditur canone: « Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam ».

Haec autem verba, etsi ea ad fidelium oblationes in primordio fuisse relata auctores quidam, nulla probatione adducta, docuerint, ad eucharisticam satis antiquitus spectasse oblationem e S. Apollinaris in Classe musivis evidentissime patet operibus (Tab. 101). Ceteroquin talis significationis S. Cyprianus est testis quando, illud Psalmi CXI: « Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » commentans, ait: « Quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Iesus Chri-

(1) S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Cathec. mystag.* V, 18.

(2) Cf. vol. II, pars secunda, p. 179 sq.

(3) *Ordo commendationis animae:* « Libera, Domine, animam servi tui sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahae ».

stus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum? »[1]

Quod autem de Abraham sacrificio, idem de Lazari resurrectione dicendum, cum inter ea appareat miracula, quae ante Christi passionem in antiquis commemorabantur liturgiis; sic etiam de iudicii adumbratione, de qua supra et quam ipsa liturgia in basilicis proponendam indixit. Sed ad hanc significationis diversitatem melius dignoscendam, cervorum ad

(1) S. Cyprianus, *Epist.* LXIII, n. 4; *P. L.* IV, 387. Veruntamen non est unicus huius interpretationis S. Cyprianus testis, neque dicendum, ut egregius Baumstark arbitratur, Ravennae primum Melchisedech imago ad altare in quo eucharistia celebratur referri, exclusa eiusdem imagine multo illa antiquiore apud Romanam S. Mariae Maioris basilicam, nam canonis pars quae de talibus loquitur symbolis multo ante saeculum sextum iisdem fere verbis concepta extabat. Initio enim saeculi sexti, auctor Libri pontificalis iampridem precem illam extitisse supponit nam illi S. Leo (440-461) aliqua verba addidit. Praeterea magna canonis missae Romanae pars apud Pseudoambrosium invenitur, qui saeculo quarto haud videtur posterior (*De sacram.* IV, 5; *P. L.* XVI, 443). En verba quae ad rem nostram respiciunt: « Ergo memores gloriosissimae eius passionis et ab inferis resurrectionis et in caelum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae; et petimus et precamur ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit sacerdos tuus Melchisedech ». Sunt qui hunc Pseudoambrosium S. Ambrosii auditorem ac discipulum faciunt (Morin, *Revue Bénédictine*, 1894, p. 76); sed utcumque habeat se res, certo S. Damasi temporibus (366-384) prex eiusmodi cognoscebatur, nam, ut egregius ait Duchesne: « On peut remonter plus haut et constater sûrement que l'oraison à laquelle S. Léon ajouta ces quatre mots existait déjà aux temps du pape Damase. On en a la preuve dans une critique soulevée contre elle par l'auteur romain des *Questiones Veteris et Novi Testamenti* (*P. L.* XXXV, 2329), contemporain de Damase. Ce théologien fourvoyé identifiait Melchisedech avec le Saint-Esprit et, tout en lui reconnaissant la qualité de prêtre de Dieu, il considérait son sacerdoce comme inférieur à celui du Christ: « Similiter et Spiritus sanctus quasi antistes sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in oblatione praesumunt. Quia quamvis unius substantiae Christus et Spiritus sanctus, uniuscuiusque tamen ordo observandus est » (Duchesne, *Origines du culte chrétien*, édit. 3e, p. 176-177).

fontes bibentium imago exemplo sit. Quippe, quod hi cervi apud coemeteria animarum ad refrigerium receptarum sint figurae, dubium dari nequit, cum etiam ita bibentes cernantur apud sepulcra delineatae aves, quae alii interpretationi minime obnoxiae sunt. Sed, sicut iam in saeculi quarti anaglyptis, ita in basilicarum musivis, in eburneis ac ligneis anaglyphis, in relliquiarum metallicis thecis, in numismatibus omnigenaque sacra supellectile duo cervi persaepe apparent, non quidem e fonte, aut e vase, aquam sumentes, sed e quattuor fluminibus quae sub pedibus Salvatoris, aut de monte cui ipse, sub agni specie, insidet, scaturiunt.[1] Quattuor aliter flumina quattuor adumbrare Evangelia iam vidimus; cervi autem ibi fidelium symbola sunt, et his nonnulla possunt aptari verba quae inter dubia S. Epiphanii reperiuntur opera. Nempe, postquam ille, prout tunc temporis putabatur, dixerit cervos si serpentem aliquem casu exsorbuerint, celeriter ad aquas currere, ut plurimo undae haustu bestiam occidant subiungit: « Tu igitur, spiritualis homo, tres habens restaurationes, baptismum scilicet incorruptionis, filialis adoptionis gratiam, atque poenitentiam si quando serpentem, id est peccatum, intra cordis recessus deprehenderis, ad fontes aquarum, hoc est ad Scripturarum scaturigines, statim confuge, sanctam videlicet gratiam (quemadmodum prophetae interpretantur) hauri. Nam, si poenitentiam egeris, ab ea, iterum deleto penitus peccato, reparaberis ».[2]

Ceterum etiam S. Hieronymus cervi aquam petentis ima-

(1) Leclercq quidem (apud *Dictionnaire d'arch. chrét. et de liturgie*, fasc. XXIII, col. 3301 sq.) dubitat utrum cervi, in coemeterio Marci et Marcelliani Romae depicti, e fonte unico, an e quattuor mysticis fluminibus, bibant. Verum enimvero, non solum omne Salvatoris symbolum ibi deest, sed etiam de montis imagine, an adsit, dubitare licet. Contra ex unico fonte aquam scaturire evidentissime patet. Praeterea, inter hanc effigiem alias refrigerii adumbrationes similitudo quaedam est animadvertenda; nam in pictura coemeteriali aqua super cervos refrigerandos resiliens representatur, perinde ac in alia apud coemeterium S. Callisti pictura, ubi aves, ad aquam e vase prorumpentem se refrigerant (cf. vol. II, pars secunda, p. 13 sq.).

(2) *Physiologus, inter opera S. Epiphanii*, V; *P. G.* XLIII, 521, 522.

ginem de catechumeno baptizando accipit, cum ait: « Desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis, ut, ablutus baptismo, accipiat donum remissionis ».(1) Quod autem quaestionem omnino dirimit pictura est quaedam apud baptisterium coemeterii S. Pontiani, in qua cervus ad Iordanem, ubi Christus baptizatur, potaturus cernitur adveniens. (2)

ART. VI. — **Aliorum quorumdam, e Biblicis argumentis depromptorum cyclorum ratio, peculiaris indoles ac progressus.**

Si quandoque, ut modo vidimus, Biblicorum argumentorum easdem musiva exhibent series, quae in liturgia recensentur, quandoque tamen imaginum Biblicarum cycli minime sunt liturgiae adsimiles. Est igitur quaerendum undenam quidam huiuscemodi cycli proveniant, et an ad musiva primitus compositi et destinati fuerint.

Sunt auctores, qui e minutis (italice *miniature*) quibus codices sacrae Scripturae decorabantur picturis, series in basilicarum musivis effictas originem traxisse dicant; sed et alii hoc duplex genus ornamenti simul, nempe exeunte saeculo quarto, et ex eadem cogitatione exortum fuisse contendunt.

Prior sententia nequaquam admittenda, quia ante saeculi quarti finem, Biblici cycli iam fuerant in basilicis elaborati neque ipsi postea, aut propter novam sacrae Scripturae a S. Hieronymo evulgatam editionem, enati sunt, sicut plerumque, licet non omnino forsitan iure, de minutis picturis existimatur. Posterior vero opinio haud rite etiam defendi potest, nisi pro certo habeatur utrumque artis genus eodem tempore fuisse adhibitum; quod minime indubium.

Itaque altius hanc originem repetendam censemus, ac primum animadvertamus oportet, apud Romanos, heroum gesta

(1) S. HIER. *In Psalm.* XLI; *P. L.*, XXVI, 949. – Haec accommodata sacri textus acceptio forsitan explicat cur, perinde ac piscium, cervorum imagines tam saepe in baptisteriis appareant (cf. CABROL, *Dictionnaire*, etc., art. *Cerf*).

(2) WILPERT, *Le pitture delle cat. rom.* tab. CLIX.



Tab. 102. Columna Traianea.

in Atticis sive internis, sive externis templorum publicorumque aedificiorum fasciis, effingendi extitisse morem, cuius quidem exempla, inter alia, Traiani Antoninique columnae, Septimii Severi arcus multorumque sepulcrorum anaglypta praebent. Porro, cur Christiani artifices in sacris decorandis aedificiis, Romanorum artem imitati non fuissent? Orientalistae archaeologi, cum de miniaturis loquuntur Christianis, ex Aegypto archetypos huius artis provenisse asserunt; sed Romae codicum depictorum usum, saeculo saltem secundo, viguisse satis liquidum est. Quid enim aliud columna Traianea profert, nisi aliquatenus imaginem voluminis, quod ipsi columnae ita circumvolvitur, ut eam prorsus cooperiat omnesque oculis historias, quibus est praeditum, exhibeat? Quid autem columna Antonina? (Tab. 102). Si igitur Romae volumina, picturis illustrata, ita erant adhibita, ut vel in sculptilibus imagines eorum imitarentur, cur ex Aegypto petendum quod domi habemus?

Si vero saeculi secundi voluminum huiuscemodi ipsa amplius non extant exemplaria, non desunt quae ad quartum pertinent saeculum, ut Iliadis cum picturis fragmenta in quodam Mediolani, apud Ambrosianam asservato bibliothecam, membranaceo codice,[1] et

(1) MIDDLETON, *Illuminated manuscripts in classical and medieval times*, vol. in-4, Cambridge, 1892.

apud Vaticanam bibliothecam Virgilii codex. (1) Et ista quidem volumina, non solummodo Romanam sapiunt artem, sed archetypos supponunt eosque Romanos. Hinc concludere fas est tam nonnullos argumentorum Biblicorum cyclos quam codices, ut vocant, miniatos, Romae et alibi, licet forsan non ubique, Romana artis specimina, mutata cogitationum mere materia, esse imitatos.

Alia quorumdam seligendorum cyclorum ratio fuit illa, quam saepissime basilicarum artifices prae mente habuerunt, inter vetus et novum Testamentum consonantia.

Omnium antiquissima musivorum series Romae, apud Liberianam, seu S. Mariae Maioris, basilicam invenitur, eaque patriarcharum Abraham, Iacob, Moysis Iosueque gesta prodit. Eo autem quod plura ibi praeclariora facta omittantur, aliaque vero minoris momenti adducantur, nonnulli auctores huius historicam tantum seriei indolem esse declaraverunt. Verumtamen, si attente res inspiciantur, haud vacuae symbolica aliqua significatione effigies istae deprehenduntur. Sic apud ea Lia et Rachel ideo pluries occurrunt, quia Synagogae et Ecclesiae fuerunt figurae. Haud aliter de Moysis ac Iosue gestis dicam; quid enim melius Dei, suis auxiliantis, praesidium illustrare posset, quam populi Israel, ab Aegypti captivitate liberati et in promissionis terram introducti recordatio? (2) Haec denique series multa continet quae deinceps nullibi iterum sunt adhibita, si quidem e superstitibus monumentis fas est iudicare.

Saeculi quinti initio, Prudentius in carmine suo, (3) quod *Dittochaeon* seu *Enchiridion veteris et novi Testamenti* nuncupatur, quemdam, e monumentis verisimiliter depromptum, Biblicorum argumentorum elenchum obtulit, quem hic adducere haud saltem prorsus supervacuum. In eo recensentur:

Quoad Testamentum vetus: 1. Adam et Eva, - 2. Abel et Cain, - 3. Arca Noe, - 4. Ilex Mambre, - 5. Sepulcrum

(1) *Codices Vaticani selecti photographice expressi*, in-4, Romae, 1899.

(2) Cf. P. Sisto Scaglia, *I mosaici antichi di S. Maria Maggiore*, Romae, 1910.

(3) Illud tamen a nonnullis litteratis Amoeno cuidam est attributum.

Sarae, - 6. Somnium Pharaonis, - 7. Ioseph a fratribus agnitus, - 8. Rubus ardens, - 9. Transitus Maris Rubri, - 10. Moyses accipiens legem, - 11. Manna et coturnicum pluvia, - 12. Serpens aereus, - 13. Lacus myrrhae, - 14. Elim luctus in deserto, - 15. Duodecim lapidum in Iordane erectio, - 16. Domus Rahab meretricis, - 17. Samson, - 18. Idem iterum, - 19. David, - 20. Regnum David, - 21. Templi extructio, - 22. Filii prophetarum, - 23. Israel captivitas, - 24. Domus Ezechiae.

Quoad TESTAMENTUM NOVUM: 1. Gabriel coram Maria Virgine, - 2. Bethleem, - 3. Magorum munera, - 4. Ab angelis pastores admoniti, - 5. Puerorum in Bethleem strages, - 6. Christi baptisma, - 7. Fastigium templi, - 8. Aqua in vinum conversa, - 9. Siloe piscina, - 10. Passio Ioannis, - 11. Christus in mare ambulans, - 12. Demones in porcorum corpora missi, - 13. Panum et piscium multiplicatio. - 14. Resurrectio Lazari, - 15. Ager sanguinis, - 16. Domus Caiphae, - 17. Ad columnam flagellatus Christus, - 18. Passio Christi, - 19. Christi sepulcrum, - 20. Mons Oliveti, - 21. Sancti Stephani martyrium, - 22. Porta speciosa templi, - 23. Petri visio, - 24. Paulus, vas electionis, - 25. Apocalypsis.(1)

Inter haec vero plura sunt, quae nunc frustra in monumentis, saeculo nono antiquioribus, quaererentur, id est, quoad vetus Testamentum: 12. serpens aeneus, - 14. Elim luctus in deserto, - 17 et 18. Samson, - 21. Templi exstructio, - 22. Filii prophetarum, - 23. Israel captivitas, - 24. Domus Ezechiae; et quoad novum Testamentum, - 7. Fastigium templi, - 10. Passio Ioannis, - 11. Christus in mare ambulans, - 17. Ad columnam flagellatus Christus, - 23. Petri visio. Idem de aliis quibusdam animadvertendum cyclis ad quintum aut sextum saeculum pertinentibus, qui in minutis picturis, necnon in ligneis eburneisque anaglyptis, apparent. Ex quo duo concludere licet: quam ingens nempe eiusmodi repraesentationum copia, quamque parva eiusdem nobis in superstitibus monumentis pars maneat, proinde in determinanda aetate, qua singula argumenta primum adhibita fuerint, quanta utendum prudentia.

(1) PRUDENTIUS, *Dittochaeon*; *P. L.* LX, 90–112.

Sic patriarchae Ioseph historiam primum apud eburnea anaglypta S. Maximiani Ravennatensis episcopi cathedrae fuisse exhibitam eo quod vetustissimum omnium, quae talem nunc adumbrationem proferant, monumentorum istud esse possit inconsulte affirmaretur. Potuit enim olim eiusmodi argumentum in aliis, iisque anterioribus, extare seriebus, verbi gratia, in musivis Liberianae basilicae, quae multo pluribus, quam hodie cernitur huiusce generis ornata erat operibus; et aliunde codex minutis decoratus picturis qui Viennensis dicitur, et in quo Ioseph historia depicta reperitur, multo saeculo sexto antiquiorem supponit archetypum. (1)

Nec minus caute debet procedere, scilicet sedulo quaelibet conferendo, si deprehendere quis velit utrum in Oriente, an in Occidente musiva aliqua compositio exordium sumpserit. Ut pauca exemplo assumam, tali investigatione accurate peracta, in artis operibus Annuntiationem Christique baptisma a saeculo inde secundo, Magorum vero adorationem a tertio, Christi Nativitatem a quarto saeculo, eaque Romae, nempe in coemeteriis, primum apparuisse praecise pronuntiamus. Haec autem enuntiatio ideo verissima est, quia, apud Orientem, neque eiusmodi imagines in coemeteriis unquam sunt effictae, neque musiva, eburnea, lignea aliaque opera quae eas primum exhibent, saeculo quinto anteriora sunt, neque tandem in antiquioribus, nunc deperditis, potuerunt deprehendi musivis, cum ista, ut dictum est, saeculo dumtaxat quarto fuerint exorta.

E contrario, Christi crucifixi effigies primum in Oriente videtur, saltem in annulorum gemmis, extitisse; nam, dum cimelia, hac insignita figura, ac saeculi saltem tertii arte elaborata, illic inventa sunt, prima quoad Occidentem crucifixi imago, Romae in ligneis ecclesiae S. Sabinae reperitur portis, quae ad quintum vertens saeculum spectant; et aliunde ex prioribus monumentis artifices Christianos Christi patientis imaginem aperte repraesentare non esse ausos perspicuum est. Immo ipsa supra memorata lignea sculptura crucifixi quidem exhibet cogitationem, sed crucem expresse et clare minime profert (Tab. 103).

(1) GARRUCCI, III, tabb. CXII–CXXIII.

Quod autem de Christi cruci affixi imagine est dictum, haud item de eius ad limbum descendentis adumbratione [1] affirmandum, propterea quod Romae, apud ecclesiam S. Mariae Antiquae huius argumenti vetustiora quam in Oriente exempla inveniantur. Wilpert enim ea ad Ioannis VII aetatem pertinere demonstravit et inde mirum prorsus id quod in suo de arte Byzantina recentissimo opere, Carolus Diehl scripsit, scilicet saeculo ineunte nono argumentum illud primum apparuisse, adducendo probationis instar quoddam ecclesiae Daphni (saec. IX) musivum. [2]



Tab. 103. Omnium antiquissima crucifixi imago (ap. fores basilicae S. Sabinae in monte Aventino - saec. V).

Forsitan haud ita antiqua exemplaria Romana Diehl putat; sed, praeter alia aetatis indicia, quae Wilpert nondum quidem satis explicavit, non ambiguum est Daphnicum musivum quemdam supponere progressum, qui minime in Romanis imaginibus percipitur, de quo tamen infra suo loco dicendum. Ceterum, quaecumque sit harum picturarum aetas, octavo saeculo, Romae, in oratorio quod Ioannes VII exornandum iuxta basilicam S. Petri in Vaticano curavit, Salvatoris ad limbum descendentis haud defuisse effigiem ex Iacobi Grimaldi descriptione necnon ex

(1) Quam quidam immerito ἀνάστασιν dicunt.

(2) Ch. Diehl, *Manuel d'art byzantin*, p. 465 sq.

variis musivorum delineationibus habetur.[1] En auctoris eius verba: « In altero pariete, supra portam sanctam, hae cernebantur historiae opere musivo:... descensus ad limbum et quando angelus mulieribus apparuit ad monumentum ».[2]

Iam supra, de Liae Rachelque imaginibus, utpote Synagogae Ecclesiaeque figuris, loquendo, apud artifices curam illius animadvertimus convenientiae, iuxta quam antiquae legis argumenta mysteriorum novae legis quasi typi exhiberentur. Haec norma in Prudentii *Dittochaeo*, necnon in pluribus, adhuc exstantibus, monumentis facile, licet haud semper rite ordinata, detegitur; immo depictarum serierum, quarto, quinto sextoque saeculo, propria videtur fuisse. Tali congruenter legi, circa altaria Abraham et Melchisedech, hostias offerentium (Tab. 101), vel, ut apud S. Constantiae mausoleum, Moysis et Petri effigies effictae sunt (Tabb. 72, 73).

At saeculo ineunte septimo, in Oriente paullatim ea veteris ac novi Testamenti coadunatio praetermissa est; quod et in Occidentalibus regionibus, sed tardius, evenit. Tunc magis magisque evangelicae praevaluerunt historiae, ac, Romae, praeterea apostolorum Petri et Pauli praedicatio, miracula ac martyrium fuerunt adumbrata. Si autem Ravennae, apud basilicam S. Apollinaris Novi, iam saeculo sexto evangelica argumenta sola in navi conspiciuntur, id, uti vidimus, liturgiae Syriacae, apud Ravennam adhibitae, est adscribendum; neque ibi ceteroquin figurarum ac praefiguratarum rerum deest collatio: nam panum multiplicationi et aquae in vinum mutationi ultimae imago coenae respondet.

Cycli, qui deinceps usurpantur, adhuc quidem liturgiae afflatui sunt obnoxii, sed theologicam simul aliquatenus indolem

(1) Garrucci, IV, 279, n. 1; 280, n. 8.

(2) *Codex m. s. bibliothecae Ambrosianae*, A. 168, inf. fol. 92, V et sq. – Qui quidem textus his Diehl aperte contradicit verbis: « A la Crucifixion, figurée dès le Ve siècle, s'oppose la Résurrection, non plus représentée, comme à l'origine, *par la scène des saintes femmes au tombeau, mais par la belle composition de la descente aux limbes ou Anastasis*, qui apparait au commencement du IXe siècle » (*Manuel*, etc., pp. 465–466).

habent, potissimum cum praecipua repraesentantur evangelii seu fidei mysteria, quae per anni decursum commemoranda occurrunt: Annuntiatio, Nativitas Domini, Pueri Iesu ad templum praesentatio, Christi baptisma, Transfiguratio, Lazari resurrectio, Christi in Ierusalem ingressus, Crucifixio, ad limbum descensus, Ascensio, Pentecostes, Transitus Virginis.

Haec vero iuxta apocryphorum praesertim evangeliorum narratiunculas adumbrata sunt. In Oriente insuper, ubi eiuscemodi commenta evulgata magis fuerunt, necnon maioris, quam in Occidente, ponderis habita, ita ut a Patribus non paucis (1) prolata atque liturgicis reperiantur inserta codicibus, (2) nonnulla alia ad Mariae Virginis parentes, ortum adulescentiamque spectantia apud sacras aedes et in monasteriis frequenter sunt ostensa. (3)

Romae, pulcherrimum talis cycli specimen in Genitricis Dei Mariae habebatur sacello, quod opere musivo apud Vaticanum Ioannes VII decorari iusserat. Infeliciter quidem hoc oratorium, Paulo V pontifice (1605-1621), ad novam S. Petri basilicam perficiendam, penitus est destructum; sed imaginum series ac dispositio sic a Grimaldi saeculi XVI sub finem, fuerant descriptae:

« Huius sacelli descriptio haec est: In pariete, versus Palatium Apostolicum, tessellati operis prima historia est praedicatio B. Petri apostoli Ierosolymitanis, cum litteris CIVITAS HIEROSOLYMA, habens imaginem Beati Petri, stantis recti, manu elevata, tenentis binas claves, cum civitate Ierosolyma et populo circum se illum audiente.

(1) Vide praesertim EPIPHANIUS, *Haeres.* XXX, 23; LXXVIII, *P. G.* XLII, 700 sq.; LXXIX, *P. G.* XLII, 740 sq.; EUSTATH. *P. G.* XVIII, 707-794; ANDREA CRETENSIS, *P. G.* XCVII, 809 sq.; GERMANUS I PATRIARCH. CONSTANTIN. *P. G.* XCVIII, 292 sq.; IOANN. DAMASCENUS, *P. G.* XCVI, 661, 680; EPIHANIUS MONACHUS, *P. G.* CXX, 185 sq.

(2) Cf. PITRA, *Analecta sacra*, 1876, t. I, p. 26 ss., 275, 396; *Menol. Basilii II* ap. *Analecta Bollandiana*, 1895, t. XXIV, pp. 396-434. Confer etiam varia manuscripta liturgica Parisiis, apud nationis bibliothecam (*Bibliothèque Nationale*) recondita, nn. 1561, 1589, 1590, 1592, 1594.

(3) Ad exempla quod attinet, videantur ecclesiae Daphni musiva apud MILLET, *La collection byzantine des Hautes Etudes*, Paris, 1903.

« Secunda, praedicatio eiusdem Antiochenis, habens similem imaginem, cum litteris CIVITAS ANTIOCHIA.

« Tertia, praedicatio Romanis, cum simili imagine et litteris ROMA. E ruinis servata, imago B. Petri praedicantis Romanis videtur hodie sub fornice novi pavimenti muro affixa.

« Quarta, quando sanctissimi apostoli Petrus et Paulus coram Nerone disputabant cum Simone Mago.

« Quinta, lapsus Simonis ex aere.

« Sexta, crucifixio Petri.

« Septima, decollatio Pauli.

« In altero vero pariete supra portam sanctam, hae cernebantur historiae opere musivo: Annunciationis, visitationis, nativitatis Christi, cum miraculo mulieris tangentis arida manu praesepe (quod hodie cernitur sub fornice praedicto, in ambitu sacrae confessionis, in demolitione acceptum), angeli ad pastores, adorationis Magorum, praesentationis in templo, baptesimi Christi in Iordane, miraculi caeci nati, mulieris tangentis fimbrias, Zacchei in sicomoro, suscitationis Lazari (cum Maria et Marta sororibus prostratis ad pedes Domini), triumphi in die palmarum, cenae cum discipulis antiquo more cubantibus, crucifixionis cum quattuor clavis, resurrectionis, descensus ad limbum, et quando angelus mulieribus apparuit ad monumentum.

« In medio harum imaginum aderat beatissima Deipara Virgo ex eodem tessellato opere, gravi vultu decora, armillis et coronis ornata, expansis manibus graeco ritu, habitu coloris castanei, staturae palmorum quindecim, quae inde amota et Florentiam pia devotione Antonii Riccii nobilis Florentini, Episcopi Aretini, translata, in acc.ª S. Marci magna veneratione colitur.

« Ad cuius dexteram stabat rectus Iohannes septimus papa, cum planeta et pallio, habens in capite quadratum diadema (quod indicium est viventis) et sublatum manibus offerens sacellum ipsum Deiparae Virgini, cuius pontificis imago, a pectore sursum e ruinis servata, videtur hodie sub fornice novi pavimenti, proxime ad ariam sanctae Mariae Praegnantium.

« Subtus pedes Deiparae virginis musiveis litteris, iuxta typum in fine huius operis appositum, videlicet: ✠ IOHANNES·INDIGNVS·EPISCOPVS·FECIT.

« . . . In fornicis interiori circuitione, effictae erant e musivo imagines Deiparae Virginis, filium gestantis, apostolorum Petri et Pauli (Petri ad sinistram et Pauli ad dexteram), cum litteris in gyro anteriori arcus: DOMVS·SANCTAE·DEI·GENETRICIS·MARIAE; sub quo olim erat altare: postea posita ibi fuit porta sancta anni iubilei . . . ». (1)

ART. VII. — **Musivorum, seu picturarum apud basilicas, aliqua argumenta, ex apocryphis evangeliis praesertim deprompta, et ad Virginis Mariae integritatem, Christi infantiam, passionem eiusque in morte triumphum attinentia.**

Quaedam in operibus musivis peculiariter nunc enucleanda veniunt, scilicet illae historiarum series, quae Virginis integritatem, Salvatoris primordia, necnon eius dolores, mortem ac triumphum respiciunt. Haec largiori modo, pluribus diversi generis ideo adductis monumentis, ut iam, quoad anaglypta, de Petri primatu fecimus, credimus illustranda; quippe talis etsi dissimilium monumentorum collatio, tum aliunde peractis tractationibus, tum praesenti nostro de musivis studio, haud parvum lucis incrementum conferet.

VIRGINIS INTEGRITAS. — Quattuor prioribus saeculis, in picturis et in sculptilibus, Mariam simul cum divino infante, nisi ubi ab angelo incarnationis nuntium acciperet, semper repraesentatam fuisse deprehendimus. Saeculo quarto, insuper, pone iuxta illam ad praesepe, bos et asinus apparent; vel ei, in gremio velut in throno filium habenti, adorantes obveniunt Magi; necnon aliquando, in uno eodemque sculptili, praesepe ac eiuscemodi adoratio, duo tanquam argumenta proferuntur distincta (Tab. 19, p. 31).

Saeculo autem quinto, post Ephesium praecipue concilium,

(1) *Codex m. s. Bibliothecae Ambrosianae* A. 168, inf. fol. 92 V et sq.

Maria saepe sine Christi figurae adiunctione coepit effingi,[1] et id non quidem venerationis aut devotionis alicuius caussa, sed propter rerum adumbratarum naturam, ut cum, teneris annis, templi ministerio addicta vel variis, ante partum, ad virginitatem eius demonstrandam, probationibus subiecta, secundum apocryphorum fabellas, inducitur. Quapropter revera effigies huiuscemodi longe ab iis, quae multo postea depictae aut insculptae sunt, imaginibus differunt; nam ipsae haud artificis aut opus committentis arbitrio Mariam sic solam exhibent, sed historici argumenti animadversa indole.

Quod si huius aetatis artifices, perinde ac fusius mox videbimus, de Virginis integritate et de illius, ut Matris Dei, singulari dignitate, multa e commentitiis deprompserint scriptis, hoc sane evenit, quia tunc ab haereticis ea acerbius impugnata erant privilegia: Nestorius praesertim, dum naturae divinae ac humanae naturae *hypostaticam* in Christo infitiabatur unionem, Mariae aperte Deiparae (θεοτόκος) denegabat titulum. Porro, ut tales refellerentur errores, nonnulli, sobriis, licet eloquentissimis, Evangelii affirmationibus haud contenti, ad dubia prorsus, sed explicatiora, documenta recurrendum temere sunt arbitrati.

Nec nimis, nec soli artifices, sub hoc respectu, arguendi sunt; nam diu de apocryphorum scriptorum auctoritate haud eadem apud omnes, etiamsi doctiores et sanctiores viros, in Ecclesia sententia fuit. Licet enim pontifices nonnulli ac plerique Patres ea tanquam fabulosa, et interdum haeretica, damnaverint, non defuerunt alii, ut solummodo de Latinis loquar, qui has narratiuncularum congeries alicuius fecerint pretii.

Sic, de obstetrice, quam Pseudomatthaeus Mariae parturienti adiutricem adhibet, haec quidem habet S. Hieronymus: « Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit. Ipsa (Maria) et mater et obstetrix fuit. Ipsa collocavit in praesepio, ipsa pannis involvebat; unde commenta refelluntur apocryphorum »;[2] at longe aliter hanc circa rem S. Zenon Vero-

(1) Nisi quis velit Adelphiae sarcophagum (tab. 52, p. 129) antiquiori adscribere aetati; quo in casu, velut exceptio hoc haberi deberet.

(2) S. Hieronymus, *Contra Elvidium*, X; *P. L.* XXXIII, 202.

nensis opinatur, cum scribat: « O magnum sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit; post conceptum virgo peperit; post partum virgo permansit. Obstetricis incredulae, periclitantis enixam, in testimonium reperta eiusdem esse virginitatis, incenditur manus; qua tacto Infante, statim ea ex illa flamma sopitur; sicque illa medica, feliciter curiosa, dein admiratur mulierem virginem, admiratur infantem Deum, ingenti gaudio exsultans, quae curatum curata recesserat ». (1) Veram scilicet hic sanctus reputat fabellam, iuxta quam obstetrix Salome Deiparae corpus ausa esset tangere, et, cum manus eius, in talis poenam audaciae, ardenti lepra fuerit correpta, protinus, divinum infantem tangendo, recuperasset sanitatem. (2)

Sic etiam, dum Innocentius I (401-417), ad Exsuperium scribens, apocrypha quaecumque evangelia, nominatimque Protoevangelium Iacobi, ceteris quamvis minus absurdum, tanquam somnia, reiecerat et reprobaverat, (3) postea tamen Sixtus III (432-440), in arcu triumphali basilicae Liberianae, iuxta apocryphas has narrationes, ac praesertim iuxta Pseudomatthaei evangelium, quod aliud non est nisi Protoevangelii Iacobi explicata quaedam translatio, Virginis et Salvatoris primordia, opere musivo, describenda curavit.

Haud obliviscendum est etiam ex his scriptis aliquas partes, scilicet eas quae vere *orthodoxae* et pietati magis consentaneae erant, in liturgiam transiisse. In arte vero non ita semper evenisse fatendum est. Non vituperanda certe quae Romae, in S. Mariae Maioris basilica, super triumphalem arcum, ut

(1) S. Zeno Veron., Tract., l. II, tr. VIII; *P. L.* XI, 415.

(2) E. Amann, *Le Protoévangile de Jacques et ses remaniements latins*, Paris, 1910, p. 326.

(3) Zahn, *Geschichte des N. T. Kanons*, t. II, p. 245: « Cetera autem, quae sub nomine Matthiae, sive Iacobi Minoris, vel sub nomine Petri vel Ioannis (quae a quodam Leucio scripta sunt), vel sub nomine Andreae, (quae a Nexocharide et Leonida philosophis), vel sub nomine Thomae, et si qua sunt talia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda ». Cf. *P. L.* XX, 501. — Apocrypha quoque reprobantur in decreto Gelasiano.

modo dictum est, musivo opere elaborata sunt argumenta: Mariam enim ab omni cum viris commercio segregatam ac solummodo consortio fruentem angelorum, a quibus, si Pseudomatthaei evangelio creditur, cibum recipiebat quotidie, monstrant. Praeterea, cum Virgini archangelus Gabriel mandatum refert, Spiritus Sancti, sub columbae specie, obumbratio venuste figuratur. Quis vero, alias ostensam, obstetricis incredulae historiam haud moleste intuetur?(1) Quis utique alterius cuiusdam, ad Mariae Iosephque virginitatem comprobandam



Tab. 104. Anaglypti eburnei Evangeliarii Mediolanensis pars superior.

adhibitae, probationis non offendetur exhibitione; nempe quae his verbis in supradicto describitur apocrypho:

« Tunc congregata est omnis multitudo Israel, quae dinumerari non poterat, et adducta est etiam Maria ad templum Domini. Sacerdotes vero et affines ac parentes eius flentes dicebant ad Mariam: « Confitere sacerdotibus peccatum tuum, quae eras sicut columba in templo Dei et accipiebas cibum de manu angeli ». Vocatus est autem et Ioseph ad altare, et data est ei aqua probationis Domini; quam si gustasset homo mentiens et septies circuisset altare, dabat Deus signum aliquod in facie eius. Cum ergo bibisset securus Ioseph et girasset altare, nullum signum peccati

(1) Haec quidem fabella excogitata fuisse videtur ad redarguendas quorumdam Iudaeorum calumnias scriptorum, qui Christum spurium asserebant. Clemens Alexandrinus, uti rem suo tempore apud Christianum vulgus aliquatenus receptam, illud refert: « Plures, ait, narrant Mariam, post partum, ab obstetrice visitatam fuisse; quae eius virginitatem recognovit ». (Clemens Alex., *Stromata*, l. VII, c. XVI; *P. G.* IX, 529).

apparuit in eo. ... Et, vocantes Mariam, dixerunt ei: « Tu, quam excusationem poteris habere, aut quod signum maius apparebit in te quam hoc quod prodit te conceptus ventris tui? Hoc solummodo a te requirimus, ut, quia Ioseph mundus est a te, confitearis quis est qui te decepit. Melius est enim ut te tua confessio prodat, quam ira Dei, dans signum in facie tua, in medio populi te manifestet ». Tunc Maria constanter et intrepida dixit: « Si est in me aliqua pollutio, aut aliquod peccatum, aut fuit in me aliqua concupiscentia aut impudicitia, detegat me Dominus in conspectu omnium populorum, ut sim omnibus emendationis exemplum ». Et accessit ad altare Domini confidenter, et bibit aquam probationis, et septies circuivit altare, et non est inventa in ea nulla macula » (1).

Huius argumenti antiquissima repraesentatio apud eburneum cathedrae Maximiani, Ravennatensis episcopi, habetur sculptile, in quo Maria et Ioseph, angelo adstante, iuxta templum efficti sunt: Maria pateram labiis, iam potatura, admovet; Ioseph autem, qui Virginem videtur alloqui, quamdam manu virgam gestat. Alibi, praesertim in triumphalis arcus basilicae Lirerianae musivo (Tab. 109), sic virga ille munitus est. Id etiam e Pseudomatthaei venit evangelio, iuxta quod Ioseph divinitus, ut Mariae sponsus fieret, fuit designatus:

« Nempe sacerdos praeceperat, ut quicumque de tribu Iuda sine uxore esset, virgam in manu sua deferens ad templum veniret. Dominus autem, a summo pontifice rogatus, haec iussit: 'Intromitte omnium virgas intra Sancta Sanctorum, et ibi maneant virgae. Et praecipe eis, ut mane veniant ad te ad recipiendas virgas suas, et ex cacumine unius virgae columba egredietur, et volabit ad caelos: in cuius manu virga reddita hoc signum dederit, ipsi tradatur Maria custodienda » (2).

Apud sarcophagorum nonnullorum anaglypta, nativitatem Christi referentia, baculus quidam, a supradicta sedulo secernendus virga, in Ioseph manu positus conspicitur. Ex forma huiusce baculi, in parte superiore curvi, necnon ex brevitate tunicae, qua indutus est vir Mariae, complures hic non Virginis sponsum, sed pastorem aliquem cernere voluerunt. At immerito prorsus: nam tunica brevis ac velut exomis, id est ita aperta ut dextera pars pectoris nuda pateret, etiam ab operariis adhibebatur; baculus vero sic aduncus eorum, qui longam

(1) Ap. AMANN, op. cit. p. 320.
(2) Ap. AMANN, loc. cit. p. 306.

peragebant viam, proprius erat, proindeque Ioseph, in Bethlehem peregrino (Tab. 52), valde idoneus.

Quoad iter Mariae praegnantis sanctissimique sui sponsi apud Iudaeam, adiunctum aliud, de quo nihil in sacra Scriptura, Pseudomatthaeus habet:

« Cum ergo Ioseph cum Maria proficisceretur in Bethlem, quia exinde erat, et Maria de tribu Iuda et de domo ac patria David, dixit Maria ad Ioseph: « Duos populos video ante me, unum flentem et alium gaudentem ». Cui respondit Ioseph: « Sede et tene te in iumento tuo, et noli superflua verba loqui ». Tunc apparuit puer speciosus ante eos, indutus veste splendida, et dixit ad Ioseph: « Quare dixisti verba superflua esse de duobus populis, de quibus locuta est Maria?... ». Et cum hoc dixisset, iussit angelus stare iumentum », etc. (1).

Huius angeli figura fere semper, post saeculum quintum, in imaginibus iter tale exhibentibus, nec solum apud musiva picturasve, sed etiam apud quaelibet monumenta alia, adest: exempli gratia, in praefata cathedra Maximiani (Tab. 105), et in quadam pyxide apud Minden asservata.(2)

Salvatoris primordia. — Circa nativitatem et infantiam Christi, haud pauciora, et musivis et ceteris artis Christianae operibus, apocryphi libri suppeditarunt.

De bove et asino, pueri Iesu ad cunabula excubantibus, iam supra sumus locuti; nascentis vero Salvatoris argumento saepe, iuxta commentitias narrationes, nonnulla sunt addita. Sic frequenter Maria in lectulo, seu potius super tegete, ostenditur iacens, obstetrixque Salome, ubi ad virginem tangendam non se accingit, infantem divinum exhibetur lavans, adiuvante quidem altera obstetrice, cui, iuxta Pseudomatthaeum, Zelome vocabulum. Haec, priusquam Salome, Mariae virginitatem et ipsa recognovisse narratur, necnon, in posterioribus scriptis, insulse cum sancta illa Anastasia, quae intra aurorae missam, natalis Domini die, commemoratur, confusa est. Apud vitreas autem picturas, quibus crux aurea quaedam, nunc in bibliotheca Vaticani recondita, decoratur, tria sunt, sub unicae historiae com-

(1) Ap. Amann, op. cit. p. 323-324.

(2) Hahn, *Fünf Elfenbeingefässe des frühesten Mittelalters*. Hannover 1862, Tab. II, n. 3. – Tabula nostra 108, n. 3 idem profert.

pagine, coniuncta argumenta: scilicet Maria in lectulo strata, ambae obstetrices Christum infantem abluentes,[1] ac Iesus ipse in praesepio cui animalia duo adstant (Tab. 108). Haec omnium antiquissima huiusmodi repraesentationum esset dicenda, si ad quintum revera saeculum crux illa pertineret, sicut doctissimi viri Grisar ac Bauer reputarunt, ac hodiedum egregius Diehl arbitratur. Verumtamen, semel explicata votiva crucis inscriptione, ut postea videbimus, vitreas eius picturas saeculo nono tribuere necesse est; unde hac antiquior triplicis praefati argumenti simul adumbratio inter musiva opera est agnoscenda, quae Ioannes VII, initio saeculi octavi, in oratorio Vaticano perfici iusserat.

Tab. 105. Eburneum anaglyptum cathedrae S. Maximiani.

In templo oblatus Christus, iam saeculo quinto, apud musiva Liberianae basilicae producitur, ac ita Evangelio congruenter, ut aptius adumbrari forsan non potuisset (Tab. 110). Simeon quidem ibi non sacerdotis, perinde ac in hodiernis pluribus tabulis, sed senis tantummodo speciem refert; retro autem sunt et sacerdotes, pallio distincti proprio, quod, instar lacernae, gemmata fibula retentum, super humero et ante pectus

(1) Mulieres istae, Iesum infantem abluentes, etiam in vestibulo coemeterii S. Valentini, iuxta viam Flaminiam, depictae sunt, ac, licet alia Christi infantiae gesta ibi essent efficta, Aringhi, post Bosio, aliter prorsus et absone imaginem hanc interpretatus est: «Martyris cuiusdam, ait, ferventis olei dolio iniecti, imago contemplanda proponitur, cui duo hinc inde viri, qui eum manu suffulciendo, vel certe carnificum more excruciando, adstant; unus nimirum sede locatus, iuxta quem characteribus leguntur: SALOMEV, alter vero stantis formam prae se fert». (Aringhi, *Roma subterranea novissima*, 1651, t. II, p. 352–353).

gerunt, ut iam antea moris erat. Adsunt praeterea Ioseph et Anna prophetissa, nec desiderantur angeli Mariam comitantes, omnesque in atrio templi.

In eodem triumphali Liberianae basilicae arcu, alia duo, ad infantiam Christi spectantia et apocryphorum scriptorum indolem redolentia, elucent argumenta: alterum Magos Christum adorantes, alterum, ut videtur, Christum cum parentibus fugientem in Aegyptum praebens. Apud prius, Christus est in throno, quod proinde mirum; nam, iuxta Pseudomatthaeum, « Magi, ... ingressi domum, invenerunt infantem Iesum *sedentem in sinu matris* ».[1] Nec minus stupenda duarum sedentium praesentia mulierum, de quarum significatione acriter archaelogi disputant. Sunt qui ambas hic videant ecclesias, *ex synagoga* scilicet et *ex gentibus*, perinde ac in aede S. Sabinae et alibi vidimus effictas; sunt qui eas figuras pro Maria ac Salome, vel pro Maria et Anna prophetissa, seu Sybilla aliqua, vel etiam pro duobus Testamentis, accipiant; sed certe aliquid pronuntiare arduum (Tab. 106).

Alterum quidem argumentum ab egregiis Ciampini, Bianchini et Garrucci perinde ac Iesum in templo cum doctoribus disputantem exhiberet (Tab. 107) est interpretatum.[2] Verumtamen neque templi indicium ibi, neque, quod plus est, personae illae, ad quas Iesus sermonem dirigere videtur, doctores dici possunt legis. Inter viros istos adest enim qui philosophi more vestitus est; adest cum diademate princeps; adsunt et milites; omnes vero, ex urbe quadam egressi, Christo obviam fiunt. Nonne potius, ut De Waal,[3] Pseudomatthaei ex evangelio depromptum hoc dicere debemus, cum ibi de quodam Aphrodisio, Aegyptiacae cuiusdam civitatis principe, qui Christum Deum agnovit, sit sermo: « Aphrodisio, duci civitatis illius, cum nuntiatum fuisset, cum universo exercitu suo *venit*

(1) Ap. Amann, op. cit. p. 336.

(2) Ciampini, *Vetera monumenta*, Romae 1690, t. I, p. 113; Fr. Bianchini, *De sacris imaginibus musivi operis a Syxto III in basilica Liberiana constructis*, Romae 1727, p. 20; Garrucci, V.

(3) De Waal, ap. *Römische Quartalschrift*, 1887, p. 189.

ad templum. Pontifices vero... putabant se vindictam videre in eos, quorum causa dii ceciderant. Ille autem (Aphrodisius)... accessit ad Mariam, et adoravit infantem ».[1] Unum revera potest obiici, scilicet, secundum hunc Pseudomatthei textum, rem in templo quodam esse peractam; sed, apud Liberianae aedis musiva, aliquatenus sane pulchritudinis ac *symmetriae* ratio requirebat, ut in loco aprico occursus ille adumbraretur,



Tab. 106. Opera musiva apud arcum triumphalem Romanae basilicae S. M. Maioris elaborata. - 1. Magi munera Christo regi deferentes - 2. Herodes stragem innocentium iubens.

si non etiam ex aliquo alius apocryphi excogitatus fuerit adiuncto, quod ad nos usque non pervenerit. Utcumque sit, certe Iesu cum doctoribus in templo disputatio omnino hic est excludenda.

Quae hucusque de Maria et Christi primordiis recensuimus, omnia simul in vitreis cuiusdam crucis, Romae, apud Lateranense sacellum « Sancta sanctorum » dictum, inventae ef-

(1) *Ev. Pseudomatt.* cap. XXIV. — Cf. RICHTER, ap. *Nuovo bullettino di arch. crist.* 1899, p. 137, 148.

ficta sunt imaginibus (Tab. 108); quae, licet ad saeculum incipiens nonum attineant,[1] adhuc catacumbarum picturas aliquantum sapiunt, ac eo quidem tempore, sive propter stylum, sive propter operis genus, aequale sibi quidquam non habent. Unum est nihilominus excipiendum, nempe Christi baptisma, quod insuper more fere antiquo adumbratum est, Christo videlicet adhuc infante, unico adstante angelo, nullaque fluminis



Tab. 107. Opera musiva apud arcum triumphalem S. Mariae Maioris elaborata. - 1. Iesu in Aegyptum iter facienti Aphrodisius princeps occurrit – 2. Magi ante Herodem ac sapientes Salvatoris ortus prophetiam legentes.

instar personae inductione: quae praetermissio notanda. In huius enim mysterii repraesentationibus, saeculo sexto et subsequentibus saeculis, plerumque, praeter ipsam aquam, aquae symbolum non deest, ut apud Maximiani cathedram, in eburneis quibusdam anaglyptis, nec non in Ravennatensibus musivis et aliis videre est. Haec autem personae inductio, vel symbolum,

(1) Cf. P. Sxxtus, *Nova circa thesaurum sacelli Palatini « Sancta Sanctorum » investigatio*, Romae, 1909. V. infra, cap. V, art. 4.

saepius figura est hominis quasi iacentis urnaeque, e qua fluit unda, innixi, vel ipse fluvialis deus, cammari branchiis praeditus, ac tum insidens scopulo, tum usque ad pectus in amne immersus, e quo paluster emergit frutex. (1)

Fuitne istud argumentum, praeterquam ea ethnicae artis recordatione, apocryphis quoque afflatus scriptis? Id plures auctores pro certo habent, (2) nec inepte; nam et aliqui Patres, de Christi baptismate disserentes, nonnulla e commentitiis narratiunculis hausisse se produnt. In aliquot praeterea eburneis sculptilibus, Iordanis aquae, quasi parietes, erectae conspiciuntur, praesertim apud ea anaglypta, quae, iuxta unicum quoddam exemplar forsitan (3) elaborata, Iesum parvulum ac Ioannem, ad dexteram eius, sinistra manu pastorale pedum gerentem proferunt. (4)

Quoad angelos in eiuscemodi adumbratione interdum additos, sunt qui putent illos haec commemorare verba: « Angeli accesserunt et ministrabant ei ». (5) Attamen ex evangelio constat Christo, non subito post eius baptisma, tardius vero, postquam a Satana tentatus est, angelos in deserto tale praestitisse ministerium. (6) Potius, – sed modo prorsus generali, – dici posset illorum effigies ad quaedam psalmi nonagesimi referri loca: « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem ». (7) Quae ultima de Christo

(1) Diehl, *Ravenne*, Paris, 1807, pp. 40 et 45.

(2) Cf. A. Iacoby, *Ein bisher unbeachteter Bericht über die Taufe Iesu*, Strassburg, 1902.

(3) Non desunt, qui in archetypo huius argumenti exquirendo tempus insumpserint; sed in vanum: nihil nempe modo magis vario quam Christi baptisma est adumbratum; et, nedum talis varietas gradatim successisse dici possit, cuiuslibet aetatis exempla, quoad argumenti adiuncta, seu quoad figurarum numerum situmve, inter se valde differunt.

(4) Cf. Cabrol, *Dictionnaire d'arch. chrèt.* etc. articul. *Baptême de Iésus*, figg. 1299, 1300, 1311.

(5) Matth. IV, 11.

(6) Ibidem.

(7) *Psalm.* XC, 11–13.

Tab. 108. « Crux de smalto depicta ».
Picturae vitreae aureae cuiusdam thecae relliquias dominicae crucis olim asservantis ac Paschalis I iussu affictae (Bibliotheca Vaticana).

Tab. 109. Musivum arcus triumphalis S. M. Maioris (pars superior sinistra).

Tab. 110. Musivum arcus triumphalis S. M. Maioris (pars superior dextra).

intelligenda ars ipsa, tum in picturis, tum in sculptilibus, praecipue funerariis, edocet.[1]

Alioquin, etiam in aliis argumentis, Christo puero, vel Mariae, ut reginae exhibitae, comites adsunt angeli, plerumque albis induti vestimentis, haud secus ac cernuntur apostoli et personae sacrae in catacumbarum picturis: sic in S. Mariae Maioris specialiter musivis (Tabb. 109, 110). Angeli autem, qui Christo, dum a Ioanne abluitur, adsistunt, manus plerumque panno aut pallio coopertas habent, ministrantium vel gratiam aliquam expostulantium more

Erit fortasse qui quaerat, cur Christi baptisma, quod, testante evangelista, quando « Iesus erat incipiens quasi annorum triginta »[2] est peractum, una cum primordiis eius ita sit adumbratum. Hoc equidem libenter dixerim evenisse propter parvam staturam, quam in talis baptismatis repraesentationibus, artifices Christo interdum attribuere non dubitaverunt; de quo picturas illustrando, affatim locuti sumus.[3]

Ne quidquam in hac nostra recensione omittatur, argumentum hic est memorandum, in quo iuxta apocryphas narrationes, ludi seu scholae magistrum Christus doctrina sua obstupefacit. Hoc apud quoddam eburneum conspicitur sculptile, ubi Iesus cum magistro loquitur, super cathedra sedente (Tab. 54, n. 4, p. 137).

Innocentium strages. — Parvulorum strages perquam rara deprehenditur. Si enim quoddam funerarium sculptile excipias (cf. p. 52) nulla alia apud sepulcra eiusmodi repraesentatio invenitur. Apud musiva semel saeculo quinto apparet, Romae scilicet, in arcu triumphali basilicae S. Mariae Maioris

(1) Cf. vol. II pars secunda, pp. 233-235.

(2) Luc. III, 23.

(3) Huiuscemodi cycli, ad primordia Christi scilicet spectantis, primum exemplum in funerariis apparuisse iam diximus picturis, nempe apud SS. Petri et Marcellini coemeterium, ubi in cuiusdam cubiculi fornice haec simul cernuntur argumenta: Mariae Virgini angelus incarnationem Verbi nuntians, – Magi stellam adspicientes, – Magi Christum infantem, in Matris gremio positum, adorantes, – Christi baptisma. (Cf. vol. II pars secunda, pp. 129-132).

(Tabb. 106, 111); multo autem tardius in Oriente. Semel denique, saeculo sexto apud eburneum operculum Mediolanensis Evangeliarii conspicitur, de quo infra erit dicendum (Tab. 112). Ad musivam in ecclesia S. Mariae Maioris adumbrationem quod attinet, nondum ibi coeptam observandum stragem, sed tyrannum eam, coram matribus dolore perterritis, iubere.



Tab. 111. Musivum basilicae S. Mariae Maioris opus.
Herodes parvulorum necem iubens (Tab. 106, pars inferior).

Christi Passio. — Post Christi primordia et baptismum, miracula eius adducenda essent; sed haec eadem plerumque manent, quae prioribus temporibus fuerunt in coemeteriis efficta. Contra vero de passione Christi aliquid dicendum, quia ad eam attinentia argumenta, nec omnia simul, nec eodem semper modo, sed secundum quemdam progressum, apud artis opera apparuerunt. Antiquae enim artis proprium fuit ea omnia omittere quae Christo, etsi insulse, dedecori possent imputari; porro huiusce indolis erant cruciatus et suspendium. Quapropter, sicut in sarcophagorum anaglyptis, ita in Ravennatensibus musivis et in aliis saeculi quinti ac sexti operibus, tam flagellatio quam cruci affixio praetermissa est.

Venetiis, apud ecclesiae S. Marci ciborium, Christus ostensus est dum *militibus traditur*, secundum monumenti inscriptionem, *flagellandus*. Revera tamen ipse apparet ambulans super pallium quod quidam miles ante eum extendit. Procul dubio tale argumentum istis evangelii Nicodemi explicandum est verbis: « Advocans autem Pilatus cursorem, dicit ei: Cum moderatione adducatur Iesus ». Exiens vero cursor, et agnoscens eum, adoravit et καθάπλωμα, quod ferebat in manu sua, expandit in terra, dicens: « Domine, super hoc ambula et ingredere, quia praeses vocat te ». Ingresso autem Iesu et signiferis ferentibus signa, curvata sunt capita signorum ex se et adoraverunt Iesum ».(1)



Tab. 112. Tabulae 54, pars inferior - Innocentium strages.

Ceteroquin in talibus repraesentationibus, Salvatoris potissimum dignitas, seu maiestas, ubique elucet: nam praeter quod eius imago tamquam compositionis centrum apposita sit, maioris aliquanto ceteris staturae efficta est, ac potius regis utique videtur quam accusati. Hoc quidem iam invenimus in sculptilibus, ubi, si Christus a milite coronatur (Tab. 31), corona gloriae est, nempe non spinis sed floribus serta, et ubi quoque haud chlamyde purpurea ille indutus est, nec arundinem gerit,

(1) *Ev. Nicodemi*, cap. I.

sed consuetis suis coopertus est vestimentis, tunica scilicet ac pallio.

Insuper plerumque, apud has passionis historias, barbatus est, iam praesertim, saeculo quinto, in ligneis S. Sabinae forium anaglyptis (Tab 103). Id, ut sane animadvertit P. Berthier,[1] fit eo, quod Iesum Christum passionis suae tempore maturae prorsus aetatis fuisse multi Patres reputaverint.



Tab. 113. Ascenzio Christi.

Tab. 114. Christi crux et gloria.

Anulorum quaedam gemmulae, ut alias notavimus,[2] iam a seculo tertio, Salvatoris in cruce pendentis effigiem, simul ac duodecim apostolorum ad patibuli latera, proferunt; sed in aliis sculpturae picturaeve proprie operibus, saeculo duntaxat quinto Christum affixum cruci primum apparere haud est ambigendum:[3] et tunc quin etiam saeculo sexto, modo fere allegorico saepe inducitur, eius, verbigratia, dimidia figura super

(1) J. J. Berthier, O. P., *L'église de Sainte-Sabine à Rome*, Rome, 1910, p. 145.

(2) Vol. I, pars prima, p. 183, tabb. xxvi et xxvii.

(3) In Prudentii (348–404) *Dittochaeo* seu *Veteris et Novi Testamenti enchiridio*, Christi crucifixi effigies iam commemoratur; hanc forsan talis imaginis mentionem primam omnino nescio annon dicerem.

cruce, veluti triumphi super instrumento, exhibita; quod quoque apud eulogiarum ampullas,[1] quarum ope oleum e lampadibus, iuxta praecipua sanctuaria ardentibus, colligebatur, deprehendere licet (Tab. 114).

Ubi vero clare crucifixus cernitur, nondum mortuus plerumque ostenditur, sed vivens adhuc, manibus tantum confixis minimeque prodens dolorem ut, praeter alia, in supra memorato S. Sabinae aedis sculptili, necnon in quadam saeculi quinti eburnea capsa apud Britannicum museum, Londini asservata, dignoscere facile est. Scimus aliunde primas Iesu crucifixi adumbrationes illum omnino ostendisse nudum: sic Gregorius Turonensis talem in ecclesia S. Ginesii, apud Narbonem, collocatam fuisse narrat effigiem, cui, monitu divinitus oborto, perizoma est circumdatum.[2] Cum vero, saeculo desinente sexto, convenientius visum est crucifixi imaginem haud prorsus ita nudatam exponi, tunc aut vivus, aut mortuus quidem, sed magnifice convestitus ac regali diademate coronatus, Salvator effictus est (Tab. 115).

Ante saeculum septimum, Christi cruci affixi imago non videtur fuisse, ab aliis argumentis separatim, adorationi obiecta, sed potius locum inter passionis mysteria, quod antea non dabatur, occupavit. Saeculo septimo iam incipit apparere sola fidelibusque plane adoranda proponi; cuiusmodi Romae, in S. Valentini coemeterii vestibulo, hodie temporis quidem hominumque iniuria magna ex parte destructum, exemplar habetur. Pulcherrimum vero talis specimen rei apud S. Mariae Antiquae adest basilicam; in eoque praeterea varii mortalium angelorumque ordines Christum ostenduntur venerabundi. Pictura ista ad saeculi octavi initium pertinet, ac sive ob cogitationis conceptae sublimitatem, sive ob compositionis partiumque dispositionem, sive denique ob eximiam, qua elaborata est, artem, omnium illius aetatis picturarum optima fortasse arbitranda.[3]

(1) GARRUCCI, VI, 434, nn. 2, 3, 4, 5; 435, n. 1.
(2) GREG. TURON. *De gloria Confess.* LXXIX.
(3) Cf. WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, tab. XIII.

Communior autem crucifixionis adspectus, a saeculo septimo, fuit ut, praeter Mariam ac evangelistam Ioannem, duo ad pedes crucis effingerentur milites, alter hasta pectus Salvatoris feriens, alter ei spongiam, arundini impositam, morienti



Tab. 115. Crucifixus Nicodemi, Lucae asservatus.

praebens, iuxta nempe spurium Nicodemi evangelium, quod alioquin ex aliis apocryphis, scilicet ex *Descensione Christi ad inferos* et ex *Actis Pilati*, plura adiuncta repetivit. Ibi enim nomen militis (ΛΟΓΓΙΝΟC = LONGINUS) lancea Christi pectus perforantis declaratur: λόγχη τὴν πλευρὰν αὐτοῦ ἐξεκέντησεν

Λογγῖνος ὁ στρατιώτης; nec raro iuxta viri figuram, modo Graece ut in quodam Florentino saeculi sexti codice, Rabulae dicto, (1) modo Latine, ut in tabula nostra 116, inscriptum proinde vocabulum istud legitur.

Ubi vero crucifixio alicuius cycli, quasdam alias vitae Christi historias complectentis, est pars, tum plerumque Iesus inter latrones conspicitur. (2) Attamen advertendum est ex forma superficiei, cui imago erat inducenda, adiuncta compositionis eorumque dispositionem saepissime pendere.

In rotundis angustisque spatiis compositio praecipua centrum occupat, et aliquando compositio illa duplex est: nempe superius Salvatorem crucifixum, modo glorioso prolatum, cernere est, atque inferius, exempli gratia, feminas aromata ad sepulcrum eius deferentes. (3) Raro plures ibi adumbrantur historiae; quo in casu, crucifixi effigies pars fit cycli suumque in serie simpliciter servat locum, dum Christi ascendentis ad caelum (quod cycli culmen est) imago compositionis obtinet summitatem. (4) Haec praecedentibus videbuntur contraria, sed ad rationem argumenti attendendum; nam in antiquioribus monumentis, in eulogiarum puta ampullis, licet adsint crux et latrones, Christi dimidiata figura iam veluti in gloria elucet; (5) ita ut, si sola maneret, parum ab aliis ista differret repraesentationibus, in quibus Christus, victor necis, super sepulcro vacuo ab angelis fulcitur, aut ovans excipitur in caelum (Tab. 55, p. 138).

Cum autem in quadrata superficie crucifixio est delineata, tunc secundum spatium ad latera remanens crucifixi, personae cruci adstantes plus minus sunt numerosae: si locus angustus, quod quidem in veterioribus imaginibus accidit, Maria et Ioan-

(1) Codex nempe ille, apud Laurentianam Florentiae bibliothecam asservatus, a Rabula, quodam sexti saeculi monacho, tale nomen accepit.

(2) Cum vero non iam cruci affixus, sed ad patibulum ductus Christus effingitur, rarissime adsunt latrones.

(3) GARRUCCI, VI, 434, nn. 2, 3, 4, 5; 435, n. 1.

(4) GARRUCCI, VI, 433, n. 8.

(5) Sic, haud absimilem propter cogitationem, apud sarcophagos cruci monogramma est impositum, corona circumscriptum gloria.

Tab. 116. Pictura ecclesiae S. Mariae Antiquae (init. saec. VIII).

nes tantum adiiciuntur, ac solis lunaeque symbola, ut in coemeterii S. Valentini vestibulo;[1] si locus largus, praeter has figuras, duorum etiam militum adduntur imagines, uti apud

(1) GARRUCCI, II, 84, n. 2.

quamdam ecclesiae S. Mariae Antiquae iuxta Forum Romanum picturam (Tab. 116). Quod si aliquod spatium adhuc supersit, ex una parte conspici solent Maria cum Ioanne, necnon

Tab. 117. Opus eburneum Carolingium (saec. x).

aliis interdum sanctis, ac praesertim Ioanne Baptista; ex altera parte vero scribae et pharisaei, Christum deridentes.

Denique, ad pedem crucis nonnunquam aut serpens, aut Adam calva, aut Adam et Evae ipsae effigies, modo erectae, modo genibus flexae, quemadmodum in nonnullis eulogiarum ampullis,[1] aut etiam tres milites Iesu vestem sortientes: sic

(1) Garrucci, VI, 434, nn. 2, 3, 4, 5; 435, n. 1.

in minuta supra memorati Rabulae codicis pictura. Ita, quoad cogitationes, adumbratarum compages rerum vere, in his exemplis, plena evadit: sub cruce enim inducitur vel symbolum, artificis peccati, Satanae, cuius imperium Christus moriendo destruxit, vel primi aperte recordatio hominis, cuius culpam redemptor sanguine suo redemit. Ceterum vulgaris, quodam tempore, fuit opinio, in monte Calvariae sepulturam fuisse Adam et super ea dominicam crucem erectam: hinc est cur Adam calva ossaque interdum veluti in aliquo sepulcro, seu caverna, subter crucem sint efficta. Ad mortis autem Christi efficientiam quoque declarandam, ibi, in tardioribus monumentis, iustorum antiquae legis, ex inferis seu limbo eductorum, adiuncta est liberatio (Tab. 117).

Maria Virgo sub cruce dolens saepe saepius quidem conspicitur, at in antiquioribus monumentis, et iuxta sententiam apud Patres plurimos, ut puta apud S. Ambrosium, receptam, minime plorans. Ioannes autem evangelista, sicut iam supra diximus, librum aliquando gestat, ad indicandum scilicet testimonium quod ipse praebuit veritati; nonnunquam vero, perinde ac Maria, nihil habet prae manibus, sed Christo et Matri eius compatiens videtur: quo in affectu optime humanum genus iuxta crucem repraesentat. Postremo Ioannes Baptista, sicut in aliis quibusdam argumentis, Christum sive in gremio Matris stantem, sive in cruce pendentem, sive etiam agni sub specie figuratum, tamquam « Agnum Dei » indicat. Huc quidem quaedam concilii Trullani (692) apprime veniunt verba: « In nonnullis venerabilium imaginum picturis agnus, qui digito praecursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiae figuram assumptus est, verum nobis Agnum per legem Christum Deum nostrum praemonstrans. Antiquas ergo figuras et umbras, ut veritatis signa et characteres Ecclesiae traditos, amplectentes, gratiam et veritatem praeponimus, eam ut legis implementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus omnium oculis subiciatur, eius qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro vetere agno erigi ac depingi

iubemus: ut per ipsum Dei Verbi humiliationis celsitudinem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conversationis, eiusque passionis et salutaris mortis deducamus, eiusque quae ex eo facta est mundo redemptionis ». (1)

Solis lunaeque symbola paschale innuunt plenilunium, cuius tempore Christus necatus esse putabatur.

In recentioribus paullulo compositionibus etiam angeli adsunt, sive sanguinem e Christi latere profluentem calicibus accipiant, sive obstupefacti aut venerabundi Salvatorem adorent, sive, propter dolorem, vultum sibi velo, perinde ac Venetiis apud S. Marci baptisterium, cooperiant.

Christi in cruce pendentis imago, saeculo nono, denuo magis nuda obiicitur, perizomate tamen in pudendis tecta, et nondum spinis coronata, quod saeculo decimo secundo solummodo in usum venit, sed circa caput nimbo crucifero insignita. Deinceps vero, ad fidelium miserationem vehementius excitandam, omne circa crucifixi effigiem omittitur gloriae signum; clavo unico ambo Christi pedes, cruribus horride tortis, conficti monstrantur, totumque corpus cruentae flagellationis necnon atrocissimi in patibulo cruciatus, prae se fert indicia. Quae autem, progressu temporis, aliae eiusmodi compositiones excogitatae sunt, ad nostrum non pertinent institutum.

Perinde ac deprehenditur de argumentis Mariam virginem spectantibus evenisse, ita in diversam diversas apud regiones repraesentationum, quae crucifixum exhiberent, frequentiam indolemque haereses aliquae non parum momenti habuerunt: nempe haud ubique, ante saeculum nonum, eodem modo tales crebuerunt imagines, sed lentius in Oriente quam in Occidente. Monophysitarum enim haeresis, quae divinam tantum docebat in Christo exstitisse naturam, illum in cruce vere mortuum fuisse infitiabatur, ita ut eius loco Cyrenaeum occisum fuisse quidam somniarent. Hinc intelligitur quantum ab imagine Christi cruci affixi effingenda eiusmodi haeretici refugerent, ac notum est, etsi in Chalcedonensi concilio (451)

(1) MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova amplissima collectio*, t. XI, Can. LXXXII, pp. 978-979.

damnatos, eorum errores haud deinceps prorsus evanuisse. Monophysitae in Aegypto potissimum ac in Syria pullularunt, in quibus proinde regionibus Christi passionis adumbratio praecipue symbolica remansit, licet crux eiusque virtus variis exhiberentur modis. Monophysitarum addicere doctrinae illam forsitan debemus allegoricam crucifixi effigiem, quam apud eulogiarum cernimus ampullas (Tab. 114); has enim e Syria provenisse non videtur dubium, quippe quae ab eis qui apud loca sacra Orientis peregrinati erant in Europam fuerint delatae. Textus concilii Trullani, superius adductus, hanc quoque respicit quaestionem.

CHRISTI IN MORTE TRIUMPHUS. — Christi sepulcrum, ad quod piae mulieres, aromata deferentes, accedunt, vel, tum dormientes, tum timore perculsi milites, praeterquam angeli, excubant persaepe, ac in omnigenis artis operibus exstat. (1)

Christus ad limbum descendens, saltem a saeculo septimo, frequenter quoque sed tantum apud musiva opera ac picturas reperitur. Venetiis nominatim, apud ciborii basilicae S. Marci, sculptilia, dum ab inferis Adam educit, Iesus figuratur; infernus autem et mors ibi inducuntur instar personarum, quas Adam exeundo calcat; unde, « haec videns infernus et mors expaverunt », (2) ait evangelium Nicodemi. Supra vero talem ima-

(1) Christi sepulcrum salvatorisque, post resurrectionem discipulis apparentis, gesta, praeterquam in picturis, haud raro in eburneis sculptilibus cernuntur; nec desunt in ligneis anaglyptis, neque in ampullis eulogiarum; raro tamen exstant in numismatibus. – Cf. GARRUCCI, VI, 434, n. 6; 449, n. 2; 450, n. 1 et 2.

(2) *Ev. Nicodemi*, pars altera sive *Descensus Christi ad inferos*, XI; ed. Tischendorf. Huius operis fontes verba Oseae quaedam videbantur (XIII, 14) necnon S. Pauli illa in sua prima ad Corinthios epistola (XV, 55): « Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? ». Hodie tamen aliter est reputandum, cum eiusmodi traditio iam apud nuper inventas Salomonis Odas appareat. En versus quae huc spectant, iuxta Battifol e Syriaca in Gallicam linguam versionem :

— « Le Schéol m'a vu et a été vaincu ;
— La mort m'a laissé retourner, et beaucoup avec moi.
— J'ai été pour elle fiel et vinaigre,
— et je suis descendu avec elle, autant qu'il y avait en lui de profondeur.

ginem legitur: EXPOLIATIO IFERI (inferi), et quamvis istud monumentum saeculo decimo primo non antiquius sit, nihilominus plurimi fieri debet; nam et propter compositionum peculiaria quaedam adiuncta, et ob effingendi modum, qui funerariorum est anaglyptorum adsimilis, hic varia expressa argumenta, ac praesertim illud quod consideramus, archetypum multo vetustius supponunt.

Romae, initio saeculi octavi, res eadem tum apud ecclesiam S. Mariae Antiquae, tum in Vaticano apud Ioannis VII oratorium, fuit adumbrata. In priore pictura Christus ad limbum, ostio perrupto, victor advenit, pedem super cervicem mortis, humana specie indutae, (1) ponens, necnon, sicut apud S. Marci ciborium, Adam solus a Salvatore liberatus apparet. Huic repraesentationi verba ista commentitii Nicodemi evangelii sane congruunt: « Tunc rex gloriae, maiestate sua conculcans mortem et comprehendens Satan principem, tradidit inferi potestati, et attraxit Adam ad suam claritatem... Tenens autem Dominus manum dexteram Adae dixit ad eum: Pax tibi cum omnibus filiis tuis, iustis meis ». (2)

— Elle a détentu les pieds et la tête,

— Parce qu'elle n'a pas pu supporter mon visage ». (Cf. *Revue Biblique*, 1911, p. 175).

Immo en loca duo invicem ceteris congruentiora :

Salomonis ode XLII:

— Ils ont couru vers moi, ceux qui étaient morts; ils ont écrié et dit: « Aie pitié de nous, Fils de Dieu, et agis avec nous selon ta grâce;
— fais-nous sortir des liens des ténebres et ouvre-nous la porte, pour que par elle nous sortions vers toi.
— Car nous voyons que notre morte ne s'est par approchée de toi.
— Soyons sauvés nous aussi avec toi, parce que tu es notre sauveur ».
— Pour moi. J'entendis leur voix, et je traçai mon nom sur leur tête;
— C'est pourquoi ils sont libres et m'appartiennent.

Evangelium Nicodemi:

Pone, Domine, signum in inferno victoriae crucis tuae, ne mors dominetur amplius. Et extendens Dominus manum suam fecit signum crucis super Adam et super omnes sanctos suos etc. (c. XXIV).

(1) Mors ibi, quemadmodum apud parvas codicum picturas abyssi inductio capillis in gurgites Pharaonem trahentis, viri figura nigri coloris ac nudi repraesentatur, quae insuper pedem Adam, ut postea in eodem argumento Satanae inductio, manu tenet.

(2) *Ev. Nicodemi*, pars altera, VI; ed. TISCHENDORF, p. 400 sq.

Alia huiuscemodi effigies in monte Palatino est reperta; sed ibi, simul cum Adam et Eva, duo adsunt angeli, primos recepturi generis humani parentes. Christus insuper manu dextera dexteram manum Adam apprehendit et sinistra volumen tenet; caput autem eius nimbo crucifero est praecinctum totaque persona radiantis quodam lucis ambitu, in ovatam formam ducto, circumscripta. (1) Hoc quidem ultimum adiunctum omnium huiusmodi imaginum, quae Romae inveniantur, pro-

Tab. 118. Christus ad limbum - saec. IX.
(Pictura basilicae S. Clementis, Romae. Ex *Römische Quartalschrift*).

prium est; atque tali fulgore unus iam e tribus angelis, qui Abraham apud S. Mariae Maioris musiva comitantur, est decorus.

In Ioannis VII oratorii operibus, iuxta Grimaldi graphidem, Christus nihil manu sinistra ferebat; (2) apud vero ea musiva, quae S. Zenonis sacellum, in ecclesia S. Praxedis, decorant, et quae ad nonum saeculum existimantur pertinere, Christus

(1) WILPERT, *Sancta Maria Antiqua*, apud *L'Arte*, XIII, fasc. 1, fig. 15.
(2) GARRUCCI, IV, 279, n. 1.

similiter ovato refulget in luminis clypeo, sed sinistra volumen habet. Praeterea, quamvis musivum ibi sit mutilum, atque aliunde proveniat, [1] Adam et Eva simul apparent, necnon pone Salvatorem mors infernusque, seu Hades, adhuc personarum more, et sinistrorsum angelus, qui haec Nicodemi evangelii verba ad mentem revocat: « Dominus, tenens manum Adae, tradidit (eum) Michaeli archangelo, et omnes sancti sequebantur Michaelem ». [2]

Saeculo decimo, apud inferiorem S. Clementis ecclesiam, in navis mediae pariete sinistro, idem depictum est argumentum, in quo tamen Christus laeva manu crucem profert. [2] Haec sane unica est inter Occidentales imago, quae cum Orientalibus congruat imaginibus, apud quas saepissime Christus ad inferos cum cruce descendere ostenditur; [3] et, quia haud dubie ceteris est recentior, Romanas, quae antiquiores, nulli Orientalium afflatui fuisse obnoxias satis probat effigies. Quod etiam aliunde patet: nam, apud Orientales huiuscemodi adumbrationes, haud nimis ambigua progressionis cuiusdam ac evolutionis deprehendi queunt indicia. Sic in eis, praeter Adam et Evae, aliae homi-

(1) Haec nempe imago, iussu Paschalis I (817-824) illuc est allata et proinde pontifice illo aliquanto citerior, quamvis profecto saeculi noni initium non praecesserit.

(2) Tischendorf, *Evang. apocr.* Evang. Nicodemi, c. XXV - Praestat aliqua doctissimi Garrucci, illud musivum describentis, huc afferri: « Il luogo del sottarco a destra, dov' è situato oggidì, è quel medesimo che occupò in origine ai tempi di Pasquale I; ma quivi è fuor d'opera e di motivo. Sembra però che vi sia stato trasportato altronde, e forse fu nella basilica rovinosa, presso alla quale il santo Papa fabbricò questa nuova, demolendo l'antica... È singolare il modo di esprimere l'orco e la morte, messi dal Redentore in ceppi. Fu costume antico di porre i ceppi alle mani ed anche al collo; il nervo che adoperossi in prima si cambiò di poi in ferro e in legno, serbando lo stesso nome di *nervus*... Qui la parte del ceppo che si vede è intorno al collo, e vi è anche indizio della serratura a chiave. L'altra singolarità, si è quella di aver rappresentato la morte in figura muliebre, seguendo la forma grammaticale... Il buon angelo, che accompagna il Salvatore, parmi sia uno di quelli che sogliono sostenere la gloria e servir quasi da veicolo al Signore » (Garrucci, IV, cclxxxix, n. 2, p. 116).

(3) Cf. *Römische Quartalschrift*, 1891, tab. ix, p. 297.

num admissae sunt figurae, inter quas plerumque, ad Christi dexteram, David et reges quidam iusti, ad sinistram autem post Ioannem Baptistam, qui primis parentibus liberationem praenuntiat, aliqui patriarchae et prophetae. Christus vero, cru-

Tab. 119. Christus ad limbum (Musivum ecclesiae Daphnicae. Ex *Mon. Piot.*)

cem sinistra gerens manu, dextera erigit et educit Adam, dum Satanam, catenis constrictum ac inter confracti ostii serarumque infernalium fragmenta iacentem, conculcat.[1] Quae quidem

(1) MILLET, *Mosaïques de Daphni*, ap. *Monuments Piot*, II, 1895; SCHÖNEWOLF, *Die Darstellung der Auferstehung Christi*, Lepzig, 1909; DIEHL, *Manuel d'art byzantin*, Paris, 1910, tabb. CCXXVII, CCXXXII, CCXLVIII.

incrementa adiunctaque satis a primaeva simplicitate, alias deprehensa, distant. (1)

Sed in his ipsis incrementis progressionem animadvertere nobis licet; reges enim primum in quadam vitrea pictura (id est in Chemekmed smalto) saeculi decimi apparent, itemque in alio eiusdem temporis eiusdemque generis opere (seu in Senae smalto). Apud musiva ecclesiae S. Lucae *Gournikiotae* et ecclesiae S. Sophiae in urbe Kief (1037) primum S. Ioannis Baptistae imago cernitur. Saeculis autem nono et decimo, Romae et alibi, simul cum morte etiam infernus (Hades) instar personae adumbratur; postea vero Satanas solus deprehenditur. In Daphnicis musivis (saec. XI) hoc argumentum ultimo fere perficitur: nempe in eo primi parentes, Ioannes Baptista, reges iusti, prophetae atque Satanas praebentur, quae omnia in tardioribus picturis constanter aderunt (Tab. 119). (2)

Nec praetermittendum eam crucem, quae semel tantum in Romanis est exemplis, tum etiam ab Orientalium effigierum crucibus, quoad formam, differre, ut e tabulis constat. Item animadverti potest ovatum illum nimbum qui Christi limbum ingredientis figuram Romae semper circundat, apud Orientales huius argumenti imagines, rarissime inveniri. Igitur credere licet Christi ad inferos descensum in urbe Roma, ubi ceteroquin omnium antiquissima certo eius exstant specimina, primum adfuisse adumbratum.

(1) Ea aliunde apud quamdam depingendi normam, a monachis montis Atho (Athos), saeculo decimo iam provecto conscriptam, exponuntur et describuntur (Cf. *Manuel d'iconographie chrétienne*, Paris, 1845, trad. P. Durant, p. 199). Talis ceteroquin imago potissimum respondet liturgiae, quae non parum, quoad tale argumentum, et Scriptura sacra et apocryphis libris est afflata. Exempli gratia, in Romano breviario, ad secundum sabbati sancti nocturnum, legitur: «Recessit pastor noster, fons aquae vivae, ad cuius transitum sol obscuratus est; nam et ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem: hodie portas mortis et seras pariter salvator noster disrupit».

(2) Cf. DIEHL, ap. *Mon. Piot*, II, 1895, tab. XXV; III, 1896, p. 231-246, tab. XXIV.

Tab. 120. Ascensio Christi
(Anaglypto cedrino apud valvas ecclesiae S. Sabinae in monte Aventino – saec. V).

De Christi in morte gloria haec satis. Ad Ascensionem illius quod pertinet, quasi nulla ex apocryphis hausta, vel iis quae alias disseruimus addenda. In talis facti repraesentatione, ut iam innuimus, plerumque Christus in caelum ab angelis, id est a cherubim, effertur, aut, manu divina, e nubibus ad eum protenta, recipitur (Tabb. 55, 120). E compositionis autem complexu formaque aetas aliquando deduci potest. Ubi

Tab. 121. Christi ascensio - Parva Rabulae Evangeliarii pictura (saec. VI).

enim compositio nondum ad symmetriae legem delineata est, neque Salvatoris persona nimbo gloriae circumdata, neque in altum dum est sedens attollitur, sed in montem ascendit, neque angeli, qui eum sustinent elevantque, bini et bini sibi respondent, sed ad naturae morem sunt efficti, tunc antiquius habetur opus. Cuius quidem rei tabulae 120 et 121 exemplo sint: tabula 120 ligneam portae S. Sabina sculpturam refert, quae ad quintum pertinet saeculum; tabula vero 121 parvam Rabulae codicis picturam praebet, quae anno circiter quingentesimo

octogesimo sexto est facta, Christi persona, ovato nimbo circumscripta, veluti curru aliquo, symbola evangelistarum inductionesque angelicas exhibente, necnon angelorum ope in altum attollitur, dum alii angeli gloriae coronas ei afferunt. Subtus autem, Maria orans adest cum duodecim discipulis, Christum

Tab. 122. Transitus Virginis
Christus animam Mariae Virginis, infantis sub specie, ad caelum defert
(Musivum saec. XII. *Phot. Alinari*, Florentiae).

ascendentem conspicientibus, quibusque angeli duo illa videntur effari verba: « Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem ». (1)

(1) *Act.*, I, 11. De Virginis Mariae ad caelos assumptae argumento, utpote dominicae ascensioni quamvis affini, nihil hic, quoad musiva picturasque basilicarum addendum esset; nam quaedam apud basilicam S. Clementis picturam, quam nonnulli auctores Mariae assumptionem repraesentare existimant, iuxta alios, eosque antiquitatum Christianarum peri-

tiores, Christi in caelum ascensus potius videtur adumbrare, et alioquin ad saeculum nonum pictura illa pertinet (cf. WILPERT, *Le pitture della basilica primitiva di S. Clemente*, p. 56 sq). Solummodo, ut posteriorum nonnullarum repraesentationum aliquatenus prolusio, memorandum venit portae S. Sabinae ligneum sculptile, apud quod Maria in caelo prorsus recepta esse videtur (cf. Cap. V). Ibi enim solis et lunae symbola astraque super Virginis capite caelum indicant; ipsa vero, adorantis instar, in contemplanda Filii sui gloria, gaudio perfusa apparet, dum apostolorum ambo principes crucem, rotundo circumscriptam spatio, supra cervicem eius attollunt. Ad ea vero quae supra de Mariae transitu ac dormitione disseruimus, en tabula 122 operis musivi ecclesiae Martoranae dictae, apud Panormum, quaedam imago ad saeculum attinens decimum secundum, ac iuxta notam apocryphum narrationem dormitionis Mariae argumentum adumbrans.

Tab. 123. Christus piis mulieribus apparens
(Anaglyptum ligneum apud fores ecclesiae S. Sabinae in monte Aventino).

Tab. 124. Miniatula apud Rabulae Evangeliarium pictura Christum cruci affixum adumbrans (an. 586).

CAPUT IV.

Minutae, seu miniatulae, apud codices picturae. (1)

De cyclis apud musiva loquens opera, plura circa miniatulas seu parvas picturas, quibus manu scripti codices vel rotuli ornabantur, protulimus. Hic nunc, data opera, eiusmodi considerandae sunt picturae, quae *inluminationes* medioaevo vocabantur; unde verbum *inluminare* (illuminare), id est codices pingere.

ART. I. — **Minutarum picturarum primordia; codicum sacrorum, huiuscemodi picturas exhibentium, praecipuae classes.**

Quin rotuli nonnulli apud antiquos populos pingerentur, non videtur dubium; certissime id in usu fuit Romae, ubi, ut animadvertimus, quaedam monumenta ita decorabantur, ut rotulis explicatis velut cooperta apparerent. Argumenta vero sic depicta victoriae plerumque de hostibus imperii relatae, necnon quilibet eventus memoria eximie digni. Rotulos autem aliquos Christianae argumentis historiae, ante pacem Ecclesiae, exstitisse insignitos, verisimiliter est negandum. At illud post tempus, dum novis basilicis musiva adhibebantur, ita fortasse etiam codicibus sacris depicta addita sunt ornamenta, quamvis revera talium antiquiora exempla, quae nobis manent, saeculum quintum non praegrediantur.

Musiva alioquin praeviam parvamque quamdam in charta requirebant delineationem, eadem prorsus ratione, qua insigne

(1) Italice *miniature*, Gallice *miniatures*.

artis cuiuslibet opus, antequam incipiatur, schemate seu specimine describitur exiguo. Sic Traianea vel Antoniniana columna praevium supponit rotulum qui, velut norma, tum insculpendorum ordinem argumentorum, tum singulas historias effingendi modum sculptoribus suggesserit. Antecedens schema ab unico erat descriptum auctore; opus autem, si ingens esset, a pluribus poterat artificibus elaborari.

Saeculo quarto, profanae nonnullae eiusmodi imagines vel a Christianis fuerunt peractae pictoribus, exempli gratia apud codices quosdam, qui Virgilii et Homeri [1] versus saltem partim continent. Hae picturae, perinde ac illae, quibus, eodem saeculo, Terentii, Nicandri, Dioscoridisque opera ab ethnicis artificibus sunt adornata, Pompeianae pulcherrimae artis modum stylumque reddunt. [2]

Iis Constantini II calendarium, seu Philocalianum chronographum, adiiciendum est, utpote anno trecentesimo quinquagesimo quarto a Furio Dionysio Philocalo exaratum [3]. Huius codicis archetypum non amplius habetur, sed tres imitationes, ad primigenii instar, saeculo decimo octavo, diligenter effectae, Romae, Vindobonae ac Bruxellis asservantur.

In libri praefatione, quae tria folia occupat, hae leguntur formulae: VALENTINE, FLOREAS IN DEO; VALENTINE, LEGE FELICITER; VALENTINE, VIVAS, FLOREAS; VALENTINE, VIVAS, GAUDEAS. [4] Praeter astronomica

(1) P. DE NOLHAC, *Le Virgile du Vatican*, Paris, 1897; A. MAI, *Iliadis fragmenta cum picturis, item scholia vetera ad Odysseam*, Mediolani, 1819.

(2) PREMERSTEIN, WESSELY et MANTUANI, *De codicis Dioscoridei Aniciae Iulianae Vindobonensis historia, forma, scriptura, picturis*, Leyde 1906; MIDDLETON, *Illuminated manuscripts in classical and medieval times*, Cambridge, 1892.

(3) Continet nempe hic codex Calendarium astronomicum, Natales Caesarum, quamdam mutilam Consulum ac praefectorum urbis Romae seriem, Catalogum romanorum pontificum, Depositiones episcoporum et depositiones martyrum.

(4) STRZYGOWSKI, *Die Kalenderbilder des Chronographen vom Iahre 354*, ap. *Iahrbuch der kaiserlich. deutschen archäologischen Instituts*, Berolini, 1888, t. I.

sub deorum figuris signa, subsequentes paginae, inter alatas victorias imperatoris genium sphaeramque cui phoenix insidet, necnon Constantini II eiusque filii Constantii imagines ferunt. Adsunt deinde urbium Romae, Augustae Trevirorum, Constantinopolis et Alexandriae, personarum instar, inductiones; omnia vero ea mediocri satis arte expressa. E contra pulcherrima succedunt mensium anni symbola, variis declarata insignibus, in quibus nescio utrum naturae imitatio, an effigierum elegantia, colorumve mirabilis complexio magis sit laudanda. Haec denique variis architectonicis delineationibus circumscripta sunt, nulla tamen distantiae rerum ratione habita.

Primaeva vero illa minutarum picturarum specimina haud parum usui et afflatui fuisse videntur artificibus, qui posthac, apud rotulos chirographosve, argumenta depinxerunt religiosa, scilicet aut ex vetere, aut ex novo Testamento, raro ex utroque simul, deprompta. Generatim autem codices sacri sic illustrati in quattuor classes dividi possunt: Biblias, Evangeliaria, Psalteria, Scripta Patrum.

De singulis classibus aliqua, et primum de Bibliis.

Art. II. — Bibliae.

Genesis Vindobonensis. [1] — Fragmentum codicis est Vindobonae reconditum, quod, purpureo inductum colore, litteras auro argentoque scriptas habet. Ab omnibus quinto addicitur saeculo, proindeque inter Christiana eiusmodi monumenta, quae supersint, exstat antiquissimum. Viginti quattuor nunc constat foliis ac quadraginta octo praebet argumenta, quibus biblica historia ab originali peccato ad Iacob usque mortem continetur. Ioseph Strzygowski, ut suus est mos, illud in Syria superiore aut in Cappadocia confectum putat; [2] sed, ut plene Wickhoff demonstravit, nihil est illis in picturis quod Grae-

(1) Garrucci, III, 112–123; F. Wickhoff und Hartel, *Die Wiener Genesis*, ap. *Beilage der Iahrbücher der kunst-historichen Sammlungen*, t. XV, XVI, Wien, 1895.

(2) Strzygowski, *Eine Alexandr. Weltchronik*, pp. 282 et 283.

cam Romanamque artem non redoleat. Praeterea inter illas ac Liberianae S. Mariae Maioris basilicae musiva haud parva



Tab. 125. Geneseos Vindobonensis parva pictura.

congruentia est, praesertim in plurium simul imaginum dispositione, in topiorum delineatione, in urbiumque adumbratione.

Ajnalov argumentorum seriem ab alia serie, in rotulo aliquo depicta, arbitratus est provenisse; quod veri videtur si-

millimum: nam fit aliquando ut idem folium duas prae se ferat tabulas, alteram super altera, seu idem argumentum, propter spatii angustiam, in duas divisum historias.[1] Consideratio ista maximi est momenti, quia et de Liberianis musivis institui potest,[2] unde unam esse ambarum serierum originem forsan concludere liceret. Quomodocumque sit, ut iam innuimus, non est dubium series effigierum apud musiva elaborandas primum fuisse in rotulis, veluti ad exemplar praebendum, delineatas, et tunc artifices his fuisse munitos graphidibus, perinde ac hodie fit in omnibus ornationum generibus. Sed ad codicem revertamur.

Iuxta Wickhoff sententiam, sexaginta quattuor saltem foliis constabat, idemque auctor e superstitibus paginis quinque fuisse operis artifices colligere potuit. Tabula 125 unam ex eius refert picturis, quae Isaac apud Abimelech in Gerara civitate casus repraesentat; adsunt: 1, duo Gerareni, de Rebecca Isaac interrogantes; 2, rex Abimelech, e domus suae fenestra Rebeccam Isaac uxorem esse conspiciens; 3, idem rex, de Isaac mendacio conquerens. En sacrae Scripturae cum his congruentia verba:

1 « Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est. Timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne forte interficerent eum, propter illius pulchritudinem.

(1) Ceteroquin haec, tum apud codices, tum apud musiva, ambarum unius argumenti partium divisio, seu impositio, e communi utrinque conditione pendebat: codicis scilicet folia, perinde ac in basilicis super columnarum trabibus spatia, inter se aequalia esse debebant. Ubi vero illa non urgebat necessitas, argumenta aut velut in sarcophagorum anaglyptis, aut symmetriae iuxta legem, effingebantur. Prioris modi exemplum apud triumphalem basilicae S. Mariae Maioris habetur arcum (tabb. 133), in quo argumenta, tanquam in rotulo, quasi sine ulla intermissione, sibi subsequuntur; alterius autem modi adsunt specimina in tardioribus basilicarum musivis, vel ubi apocalypticae praesertim adumbratae sunt visiones (tab. 90, p. 214).

(2) Cf. opus meum: *I mosaici antichi di S. M. Maggiore in Roma*, Roma, 1910, tabb. passim.

Tab. 126. Opus musivum saec. IV apud basilicam Liberianam
(Ex Sisto Scaglia, *I musaici antichi di S. M. Maggiore,* Romae, 1910).

2 « Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech, rex Palaestinorum, per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca, uxore sua.

3 « Et, accersito eo, ait: Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? » (1)

Animadvertet in hac imagine studiosus regiam Abimelech domum statuis, puerili tamen modo effictis, exstare adornatam; necnon, quoad figurarum habitum, iuvabit notare, Isaac et duos Gerarenos, eum interrogantes, tunica brevi pallioque esse indutos, eos autem, qui cum Isaac obsequuntur regi, super talari tunica paenulam aliquam gerere, (2) denique, qui throno adsistunt, viros more aulicorum militumque palatii vestitos esse; omnes autem calceatos.

Bis, apud hunc codicem, fluminum seu fontium effigies personarum sub specie, haud secus ac in sarcophagorum vidimus anaglyptis, inducuntur.

Iosue rotulus. — Quem supra consideravimus codex, quamvis alius codicis non sit imitatio aut transcriptio, tamen aliquod picturarum, quas continet, archetypum, sub rotuli forma, requirere videtur; quo archetypo et Liberiana musiva afflata esse putanda sunt. Post vero ipsa S. Mariae Maioris musiva, unicus qui talis archetypi aliquantulam nobis notitiam praebere valeat, rotulus quidam est quinti saeculi, in Vaticana bibliotheca servatus atque rotulus Iosue nuncupatus. (3)

Initio quidem ac fine decurtatus est; haud tamen argumenta retulisse alia videtur praeter Iosue historias. Hae satis naturae congruenter expressae sunt, eximia adhibita figurarum

(1) *Genesis*, XXVI, 6-9. — Apud illa codicis folia ubi Ioseph historia fuse sciteque describitur, tabula quaedam Iacob patriarcham prodit Ephraim et Manasse, filiis Ioseph, cancellatis manibus, benedicentem; quod quidem argumentum tantummodo semel in sculptilibus funerariis invenitur (Cf. supra, p. 59).

(2) Haec paenula prorsus eadem est quam, apud S. Mariae Maioris musiva, apud fragmenta Sinopensis codicis et alibi, non solum Israelitarum, sed etiam cuiuscumque populi aut civitatis proceres ferunt. (Cf. opus meum: *I mosaici antichi di S. Maria Maggiore*, tabb. passim).

(3) Eiusmodi quidem rotuli magis completum fortasse exemplum in quadam Syriaca habetur Biblia, nuper inventa, sed recentiore; nam ad nonum pertinet saeculum. (Bibliothèque Nationale, Syr. 341. Cf. *Mon. Piot*, t. XVI); de quo infra.

dispositione sensuque distantiae haud neglecto.[1] Wickhoff saepenumero cum Traiani et Marci Aurelii columnarum anaglyptis has contulit picturas, magnamque inter utraque demonstravit esse congruentiam; alii easdem triumphalibus ceteris Romae sculptilibus non absone comparaverunt; sed hoc minime obfuit, quominus quidam auctores tales effigies nihil similitudinis cum supra dictis monumentis habere, ac potius cum depictis Virgilii et Homeri codicibus convenire declaraverint.[2]

Inter tam discrepantes sententias, nos quidem mediam viam arripiendam arbitramur, scilicet neque minutarum omnem picturarum similitudinem cum Romanis negare anaglyptis, neque, quoad istas, codicum iam memoratorum afflatum et efficientiam excludere. Ideo autem picturae minutae a Liberianis differunt musivis, quia monumentis Romanis ista musiva omnino, illae vero picturae tantummodo ex parte, congruunt. Quapropter contra eos, qui ad unicum artis exemplar omnes biblicorum codicum cyclos conantur reducere, plura archetypa eiusmodi fuisse videtur pronuntiandum.[3]

Denique observandum est singulis fere in huius rotuli picturis locorum, personarum instar, inesse inductiones: flumina videlicet, montes, urbes pagique, tum iuxta aquas aut rupes recumbentium virorum, tum mulierum sedentium caputque turrigerum vel circumdatum nimbo ferentium, figuris significantur.

Biblia Cottoniana.[4] — Codex hic geneseos Vindobonensis valde est adsimilis, licet leviter, in adiunctis, iam Bizantinam artem sapiat. Anno autem millesimo septingentesimo trigesimo primo, maxima ex parte incendio consumptus fuit;

(1) Garrucci, III, 157–167; *Il rotulo di Giosuè, codice Vaticano palatino greco 431, riprodotto in fototipia e fotocromografia a cura della Biblioteca Vaticana*, Milano, 1906.

(2) Cf. Charles Diehl, *Manuel d'art byzantin*, p. 232.

(3) Cf. Kondakof, *Histoire de l'art byzantin considéré principalement dans les miniatures*, Paris, 1886–1891, pp. 30–35.

(4) Cf. Garrucci, III, 24–25; *Ms. Brit. Museum*, Otho, B, VI.

eius nunc quae supersunt fragmenta Londini, apud Britannicum museum, asservantur. Integer vero codex centum sexaginta quinque olim constabat foliis, ducenta et quinquaginta proinde argumenta exhibentibus. Saeculo addicendus est sexto, eiusque cyclus Venetiis, apud S. Marci basilicam, fideliter satis, cum aliquo tamen artificis proprio afflatu, musivis operibus fuit adhibitus. Textus uncialibus est conscriptus litteris. Picturarum una plene fuit saeculo decimo octavo repetita. Haec, vice Dei Patris, Christi figuram exhibet, tres angelos ad paradisi terrestris custodiam apponentis : quam Salvatoris, in Geneseos argumentis, praesentiam actionemque, iam apud quorumdam sarcophagorum anaglypta deprehendi comperimus. Ibi autem Christus circa caput nimbo insignitur crucifero et, perinde ac in tardioribus operibus artis, manu sinistra sceptri speciem alicuius, seu parvam crucem, gerit. (1)

Cosmae Indicopleustae topographia. (2) — Codex iste quamdam Christianam continet topographiam et, simul cum geographicis regionum, insularum, montium, quin etiam monumentorum, animalium plantarumque imaginibus, quasdam biblicas praebet historias personasque, arte quidem Orientali depictas, sed Romanis adhuc satis constantes elementis, et quandoque etiam stylum plane redolentes Romanum. Eius archetypum, quod sexto ab omnibus adscribitur saeculo, amplius non habetur; tres tamen eius tenentur imitationes, alia apud Sinaï, alia Florentiae in Laurentiana bibliotheca, alia, ceteris quidem vetustior (saec. vii), apud bibliothecam Vaticanam.

Argumenta, quae antiquum respiciunt Testamentum, ea sunt: Abraham sacrificium, Moysis vocatio, Moyses tabulas legis accipiens, Elias ad caelum raptus. Visio Isaiae (Tab. 127), Ezechielis visio, Daniel inter leones. Ad novum Testamentum spectant S. Stephani martyrium et S. Pauli conversio. Perso-

(1) *Mémoires de la Société des antiquaires de France*, 1892, VI ser., t. III, p. 168.

(2) Garrucci, III, 142-153; Stornaiolo, *La miniatura della Topografia cristiana di Cosma Indicopleustes*, Milano, 1908 (Tab. 126).

narum autem effigies praecipuos exhibent patriarchas, necnon Virginem Mariam, Zachariam, Elisabeth, Ioannem Baptistam, Petrum et quattuor Evangelistas.

Praeter enumerata, Florentinus codex (saec. x) quattuor alia complectitur argumenta: Primorum nempe parentum lapsum, Manna et coturnicum in deserto pluvias, lapidum e Iordanis alveo ablatorum in Hebraeorum castris erectionem, David pastorem.

Tab. 127. *Visio Isaiae.*
Parva Cosmae Indicopleustae topographiae pictura.

Tabula 127 Isaiae visionem profert, iuxta illum sacrae Scripturae textum: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quae sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alae uni et sex alae alteri. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur ». (1)

Isaias, in hac visione, ait Garrucci, Christum humana sub specie conspexit, ut ex Iohanne infertur: « Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo »; (2) Cosmas

(1) Isaias, VI, 1-7.
(2) Ioan. XII, 41. - C. Garrucci, III, pp. 77-78.

porro revera ibi Christum ipsum repraesentat, necnon siglis additis: IC XC, id est *Iesus Christus*.

Sed aliud extremo loco argumentum est, quod praeteriri nequit, nempe universalis iudicii, seu potius Christi bonos ad regnum invitantis caeleste inductio. Christus in excelso sedet throno, manuque dextera loquentis peragit gestum, quasi dicat: « Venite, benedicti Patris mei, etc. »; quod his verbis decla-

Tab. 128. (Ap. Bibl. Vaticanam).

ratur: ΔΕΥΤΕ, ΟΙ ΕΥΛΟΓΕΜΕΝΟΙ ΤΟΥ ΠΡC ΜΟΥ, ΚΑΙ ΤΑ ΕΞΕΙC (sic). Infra Christi solium tres sunt ordines figurarum, angelorum scilicet: ΑΓΓΕΛΟΙ ΕΠΟΥΡΑΝΙΟΙ, vivorum: ΑΝΟΙ ΕΠΙΓΙΟΙ, et mortuorum e sepulcris egressorum, ΝΕΚΡΟΙ ΑΝΙCΤΑΜΕΝΟΙ ΚΑΤΑΚΘΟΝΙΟΙ.

Hanc vero, quoad plura haud plenam prorsus, (1) iudicii ultimi ostensionem posteriorum picturarum, hoc idem adumbrantium, archetypum evasisse, animadversa saltem figurarum dis-

(1) Desunt enim, quae in posterioribus imaginibus rite ostenduntur, apostolorum Christo adsistentium inductio, caeli a terra clara distinctio, maledictorum a bonis separatio.

Tab. 129. Ligneum anaglyptum
forium ecclesiae S. Sabinae in monte Aventino.

positione, libenter dicerem, nisi alias argumenti talis imagines, eidem, scilicet saeculo sexto, tribuendas aetati, Romae exstitisse compertum esset.[1] Romae quoque harumce tardius (saec. IX), sed praestantissimum, compositionum exemplar, quod minutae de qua est sermo, picturae conferri expedit, in subterranea S. Clementis basilica depictum cerni aliunde haud est oblivi-scendum.[2] Nec valde ab hac potuit differre pictura aliqua,

(1) BEDA, *Vitae sanctorum abbatum*, *P. L.* LXXIV, 718. – Cf. *Notiones*, etc., vol. II, pars secunda, pp. 254–255. Nec etiam personarum in diversis ac superpositis gradibus distributio omnino nova est (Vide tab. 129).

(2) Iudicium universale, ut vidimus, primum Romae in sculptilibus, necnon, saeculo exeunte quarto, in Fundanae picturis basilicae, adumbratum est, modo tamen satis allegorico et secundum nuda ipsius Evangelii verba (Cf. sup. pp. 178 sq.); quem modum saeculo adhuc sexto Ravennates artifices imitabantur. Interdum vero magis ac magis obvia completaque, apud fidelium proindeque artificum mentes, istius iudicii fieri debuit cogitatio, quippe quae, tunc temporis, ab Ecclesiae pastoribus Patribusve frequentius commemoraretur et fusius explicaretur: « La grande insistenza, ait Wilpert, con la quale S. Gregorio Magno predicava la prossimità della fine del mondo, ce ne fa supporre l'esistenza (operum nempe tale iudicium adumbrantium) anche nel secolo VI. Così ci avviciniamo ai tempi della transizione dell'arte primitiva, e direi quasi *soggettiva*, delle catacombe, destinata ad abbellire per solito singole tombe, a quella piuttosto *oggettiva* delle basiliche, dove ordinariamente non si tratta di singoli individui, bensì della comunità in genere » (*Le pitture della basilica prim. di S. Clemente*, Roma 1906, pp. 14 et 15). Sic ad amplificatam absolutamque, id est cum cunctis eius adiunctis, ultimi iudicii repraesentationem ventum est, ut in Romana S. Clementis basilicae deprehenditur pictura.

Huius vero, quasi adultae, compositionis elementa varia unde sint repetenda, haud difficulter determinari potest. Scilicet Christus, sede regia sedens ac apostolorum sellis circumdatus, apud funeraria primum monumenta cernitur; immo iam saeculo tertio, Romae, in coemeterio SS. Petri et Marcellini, licet imperfecto adsistentium numero, depictus est (Cf. vol. II, pars secunda, tabb. 127, 130. – Vide etiam supra, tab. 39). Item beatorum ad gloriam admissio ac reproborum in infernum reiectio, utrisque adstricte seiunctis, evidenter tabula 75 sunt expressae; quam quidem effigiem Ravennates artifices in S. Apollinaris Novi musivis elaborandis imitati sunt (tab. 76). Ceterum illa electorum a damnatis separatio vel in catacumbarum picturis iam apparet: huiuscemodi apud S. Cyriacae coe-

quam S. Ioannes Damascenus, pugnaciter adversus imperatorem Constantinum Copronymum et iconoclastas agens, anno circiter septingentesimo quinquagesimo sexto descripsit. En eius verba:

« ... Rogo, ubi, repraesentante imagine secundum Christi Dei nostri adventum, inspexeris quomodo veniat in maiestate. angelos item innumera multitudine cum timore ac tremore eius assistentes throno, igneum flumen, quod de throno egrediens peccatores devorat; rursus vero, ubi ad eius dexteram

meterium noscitur exemplum, ubi Christus prudentes virgines, sibi e parte dextera obvenientes, recipit, fatuas autem e parte sinistra repellit (Vol. II, pars secunda, tab. 157).

Iam vero, ex hac elementorum compositionis multiplicatione factum est, ut deinceps apud tale argumentum, quoad altitudinem, caelum secerneretur a terra et, in latitudine, paradisi ac inferni situs ambo distinguerentur. Huius quidem rei absolutissimum specimen S. Clementis aedium exhibet pictura, in qua singillatim apostolorum solia, angelorum tubis canentium turmae, disquisitionis a summo iudice institutae symbola, agmen beatorum ad supernam patriam, urbis sub specie exhibitam, vocatorum, necnon damnatorum a daemonibus cruciandorum turba, significantur et iuxta supra memoratum ordinem rite disponuntur. Symbola autem disquisitionis supremae statera, modium, amphora et arundo. Duobus porro horum prioribus appositae adsunt inscriptiones:

AVGET	MINVIT
STATERA IVSTVS	STATERA INIVSTVS
MODIVM IVSTVM	MODIVM INIVSTVM

quae sacrae Scripturae aliqua verba in mentem revocant. Modium tamen, amphora arundoque in serioribus repraesentationibus amplius non inveniuntur.

Speciali etiam ac inaudito aliunde quodam modo, paullo post, idem aut alius artifex paradisum ab inferno separavit, inter scilicet ponendo, praeter crucem, altaris alicuius effigiem, cui adiunxit imaginem virginis Mariae, ut reginae, Abrahamque sacrificium, utpote, tum cruentae, tum mysticae, Christi immolationis figuram. Unde Wilpert: « È un concetto sublime questo di mettere, in un quadro del giudizio finale, in tanta evidenza il sacrificio della Messa, da separare il cielo dall' inferno per mezzo dell'altare materiale e del simbolo più solenne della passione » (loc. cit. p. 15). Haec porro, quae in posterioribus picturis non conspiciuntur, adiuncta. Romanae sunt arti tribuenda, ac probe demonstrant hac in re Romam Orienti, non autem, ut aliqui asserunt, Orientem Romae propriam compositionem transmisisse.

iustorum gaudium ac laetitiam videris, utque exultant in conspectu Sponsi, quis, quaeso, sic animo et corde durus et obstinatus exsistis, ut tremendae illius horae memoria non compungaris, nec, apud te reputans, actionum tuarum evolvas libros, ac gemebundus non lacrimis oppleas oculos? Ecce enim loquitur expressa haec in imagine figura, cum egregia piorum gesta, tum impiorum facinora. Vides accuratam repraesentationem? Nonne illam horam aspicis, dum stas, et haec contueris, ac si nimirum ad Christi diem et iudicium, in quo abs te exigenda est ratio, actutum sistaris? » (1)

Chronicon Alexandrinum. — Praecedentis manuscripti haud videtur absimile, quoad indolem, quoddam saeculi quinti incipientis papyraceum documentum, nuper a Bauer et Strzygowski editum,(2) et quod Chronicon Alexandrinum vocant. Octo refert tabulas in quibus haec exhibentur: 1. Mensium symbola, 2. Insularum, ut personarum, inductiones, et Asiae Minoris provinciarum allegoricae adumbrationes, 3. Abdias, Ionas et Nahum prophetae, 4. Latini reges in globum adunati ac reges Macedonici eodem modo dispositi, 5. Reges Lydiae ac Honorius, infans nudusque in throno sedens: prope eum vero corpus Maximi ac subter episcopus Theophilus ac Timothei pollinctum cadaver, 6. Imperator Theodosius cum eius filio Honorio, necnon, ad dexteram, Eugenius et Valentinianus, ac subter Theophilus, 7. Anna prophetissa aliaque persona, Zacharias filium suum angelo praesentans, Samuel sedens inter fratres David; item Anna prophetissa, Maria cum Filio suo, Elisabeth, 8. (Hoc argumentum non satis patet). — Ad completam absolutamque horum argumentorum interpretationem pauca scripsit Wilpert,(3) maxime circa vestimentorum formam, de qua infra, ubi sacra indumenta describentur, redibit sermo.

(1) S. Ioan. Damasc. *Adversus Const. Cabalinum*, 7, *P. G.* XCV, pp. 323-326.

(2) Cf. Ad. Bauer et I. Strzygowski, *Eine alexandrinische Weltchronik*, ap. *Denkschriften der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften; philosophisch-historische Klasse*, t. LI, Wien, 1906, pp. 119-204, tabb. I-VIII.

(3) Wilpert ap. *Römische Quartalschrift*, 1910, p. 1-14.

ART. III. — **Evangeliaria.**

CODEX PURPUREUS ROSSANENSIS. — Inter evangeliaria, codex ille non solum ob antiquitatem, sed et ob pulchritudinem primum tenet locum. Paucis foliis membranaceis constat, duodecim tabulas, praeter libri frontem, prae se ferentibus, purpureo colore inductis; Marci autem evangelii finem, et Lucae Ioannisque integra Evangelia complectitur. A plerisque saeculo sexto exeunti tribuitur, iuxta Strzigowski et Muñoz in Asia Minore, iuxta Haseloff in Aegypto aut in Syria exaratus; cui quidem posteriori sententiae adstipulari videtur Ajnalof, qui nonnulla Syriacae efficientiae indicia in eo agnovit, eiusque cum Syriaco Rabulae evangeliario congruentiam demonstravit. Attamen ab operibus artis Graecae Romanaeque alienus omnino non est, et, quoad stylum, in pluribus adiunctis, cum Vindobonae Genesis stylo convenit. Argumenta vero expressa haec sunt: 1. Lazari resurrectio – 2. Iesus Ierusalem ingrediens – 3. Mercatores in templo – 4. Virginum parabola – 5. Coena Domini ac pedum lotio – 6. Sub panis specie apostolorum communio – 7. Eisdem calicis largitio – 8. Gethsemani hortus – 9. Caeci nati sanatio – 10. Samaritani parabola – 11. Pilati tribunal ac Iudae interitus – 12. Utrum Iesus an Barabbas dimittatur, optionem Iudaeis dans Pilatus. Insuper in libri operculo adest scribentis Evangelistae imago Marci, cui quaedam allegorica figura quae sint scribenda suggerit; necnon conspiciuntur quattuor evangelistarum effigies, numismatibus inclusae.

Musivis cyclis, ut videtur, picturae illae sunt afflatae; nam et duplex apostolorum communio, in qua Christi utrinque imago repetita est, et sapientium stultarumque virginum adumbratio ita sunt repraesentatae, ut prorsus apsidi alicui decorandae appareant destinatae. Picturae autem, quae Pilatum pro tribunali sedentem praebent, sic effictae sunt, ut arcu possint optime circumscribi. Nec tantummodo purpureus color, at etiam figurarum successio imitationem musivorum innuit, ac praesertim

cum evangelica Ravennatensis S. Apollinaris Novi basilicae serie magnam habet congruentiam.

Samaritani parabola et apostolurnm communio, quae in eo codice primum inveniuntur, multarum posteriorum prototypa picturarum dici possunt. Lazari autem resurrectio novi quid exhibet, quo quasi archetypum quoque evadat: nempe Lazarus non ex aedicula, sed ex antro egreditur; quod proprium Orientalis est scholae; licet ante saeculum nonum non desint in Oriente Lazari ex aedicula exeuntis effigies. Ceterae postremo pleraeque imagines ita plene apteque exstant depictae ut, toto medii aevi tempore, artifices in eorum argumentorum exhibitione nihil his addendum existimaverint.

Incassum vero quaereretur apud has tabulas sensus distantiae, licet tamen figurae haud in una eademque linea stent. Praeterea ornamenta sunt omissa, et locorum adiuncta ea solummodo obiiciuntur quae omnino sunt necessaria. Personarum insuper imagines ad minimum velut numerum sunt reductae: ne una quidem supervacuo adest. Christus aliunde virilis effingitur aetatis, Nazaraeorum more barbatus, vultu amabilis atque nimbo crucifero insignitus; pallium auratum super caerulea tunica gerit.

Notemus denique huius codicis compositiones non ex uno aut altero tantum Evangelio, sed e quattuor simul, quae hic referuntur, Evangeliis adiuncta sua promiscue sumpsisse. (1)

Codex purpureus Sinopensis. — Hic codex, nunc apud Parisiensem bibliothecam reconditus, auratis et uncialibus scriptus olim, ex Omont sententia, (2) centum quadraginta quinque foliis constabat, in tredecim quaterniones divisis. Matthaei so-

(1) A. Haseloff, *Codex purpureo Rossanensis, Die Miniaturen der griechischen Evangelienhandschrift in Rossano*, Berlin, 1898. — Absolutissimam huius codicis illustrationem nuper protulit A. Muñoz, qui tamen in eo nimiam forsan cum Vindobonensi Genesi et purpureo codice Sinopensi congruentiam invenit (A. Muñoz, *Il codice purpureo di Rossano e il frammento Sinopense*, Roma, Danesi, 1907).

(2) Ap. *Notices et extraits des manuscrits de la Bibl. Nation.* XXXVI, Paris, 1901, p. 599 sq.

lummodo continebat evangelium, cuius adhuc capitula, VII, XI, XIII et XIV servat. Picturae quinque illae, quae supersunt, paginarum marginem occupant inferiorem, veluti insertae textui, ad quem unice, illustrationum instar, referuntur. Hae alioquin, summatim ac circumscripte satis inductae, dum haud parvam cum Rossanensis codicis imaginibus congruentiam habent, istis tamen valde deteriores deprehenduntur.

Argumenta vero haec sunt: 1. Convivium Herodis ac Ioannis Baptistae supplicium – 2. Prior panum multiplicatio – 3. Altera panum multiplicatio – 4. Duorum caecorum sanatio – 5. Fici sterilis exsecratio.

Ad latera insuper singularum picturarum duo sunt prophetae, manibus ferentes rotulum, taliter explicatum, ut ab inguine usque ad pedes eo sint cooperti: unicuique nomen et versiculus vaticinium indicans.

Secundum vel tertium supra dictorum argumentorum haud solum panum multiplicationem, verum etiam turbarum refectionem, eo modo exhibet, quo in anaglyptis, necnon in Alexandrinis catacumbis, talia comperimus efficta: immo, perinde ac, apud ista monumenta, in locum Philippi apostoli apostolus Petrus suffectus est: scilicet, apud Sinopensem codicem, vir ille qui panes ac pisces Christo multiplicandos offert, Petri effigiem evidentissime prodit.

Quintum vero argumentum, ut recte Muñoz animadvertit, nullibi ante saeculum duodecimum reperitur expressum, et, post hanc aetatem, in Oriente habetur solummodo. (1)

Evangeliarium Rabulae. (2) — A quodam Syro monacho, Rabula nomine, anno quingentesimo octogesimo sexto, exa-

(1) Muñoz, ap. *N. Bull. di arch. crist.* 1906, p. 215 sq.; cf. *Monuments Piot.* VII (1900), pp. 175–185; Omont, *Fac-similés des plus anciens manuscrits grecs de la Bibliothèque Nationale*, Paris, 1902.

(2) In Laurentiana bibliotheca, apud Florentiam, ut iam dictum est, conservatum. — Biscioni, *Bibl. Medicea Laurentiana, Catalog.* t. I, *ad calc.*; Garrucci, III, 128–140; cf. Millet, *L'art byzantin*, ap. A. Michel, *Histoire de l'art*, Paris, 1905, t. I; A. Venturi, *Storia dell' arte*, t. I, p. 388 sq.

ratum est. Praeter Evangelii textum, quattuordecim folia continet depicta, quae ordine inverso, ab ultimo incipiendo, id est scripturae Syrorum more, argumentorum plurimorum exhibent seriem. Dubium haud videtur has picturas ex alio antiquiore codice, fortasse Graeco, sed Orientalem iuxta stylum decorato, provenisse. Quomodocumque sit, duplex ibi est picturarum genus, alterum architectonicis praecipue consistens delineationibus, alterum complexas compositiones, ut Christi crucifixionem (Tab. 124), resurrectionem, ascensionemque (Tab. 121), pentecosten et Mathiae electionem proferens. Harum duae (prima et tertia), musivorum ritu, fascia quadam, geometricis conflata figuris, circumscriptae sunt; reliquae arcubus quasi tectae.

Ad architectonicas delineationes quod attinet, istae nullam distantiae perspiciendae prospectusve curam patefaciunt; saepe autem saepius maiori quodam formantur arcu, in quo alii duo vel tres, vel etiam quattuor parvi inscripti sunt arcus, totidem sustentati columnis, quae canonis Eusebiani latercula, seu capitulorum Evangelicorum numeros sibi invicem concordantium, in interpositis spatiis comprehendunt. Circumcirca variae figurae, quarum complexus ita est compositus, ut plerumque in arcus fastigio sint aves, ad arcus latera prophetae, iuxta columnas evangelii argumenta, ad imam partem denique animalia, plantae fructusque.

Argumenta et prophetarum imagines ita sunt collata:

— Angelus Zachariae apparens; — Moyses, Aaron;

— Annuntiatio; — Iosue, Samuel;

— Christi ortus et baptisma, necnon Bethleemicorum infantium strages; — David, Salomon;

— Aquae in vinum conversio; — Osee, Ioel;

— Paralytici ac mulieris fluxu sanguinis laborantis sanationes; — Amos, Abdias;

— Mulier, spiritu infirmitatis depulso, liberata; Christi cum Samaritana colloquium; — Ionas, Michaeas;

— Viduae filius a morte revocatus (et altera pictura deleta); — Nahum, Sophonias;

— Christi transfiguratio; — Iob, Isaias;

— Caeci nati sanatio (?) (et altera pictura deleta); — Habacuc, Aggaeus;

— Iairi filia ad vitam revocata (?); — Zaccharias, Ieremias;
— Christus daemonia eiiciens; — Ezechiel, Daniel;
— Petrus peccatorem se confitens coram Christo; — Malachias, Elisaeus;
— Matthaei et Ioannis effigies;
— Marci et Lucae figurae;
— Christus panes ac pisces multiplicans; Christus loquens centurioni;
— Christus stans in monte, ad quem omnigenae infirmi accurrunt;
— Christus Ierusalem ingrediens; apostolorum communio;
— Iudas Christuum osculans; Iudas laqueo suspensus;
— Christus ante tribunal Pilati.

Adsunt insuper Mariae, cum divino Infante sedentis, imago et Iesu inter duos monachos effigies, necnon Eusebii et Ammonii figurae.

Minutae picturae istae plura nobis consideranda ingerunt. Garrucci rite notavit eas singularis esse momenti, quoad Graecam seu Orientalem scholam, cuius plus minus indolem reddunt; noluit tamen hanc quaestionem funditus perscrutari. Inter illos qui in tali studio ulterius progressi sunt, plerique imagines illas nihil non Orientale sapere affirmaverunt. Porro, haud quidem infitiari licet, ibi architectonicam ac floriferam praevalere ornationem, vultuumque lineamenta, praesertim in Christi virginisque figuris, eumdem ac postea, apud Byzantinae artis opera, praeferre adspectum; sed nihilominus multa illic cernuntur adhuc elementa, quae artem Graecam Romanamque, immo et Christianam, qualis in Romae coemeteriis effulget, redolent.

Exemplorum gratia, apud Evangeliarium Rabulae angeli ab angelis istis, qui in antiquioribus Liberianae basilicae exstant musivis, nequaquam differunt; apostoli utique prout in veterioribus quibuslibet Romae monumentis induti cernuntur; necnon eorum figurae, ubi nempe Mathiae adumbratur electio, eodem modo ac in quadam S. S. Petri et Marcellini coemeterii pictura, iudicium animae exhibente,[1] sunt dispositae. Nil etiam Romae usitatius quam musivae, geometricis confecta lineis, zonae, quibus vel Christiana saeculi quarti decorata sunt

(1) Cf. vol. II, pars secunda, tab. CXXVII, p. 131.

arcosolia. Longum prorsus esset referre omnia huiuscemodi indicia, quae, etsi picturarum earum auctor Orientalis esse noscatur, tamen faciunt ut ipsius opus non omnino Orientale dici debeat.

His notatis, aliquid revera huius codicis picturas proprium habere fatendum est, videlicet quod unum vel alterum insit argumentum, cuius divisio seu dispositio, nova prorsus ac inaudita suo tempore, in posterum omnium eiusdem argumenti repraesentationum quasi archetypum evaserit. Sic apud Calvarii montem crucifixionis imago plus minus eodem more deinceps, toto aevo medio, effingetur (Tab. 124); Christique ad caelos ascendentis adumbratio, in duas scilicet partes distributa ac ad symmetriam, ut aiunt, hinc inde ordinata (Tab. 121), vel in hodiernis artis operibus perdurat. (1)

Item Rabulae codicis architectonicae delineationes, ad alios codices, sive Graecos, sive Latinos illustrandos, fuerunt ab artificibus usurpatae, ac praesertim Eusebiani canonis propria quasi factae sunt ornamenta. Inter vetustiores vero talis generis imitationes, duo potissimum evangeliaria par est memorari: unum nempe ex urbe Mardin ablatum, nuncque Parisiis, apud bibliothecam quam vulgo Gallice *Nationale* vocant, reconditum; alterum apud Etschmiadzin (in Armenia) asservatum (2) et, quoad delineationum suarum cum rerum natura congruentiam, etiam Rabulae codice pulchrius. (3) Ceterum communis figurarum geometricarum, animalium, plantarum, florumque profusio aliud iam praenuntiat miniatularum picturarum genus, in quo omnia haec, necnon ipsa biblica argumenta, ad initiales capitulorum litteras adhibebuntur decorandas; sed ista instituti nostri praetergrediuntur limites.

(1) Alioquin, iam in metallicis eulogiarum ampullis, quae Palaestinensem certe habuerunt originem, ea compositio, paucis mutatis, talis apparet.

(2) F. Strzygowski, *Das Etschmiadzin Evangeliar*, ap. *Byzantinische Denkmäler*, Wien, 1891, fasc. 1, p. 57.

(3) Immo non desunt, qui illud Evangeliario Rabulae antiquius, saltem quoad delineationum specimina, dicant.

Tandem animadvertamus prophetas ideo prope aut supra Evangelicas adiectos esse historias, quia aliquid de his reputabantur praedixisse; ac revera eorum vaticinia ibi aliquando sunt inscripta, ut amborum Testamentorum evidentius significetur concordia. Sic in purpureo Sinopensi codice, apud Parisiensem bibliothecam asservato, qui Matthaei evangelium continet,[1] iuxta multiplicationis panum adumbrationem David et Moysis exhibentur cum subsequentibus versiculis:

David: — « Qui dat escam omni carni ».[2]

Moyses: — « Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum ».[3]

Iuxta autem caecorum duorum sanatorum imaginem adsunt David et Isaias, cum his verbis:

David: — « Posuisti super me manum tuam ».[4]

Isaias: — « Tunc aperientur oculi caecorum ».[5]

Et ita quoad cetera.

Codex Cambridgensis.[6] — Is codex ultimis saeculi sexti annis tribuendus ac Romae elaboratus esse videtur. En quid primus eius descriptor ait: « De hoc codice notandum est, eum ab aliis antiquissimis codicibus, quos in Anglia scriptos esse constat, tum quoad membranarum faciem, tum quoad atramenti colorem, tum denique quoad litterarum ductum, maxime differre ».[7] Esset scilicet unus e codicibus quos Gregorius Magnus Augustino monacho misit. Duae in ipso paginae depictae sunt, altera Lucae proferens imaginem cum duodecim evangelicis factis, altera item duodecim alias evangelii praebens historias. Haec autem omnia quibusdam, ex evangelio aliquatenus excerptis, munita sunt verbis; unde, ad ambas argumentorum indicandas series, sufficit adposita illa transcribere verba:

(1) Cf. *Monuments Piot*, VII, 1900, pp. 175–185.
(2) *Ps.* CXXXV, 25 : Ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί.
(3) *Exodus*, XVI, 15 : Οὗτος ὁ ἄρτος ὃν ἔδωκε κύριος ὑμῖν φαγεῖν.
(4) *Ps.* CXXXVIII, 5 : ἔθηκας ἐπ' ἐμὲ τὴν χεῖρά σου.
(5) Isaias, XXXV, 5 : Τότε ἀνοιχθήσονται ὀφθαλμοὶ τυφλῶν.
(6) Garrucci, III, pp. 64–69, tab. CXLI.
(7) Ved. ap. Garrucci, loc. cit. p. 64.

Tabula I.

1. Zacharias turbatus est (Luc. I, 12).
2. Fili, quid fecisti nobis sic (Luc. II, 48).
3. Hic sedens in navi, docebat eos (Luc. V, 3).
4. Petrus procidit ad genua Iesu (Luc. V, 8).
5. Ecce defunctus efferebatur (Luc. VII, 12).
6. Iesus dicit : Sequere me (Luc. V, 27).
7. Legis peritus surrexit, temptans illum (Luc. X, 25).
8. Extollit vocem quaedam mulier de turba (Luc. XI, 27).
9. Iesus dixit : Vulpes fossas habent (Luc. IX, 58).
10. De ficulnea (Luc. XIII, 6-9).
11. Idropicum (*sic*) curavit Iesus (Luc. XIV, 2-4).
12. Zacheus in arbore (Luc. XIX, 4).

Tabula II (Tab. 130).

1. Hosanna filio David : Benedictus qui venit (Matth. XXI, 9).
2. Iesus Lazarum suscitavit (Ioan. XI, 43).
3. Cena Domini (Luc. XXII, 19-20).
4. Iesus lavit pedes discipulorum (Ioan. XIII, 5).
5. Hic oravit ad Patrem (Luc. XXII, 41-45).
6. Iudas Iesum osculo tradidit (Matth. XXVI, 49).
7. Iniecerunt manus in Iesum (Matth. XXVI, 50).
8. Caiaphas (*sic*) (Luc. XXII, 54 ; Matth. XXVI, 57).
9. Hic alapis ceciderunt eum et pugnis (Luc. XXII, 64).
10. Pilatus lavit manus suas (Matth. XXVII, 24).
11. Duxerunt ut crucifigeretur (Matth. XXVII, 31).
12. (Iesus hic ducitur ad Calvariae locum ; sed nulla adest inscriptio).

Alia huius generis opera, inter quae Menologium Basilii II atquae monachi Iacobi homiliae picturarum pulchritudine elucent, sed tardioris sunt temporis quam ut intra operis nostri fines possint comprehendi.

Art. IV. — **Psalteria.** (1)

Hoc codicum genus una cum Bibliis rectius recenseri debuisse forsan alicui videbitur, sed eius natura atque usus nobis aliter suggesserunt, praesertim quia, praeter psalmos, etiam *Odas* psalterium continebat, seu preces tam ex antiquo quam e

(1) Tikkanen, *Die Psalter-Illustration in Mittelalter*, Helsingfors, 1895.

novo excerptas Testamento. Non est dubium quin eiusmodi codices vita claustrali primitus florente monachorumque numero, etiam barbarorum incursionum temporibus, augescente in usum fuerint inducti, sed horum antiquissimum exemplum saeculo decimo non est vetustius, licet archetypum certe multo anterius supponat.

Tab. 130. Parvae codicis Cambridgensis picturae.

Iuxta modum picturarum quibus codices condecorantur, auctores psalteria in duas diviserunt classes, alteram *aristocraticam* vocantes, alteram *monasticam* ac *theologicam*. Haec inter se sive propter stylum, sive propter compositiones eorumque dispositionem, distinguuntur; imagines vero prioris generis,

haud secus atque Bibliarum picturae, integras quasdam occupant paginas, paucae tamen plerumque extant, ac circa David personam praecipue versantur. Omnium pulcherrimum specimen Parisiis, apud bibliothecam quam *Nationale* vocant, asservatur (1), et ad decimum saeculum pertinet. Notabiles ibi sunt personarum inductiones, ut, exempli gratia, puellarum sub

Tab. 131. Parva saeculi x Psalter pictura. Transitus maris Rubri.

specie melodiae iuxta David citharam pulsantis, et resonantiae a prophetae imagine parum distantis; montis Bethleem tamquam iuvenis seminudi ac sub colle sedentis; maris Rubri velut mulieris remum super humero sinistro ferentis etc., omnes denique inductiones nominibus suis sunt praeditae.

(1) Bibliothèque Nationale, Gr. 139. – Cf. Omont, *Fac-similés des miniatures des plus anciens manuscrits grecs de la Bibliothèque nationale du VII au XI siècle*, Paris, 1902.

Huic codici valde affinis est quoddam Vaticanum saeculo quoque decimo exaratum manuscriptum,[1] quod ceteroquin alicuius Bibliae excerptum videtur, necnon famosum Psalterium Vaticani ad saeculum pertinens undecimum;[2] omnes vero huius generis codices ita splendide sunt exornati, ut principum iussu aut munerum principibus offerendorum instar eleborati profecto reputandi sunt. Alia quoque psalteria apud praecipuas bibliothecas reperiuntur, quorum notabiliora sunt *Ambrosianus* codex (saec. x) apud Mediolanensem huius nominis bibliothecam, codex qui *Pantocrator* dicitur (saec. exeuntis xi), praeterea *Psalterium Barberinianum* (an. 1177), valde Ambrosiano affine, ac aliud Psalterium apud Vatopedum asservatum (saec. exeuntis xi), cuius illustratio completa absolutaque dici potest, sed quod est ceteris valde quoad artem deterius. De his codicum picturis haec maxima est laus, quod antiqua sive Romana ars, sive Graeca, e cineribus apud eas revocatur, temporum tamen morumque novorum adiunctis consignata, ita ut aliquantulam picturae illae cum pulchrioribus eiusdem temporis picturis profanorum codicum congruentiam exhibeant.[3]

Psalteria autem monastica seu theologica picturas quidem textum illustrantes praebent, ea vero non integras paginas sed margines paginarum occupant, unde sunt imagines tenuiores ac minus complexae magisque igitur vulgo aptatae (Tab. 132). Hic psalteria decorandi modus, si nonnullis adstipulari veli-

(1) *Le miniature della Bibbia* (*Codice Reginense greco 1*) *e del Salterio* (*Codice Palatino greco 381*), ap. *Collezione paleografica Vaticana*, fasc. 1, Milano, 1906.

(2) Ibidem.

(3) Saeculo decimo ac deinceps, antiqua profanorum auctorum illustrata manuscripta artifices imitati sunt, inter quae notabilia sunt Oppiani Cynegetica, Venetiis, apud Marcianam bibliothecam; Apollonii Citici tractatus de luxationibus medendis, Florentiae, apud bibliothecam Laurentianam (H. Schöne, *Apollonius Citicus*, Leipzig, 1896); Nicandri Theriaca, seu tractatus de venenosis reptilium vulneribus medendis, Parisiis, apud bibliothecam *Nationale* (Omont, *Fac-similes des miniatures des plus anciens manuscrits grecs de la Bibliothèque Nationale*, Paris, 1902).

mus, sic ortus est: iconoclastarum asseclae, cum ab imaginibus abhorrerent sacris, in exornandis sive ecclesiis, sive ecclesiasticis libris, allegorica potissimum, etiam e mythicis fabulis deprompta, argumenta usurpaverunt et profusissime abhibuerunt; hic, vel post profligatam haeresim, perduravit usus et praesertim in illustrandis codicibus, qui proceribus erant destinati, praevaluit. Talibus vero picturis, quae *aristocraticae* dictae sunt, a monachis acriter repugnatum est et simpliciores magisque religiosae cogitationi convenientes oppositae fuerunt effigies.

Tab. 132. Parva Barberiniani Psalterii pictura.

Etiam Psalteria monastica prototypum supponunt vetustissimum, immo utriusque generis picturas ad unicum reduci posse archetypum affirmant Strzygowski (1) aliique auctores, sed hoc haud facile demonstrari potest. (2) Inter posterioris generis psalteria illud memoria dignum est, quod Mosquae (Moscou), apud monasterium S. Nicolai, asservatur, et a quodam Chloudof nomen habet. Ultra ducentas exhibet tabulas, cito, sed scite ac vivaciter elaboratas, populique captui accommodatas. Nec solum mysteria quibus plebs Christiana erat imbuenda Psalterium continebat, sed etiam concertatoria quaedam contra iconoclastarum deliria, necnon morales exhortationes conti-

(1) Strzygowski, *Die Miniaturen des serbischen Psalters*, Viennae, 1906.

(2) Cf. Diehl, *L'illustration du psautier dans l'art byzantin*, ap. *Journal des Savants*, 1907, p. 298.

nebat.[1] Profecto nullus hoc imaginibus docendi modo esse poterat ritus efficacior.

(1) En quid de hoc codice C. Diehl dicit: « La composition est nette, élégante, remarquable par l'animation et l'heureuse disposition de groupes; les mouvements des figures, un peu rudes, ont du naturel et de la vie. Peu d'emprunts sont faits à l'art antique; il y a, au contraire, un souci d'observation, une recherche de l'expression, un realisme qui n'est point exempt de force comique... Un grand souffle populaire traverse toute l'œuvre, avec un fraîcheur d'imagination, une liberté et une verve admirables: c'est une création toute familière, absolument exempte de la solennité byzantine, et par tout cela puissamment originale.

« Cette illustration est composée d'éléments assez divers. Il y a une partie historique, et une autre que l'on pourrait appeler lyrique et édifiante. L'une comprend les scènes de l'Ancien et du Nouveau Testament, qui tiennent un assez large place; la seconde comprend les miniatures d'un caractère symbolique et moral, qui sont extrêmement nombreuses, et où il est facile de reconnaître l'influence des principes monastiques. Ainsi toute une série de compositions ont pour objet la glorification de l'aumône et l'encouragement à la pitié; l'imagination de l'artiste prête à ce thème les formes les plus variées, parmi lesquelles il faut signaler surtout la personnification de la Charité couronnée de branchages et distribuant de l'argent. Ailleurs ce sont des exemples édifiants tirés de la vie journalière des moines, des illustrations symboliques, comme la vierge et la licorne, le rocher de Moïse, la vision de Daniel, voyant en songe le médaillon de la Madone tenant l'Enfant divin, des paraboles enfin et des personnifications. Une inspiration théologique et mystique emplit et domine toute l'œuvre. La Vierge y tient une place qui montre le progrès croissant du culte de Marie; le médaillon du Christ y apparaît sans cesse, au-dessus de Moïse comme au-dessus de David; les épisodes de la Passion du Sauveur enfin sont traités avec un particulière prédilection. Mais une série de compositions est surtout intéressante et caractéristique de l'époque où fut conçue cette illustration: ce sont les miniatures polémiques.

« Pour représenter « la réunion des méchants », l'artiste a figuré le synode iconoclaste de 815. L'empereur, entouré de gardes, est assis sur un trône; auprès de lui siège le patriarche; et devant eux, deux hérétiques s'apprêtent à effacer ou à détruire l'image du Christ. Les deux mêmes personnages reparaissent au bas de la miniature représentant la Crucifixion. Les défenseurs des images, en effet, comparaient volontiers leurs adversaires aux Juifs qui avaient crucifié le Seigneur. Le rapprochement se rencontre, dès le VIII siècle, dans un ouvrage de polémique longtemps attribué à Jean Damascène (*Ad Constantinum Caballinum. P. G.* t. XCV, 334-335), et il est remarquable que, sur la miniature du Psautier Chloudof,

ART. V. — **Opera Patrum.**

E devicta iconoclastarum haeresi aliud quoque codicum depictorum genus exortum est, utraque schola quam supra descripsimus afflatum: de Patrum auctorumque ecclesiasticorum manuscriptis loqui volumus.

Aurea haec secunda artis Byzantinae aetas aureum revera nobis inter cetera peperit monumentum, nempe picturas quamplurimas quibus Gregorii Nazianzeni opera decorata sunt. (1) Ibi enim non solum diversa simul inveniuntur elementa, iuxta quae Psalteria in duas fuerunt classes divisa, sed ultra artifices progressi sunt, nam vel imagines ex mythologicis fabellis desumptae, et ab eximio ecclesiae Graecae doctore in suis homiliis adhibitae, coloribus adumbratae deprehenduntur; hoc praesertim in exemplari apud bibliothecam Ambrosianam (Mediolani) condito mirari est. Plura alia extant Gregorii Nazianzeni manuscripta, quae simul sumpta duplicem supponunt redactionem, alteram theologicam et symbolicam, alteram historicam et litterariam; exemplarium vero omnium pulcherrimum antiquissimumque illud est quod Parisiis, apud bibliothecam *Nationale*, asservatur: fuit pro Basilio I imperatore (880-886) picturis illustratum. Singulae ibi picturae singulis sermonibus vel tractatibus praemissae sunt, aliae ad Ecclesiae historiam, aliae ad ipsius sancti vel aliquarum virorum eiusdem aetatis vitam, aliae ad biblica quaedam respicientes argumenta. In omnibus vero antiquioris Christianae artis laudabilis imitatio est, dispositio autem quarumdam tabularum in serie non interrupta, eas ex aliquo rotulo aut opere musivo provenisse commonstrat

l'artiste ait inscrit précisément le passage de l'anonyme qui se rapporte à cette comparaison ». (DIEHL, *Manuel de l'art byzantin*, p. 354-356). — Cf. KONDAKOFF, *Miniatures d'un psautier grec du IX siècle de la collection Chloudof à Moscou*, Moscou 1878 (opus lingua Mosquensi seu Moscovita redactum).

(1) Cf. KONDAKOFF, *Histoire de l'art byzantin consideré principalement dans les miniatures*. Paris, 1886-1891, II, p. 56 sq.

Ad mythologica quod pertinet, haec non in omnibus exemplaribus eodem modo ac numero apparent; ubique tamen aliquid picturas codicum profanorum redolet.

Idem naturae studium et antiquorum imitatio apud alium inveniuntur codicem, apud librum scilicet inter S. Epiphanii opera extantem, cui nomen est *Physiologus*. Hic profecto monachos non solum ad mysticas et theologicas cogitationes in depingendis codicibus fuisse intentos, sed etiam, optimam artis profanae laudem esse secutos probat. Verumtamen etiam in hoc codice concertatoria indoles statim intuenti apparet; nam et Patrum textus haeresi impugnandae aptiores luculenter illustrantur, et allegoricis compositionibus in haereticos eorumque errores haud raro impetitur.[1]

Octateuchus. — Hoc biblicorum codicum quoddam genus fuit, octo priores veteris Testamenti libros complectens, ac valde populare, cuius tamen exemplaria quae nobis manent saeculo undecimo haud sunt antiquiora. Sex adhuc exstant, nempe duo in bibliotheca Vaticana, unum apud Vatopedum, aliud apud evangelicam Smyrnae scholam, aliud Florentiae in Laurentiana bibliotheca, et aliud, ceteris quidem perfectius ac plenius,[2] apud regiam Coustantinopolis bibliothecam.[3] Omnia ista exemplaria ex unico fonte provenire videntur, magnamque cum rotulo Iosue, cuius gesta exhibent, habent congruentiam; immo ipsas eius picturas ab aliquo transcriptas rotulo fuisse liquido patet; quae item unicum illumque antiquissimum archetypum supponunt. Nec desunt rerum, personarum instar, inductiones, licet rariores, praesertim solis, lunae, diei, noctis, zodiaci signorum, temporum anni, aliorumque; notabilis vero est mortis vel abyssi persona quae viri, nigri ac nudi sub effigie depicta, Pharaonem capillis arripit ac secum

(1) J. Strzygowski, *Der Bilderkreis des griechischen Physiologus*. Leipzig, 1899.

(2) Hic codex 352 tabulas continet. Cf. Ouspenski, *L'Octateuque de la bibliothèque du Sérail à Constantinople* (II R, XII) Sofia, 1907.

(3) Quae nempe apud aedes vulgo *Serail* (italice *Serraglio*) nuncupatas exstant.

inter vortices fluctuum trahit.[1] Picturae istae temporis sui plerumque indicia proferunt, et aliquando aliquid novi, aut certe novo modo quaedam solita adiuncta reddunt; nonnulla nihilominus antiqui styli indicia evidenter servant.

PROPHETAE. — Praeter Octateuchum, etiam Iob ac prophetarum libri speciali modo ac seorsum inlustrati fuerunt picturis, in quibus prophetarum dimidiatae figurae haud deerant, ut patet ex unico huius generis fragmento quod superest. Hoc Florentiae adhuc servatur; aliud vero, cum in Taurinensi bibliotheca esset reconditum, incendio, paucis abhinc annis, absumptum est.

(1) Mors eodem fere modo, ut diximus, apud topographiae Cosmae Indicopleustae miniatulas et in picturis ecclesiae S. Mariae Antiquae, Christi ad limbum descensum repraesentantibus, apparet.



Tab. 133. Musiva arcus triumphalis basilicae Romanae S. Mariae Maioris
(Ex P. Sisto Scaglia, *I mosaici antichi di Santa Maria Maggiore*, Roma, Pustet, tab. 1).

CAPUT V.

Eburnea et lignea sculptilia, vitra aurata, vitreae seu smaltitae picturae, encolpia, supellex instrumentumve domesticum, textilia.

Minime quis miretur, in unico capite tam multiplicem variamque nos pertractare velle materiam. Licet enim uberrima et copiosissima quidem ea sit, ad nostrum tamen institutum magis eius religiosa indoles, quam exacta recensio descriptiove, interest; unde operae nobis praesertim erit coniuncte res considerare, easque cum iam recensitis conferre, similitudinem aut diversitatem significationis notando ac proponendo.

Art. I. — **Parva anaglypta eburnea.**

Eboris usus Romam, subiectis Orientis gentibus, simul ac luxus fastusque invectus est; nec raro, sive ad domesticam supellectilem elaborandam, sive ad aedium parietes exornandos, sive ipsa ad laquearia obtegenda, adhibebatur. Notum est Horatianum illud:

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar. (1)

Quae vero ad praesens argumentum alicuius sint momenti, eburnea opera non habentur quarto vetustiora saeculo, ac, quoad species, ita distribui et nuncupari possunt: diptycha, librorum sacrorum opercula, pyxides ad eucharistiam conservandam plerumque destinatae, relliquiarum capsae aliaeque thecae, necnon cathedrarum seu sellarum ornamenta.

(1) Horat. *Carm.* l. II, 15, vv. 1–2.

Diptycha. — Antiquissimus usus diptychorum fuit, si tali vocabulo quaedam intelligatur parvularum compages tabularum, in quibus obiter inscribebantur notulae, quarum ope aliquorum negotiorum recordatio, opportuno tempore, menti illius, qui scripserat, occurreret. Duabus, instar libri paginarum coniunctis, haec ferme constabant tabellis, (1) ac, prout requirebat dignitas, opulentia, vel voluntas possessoris, plus minusve venustis insignita erant ornamentis.

Apud antiquos autem aliud fuit genus diptychorum, horum scilicet quae ad id exarabantur et circumcirca mittebantur, ut honorificus vel laetus quidam eventus civitatis civibus, vel saltem familiae cuiusdam membris innotesceret; indole ergo non multum a chartaceis differebant foliis; seu formalibus epistulis, quibus saepe inter nos alicuius personae ortus, connubium, obitusve, benevolentiae vel urbanitatis caussa, affinibus eius et amicis nuntiatur. Haec diptycha semper ornatiora ac diversis aliquando elaborata materiis.

Item dicendum de diptychis, quae *diptycha consularia* apud archaelogos vocantur et quibus cuiuslibet magistratus ceteris magistratibus ac propinquis indicebatur promotio. Horum momentum magnum est; nam antiquiorum artis operum, quae amplius non exstant, saepe repetunt imagines, et quoad suam aetatem, interdum consulum effigies necnon imperatorum plus minus fideliter referunt. (2)

Haec vero non ante quartum saeculum in usu fuisse videntur, et, quod adhuc in superstitibus aliquando deprehendere est, haud raro erant argenteis aureisque exterius decorata lamellis, unde illud Symmachi: « Diptychon auro circumdatum ». (3) Imagines, quae iis inerant, magistratuum figuras exhibebant, aut erectas, cum omnibus dignitatis suae insignibus,

(1) Interdum non tamen deerant diptycha pluribus tabulis formata; exemplo adduci possunt ea quae Barberiniana nuncupantur et de quibus mox sermo erit.

(2) Cf. Molinier, *Hist. gén. des arts appliqués à l'industrie*, t. I, p. 2 sq.

(3) Symmachus, *Ep.* LXXXI, ed. Seek, l. II.

aut sedentes, ac sinistra manu tenentes sceptrum, dextera autem mappam, qua tale publice inaugurabatur officium.[1] Scilicet, antequam p r m a vice munus adiret magistratus aliquis, ludi dabantur circenses, quorum ipse initium indicere debebat, mappulam e pulvinari in circi aream proiiciendo; quapropter eiusmodi diptycha aliquando vel ludorum circensium prae se ferunt adumbrationem.[2] Denique aliquoties sola et nuda, e contra, continebant nomina, ut fit, exempli gratia, in Nicomachi Flavii ac Gallieni diptychis. Maximi autem pretii diptycha ea reputanda sunt, quae liturgica appellantur, sive ad ecclesiasticum usum fuerint ab initio destinata, sive, cum profana essent, ad sacram liturgiam adaptata.

Tab. 134. Diptychon Augustae cum Honorii imperatoris effigie.

Ab episcopis proinde mos inductus videtur, ut defuncto rum nomina, precibus commendanda, intra missae sollemnia legerentur. Cum vero ad hunc finem diptycha conflarentur, in his praesertim insculpebantur fidei mysteria, biblicis

(1) Ch. E. Molinier, op. cit. p. 18, n. 5.

(2) Huiuscemodi exemplum Basilii diptycha (an. 541) praebent, Florentiae (Galleria degli Uffizii) asservata.

seu evangelicis argumentis adumbrata, utpote Christi resurrectio eiusve ad caelum ascensio eaque omnia quae spem immortalitatis, iuxta antiquam funerariam artem, significabant. Quod si profana ad sacrum aptarentur usum, tunc imaginibus manentibus externis, interius tabularum pars superior figuris ornabatur depictis, cuius rei praeclarum nobis exhibent Boetii diptycha (an. 487) apud museum Brixiense asservata. Exterius, nempe in una tabella, stat Boetius, consulum ritu togatus, ae sceptrum sinistra manu mappulamque dextra tenens. Ad eius autem pedes conspiciuntur nummorum sacculi, ob consularium memoriam largitionum, necnon duo folia, quae forsan palmas, quibus ludorum victores honorabantur, declarant. In altera tabula idem consul ostenditur sedens, ac dum mappam mox proiiciendam manu attollit. Denique super eius capite, ac veluti in quadam explicata zona, haec legitur inscriptio:

NAR *Marcus* (?) MANL*ius* BOETHIVS *Vir Clarissimus* ET INL*ustris* EX P*raefecto P*raetorio* P*raefectus* V*rbi* SEC*undum* CONS*ul* ORD*inarius* ET PATRIC*ius*. (1)

Interius, seu in parte tabellarum aversa, resurrectio Lazari ac SS. Doctorum Hieronymi, Augustini et Gregorii dimidiatae effigies effictae sunt (2), sub quibus etiam aliqua mortuorum inscripta olim erat commemoratio, his, quae supersunt, verbis incipiens: QUOS DEO OFFERIMUS | . In tabula sinistra vocabula remanent AVGVSTINI, GERONIMI, GREGORII, quibus alia nomina addebantur, postea abrasa, quando scilicet haec diptycha, primitus funeraria, in honorem vivorum conversa sunt. Sic, paullo inferius, aliqua adhuc deprehenduntur, quae Garrucci scite supplevit: (3)

\+ MEMENTO D̄NĒ OMNIVM
ORTHODOXORVM PONTIFI
CVM D N IMP·VEL OMNIVM

(1) Cf. WILPERT, *Un capitolo di storia del vestiario*, p. 39, fig. 9.

(2) Picturae istae minutae nuperrime ab egregio A. Muñoz illustratae sunt, apud *N. Bullettino arch. crist.* 1907, pp. 1–14, figg. 1 et 2, tav. 1.

(3) GARRUCCCI, III, pp. 92–95.

XPIANORVM PRECIPVE
. . . . . M · SIT MISSARVM
. . . . . IN COMMENDA
. . . . . VITONI · PB ·
. . . . . .

« Memento, Domine, omnium orthodoxorum pontificum, domini nostri imperatoris, vel omnium Christianorum, praecipue *offerentium*. Sit missarum *solemnitas* in commenda*tionem eorum : memento Domine* Vitonis *presbyteri* . . . ».

Haec catholicorum episcoporum, imperatoris ac populi christiani commendatio quibusdam S. Ioannis Maronis (saec. VI) congruit verbis, iuxta quae, sicut tres fiebant infra missam vivorum commemorationes, sic tres erant commemorationes defunctorum, nempe Mariae Virginis, sanctorum et Ecclesiae fidelium. (1)

Hoc pro Syrorum ecclesiis; nam communior alias divisio fuit, ut et episcopi, et fideles vivi, et fideles defuncti seorsum commemorarentur, seu, perinde ac aiebant Graeci, ut essent δίπτυχα τῶν ἐπισκόπων, δίπτυχα τῶν τε ζώντων καὶ τῶν κεκοιμημένων.

Non autem putetur mirandum hic inter defunctos de Maria Virgine et sanctis peragi commemorationem; nam haec eodem prorsus fiebat sensu, quo sacerdos missae oblationem profitetur se offerre Deo pro sanctis, nempe « ut illis proficiat *ad honorem*, nobis autem ad salutem; et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris » (2); quod revera

(1) Ap. ASSEMAN, *Cod. liturg. Eccl. univ.* lib. IV, pars secunda, p. 367.

(2) *Canon Missae Romanae* circa haec Garrucci egregie scribit : « Fa d'uopo però avvertire, che i dissidenti dalla Chiesa cattolica, come il Suicero e il Neale, mostrano d' ignorare (v. *Vetri*, ed. 2ª, p. 130, not. 2), che nella Chiesa si fa commemorazione dei fedeli defunti in due modi diversi; o sia perchè i commemorati, santi e beati in cielo, preghino per noi, e pei loro meriti, che noi offriamo a Dio, ci ottengano misericordia; o sia perchè i commemorati ottengano da Dio per le preghiere della Chiesa la remissione dei loro peccati e la vita eterna. *Ad mensam Domini* (S. AUGUST. *Tract.* 84 *in Ioan.*) *non sic martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed*

ita fuerit ex antiquissimis liturgicis colligitur documentis. En enim quid Cyrillus Hierosolymitanus habet: « Postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur; et universim pro omnibus qui opis indigent precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus. Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt; primum *patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat...* Deinde et pro defunctis sanctis patribus, et episcopis, et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt [oramus], maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima ».[1] In apostolicis vero Constitutionibus legitur: « Adhuc atque adhuc oremus Deum per Christum eius... Pro Ecclesia

magis ut ipsi orent pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus. Ciò è detto espressamente nella liturgia di S. Giacomo, e colle stesse parole, colle quali esprime questa cattolica dottrina S. Cirillo Gerosolimitano nella Mistagogica quinta (GARRUCCI, III, p. 93) ». Et paullo post: « Date così le necessarie nozioni, mi sarà ora agevole spiegare, come sul dittico boeziano si trovino insieme dipinti due soggetti, che altrimenti sembrerebbero disparati, Lazaro da Cristo risuscitato, e i tre santi dottori della Chiesa, la cui commemorazione insieme con quella dei martiri, i cui nomi, che in parte oggi non leggiamo perchè obliterati da una scrittura posteriore, sono scritti a piè della rappresentanza di Lazzaro. Il nostro dittico è adunque dittico dei morti, e però si vede il morto Lazzaro richiamato a vita novella, perchè è questa, come ha osservato S. Marone, un' arra della resurrezione futura, promessa da Colui che si fe' vittima per noi e risuscitò per noi. Spetta poi a quella classe dei dittici, che dal medesimo S. Marone chiamasi Canone commemorativo della SS. Vergine e dei Santi; ma i Greci generalmente l' appellano dittico dei morti, i quali S. Dionigi Areopagita (id est Pseudodionysius, scriptor saeculi quinti) avverte non esser veramente morti, ma trapassati dalla morte ad una vita divina (*De Eccl. Hierarch.* III, sect. IX): οὐ νεκρωθέντας, ἀλλ' εἰς θειοτάτην ζωὴν ἐκ θανατου μεταφοιτήσαντας ».

(1) S. CYRILLUS HIER. *Catechesis XXIII mystag.* V, § VIII et IX *P. G.* XXIII, 1115.

hac et populo, pro universo episcopatu, omni presbyterio, cuncto Christi diaconio ac ministerio, omni Ecclesiae coetu, oremus, ut Dominus universos conservet atque custodiat. Pro regibus et in sublimi potestate constitutis oremus... Sanctorum martyrum memores simus, ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis. Pro iis qui in fide requieverunt oremus ».[1]

Animadvertamus denique, tum vivos, tum mortuos commemorandi ritum in liturgicis synaxibus esse vetustissimum; nam, ut de inscriptionibus disserendo ostendimus, praeterquam Patrum documenta, coemeteriorum epitaphia, quoad plerasque defunctorum classes, certissima huiusce moris nobis indicia praebent; quoad reges vero ac magistratus, nota sane sunt Tertulliani et Cypriani verba,[2] necnon, et quidem antiquior, oratio Clementis Romani in sua prima ad Corinthios epistola.[3]

Utcumque sit, inter profana diptycha ad usum sacrum conversa, primum tenent locum ea quae Barberiniana appellantur. Quinque eburneis constant tabellis in unicam metallicis laminis tabulam coniunctis; unde fuerunt qui illa alicuius libri aut capsae operculum primitus constituisse putaverint. Cum autem, Merovingiorum aetate, ad usum sacrum sint usurpata, regum illius stirpis nomina, in aversa parte referunt.[4]

Librorum opercula. — Diptychorum quidem tabulae nonnunquam librorum liturgicorum fiebant opercula; attamen eiusmodi opera etiam directe, ad libros servandos exornandosque, elaborabantur; neque ceteroquin diptycha, propter suam formam, tenuem nimis atque oblongam, ad hoc semper apta fuissent.

(1) *Const. apost.* lib. VIII, cap. XIII; *P. G.* I, 1107.

(2) Tertul. *Apol.* XXXIX: « Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, pro potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete pro mora finis ». Cyprianus autem ad proconsulem Paternum aiebat « Hunc Deum verum deprecamur, diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum imperatorum (*Acta proconsularia S. Cypr.* ap. Ruinart, p. 216) ».

(3) I Clem. 59, 61.

(4) Sclumberger, *L'ivoire Barberini*, ap. *Mon. Piot*, 1900, VII, p. 79 sq.

Opercula librorum, si isti largiores, quinque consistebant partibus, seu quinque tabellis, quibus frons libri formabatur; et tunc singulae proprium argumentum habebant. Aliquando autem ipsae tabellae, media excepta, in varias distinguebantur superficies, ut plures possent historiae effingi. Exemplum huiusmodi (saec. VI) apud evangeliarium quoddam Mediolani, in cathedrali basilica, asservatum videre est (Tab. 54, p. 137). Ibi tabellae ad latera applicatae in tres distinguuntur partes, totidem argumenta praebentes.

Historiarum itaque hoc operculum ditissimum, sed insuper multa peculiaria habet, quibus revera ut insigne habendum est.

In eo Salvatoris nativitas a Magorum adoratione plane distinguitur. Praesaepe enim in una operculi tabula est effictum inter symbola Matthaei ac Lucae, utpote qui humanitatem Christi potius quam divinitatem declaraverint; unde Iesu, nuperrime nato, vel animalium ope indigenti, apprime adsunt (Tab. 104, p. 253). In altera vero tabula, ubi Christus regalia e magorum manibus accipit munera, Marci ac Ioannis, qui divinitatem illius potius quam humanitatem proclamarunt, adsunt emblemata.[1] Necnon his congruentissime inferiorum historiae tabellarum, quoad sensum, connectuntur; nam ad praesepium parvulorum in Bethleem strages refertur (Tabb. 54, 112) ad magorum adorationem aquae in vinum conversio. Illic nempe Christus quasi impotens et debilis, tyranni furore appetitur; hic, velut omnipotens et dominus, rerum mutat naturam.

Symbolis denique facies evangelistarum respondent. Verumtamen, inter illa quae ibi efficta sunt, quattuor certe argumenta apocryphis sunt scriptis afflata (Tab. nn. 54, 1, 3, 4, 6); insuper duo adsunt, quae narratione evangelica minime explicantur, ac prorsus videntur allegorica, cum Christus ibi super stellata, quae certe caelum repraesentat, sphaera sedeat.

Ad effigierum speciem quod spectat, Christus circa caput nimbum habet nondum cruciferum, et sicut in nonnullis aliis eiusmodi anaglyptis, imberbis ac iuvenilis apparet adspectu; quod e funerariorum sculptilium imitatione repetendum est:

(1) Cf. GARRUCCI, VI, tabb. 454, 455, pp. 81, 82.

imitatio ista etiam in ceteris animadvertitur imaginibus. Dum autem passionis adumbrationes omnino hic desunt, innocentium strages, quae perraro in anaglyptis invenitur, satis concinne est ostensa. Item aquae in vinum conversio haud usitatiore adumbratur modo, ac denique ibi prima vice, quod sciam, crux, ipsius Christi aut agni instar, in monte, e quo quattuor flumina scaturiunt, cernitur elevata, dum altera in tabula Agnus divinus, qui monti debuisset potius insidere, solus stat. His omnibus satis patet tale operculum antiquam Romanamque praesertim artem redolere.

Apud nonnulla alia eiusmodi anaglypta, Orientalis e contra, magis quam Occidentalis, dignoscitur afflatus. Exemplo sit quoddam eburneum sculptile hodie Ravennae reconditum (Tab. 135). Pauca ut rite describatur sufficient: praecipue nempe figurae quadam *symmetriae* ratione dispositae sunt, sed plerumque statura nimis longae; oculorum acies rigida et extra locum, quo res agi ostenditur, directa; capilli ita compti, ut galerorum instar capita obtegant; virorum vestimenta ad talos usque producta; angeli palatinorum militum similes; Christus virgam, cui superaddita est crux, veluti sceptrum, sinistra manu gerens. Utrum vero hoc Aegyptiacum, aut Syrum, aut Constantinopolitanum sit, disputant docti. Ad sextum utique, sicut operculum de quo supra, potest pertinere saeculum; argumenta vero efficta et novum et vetus respiciunt Testamentum: sunt videlicet quattuor miracula Christi, dein tres pueri in fornace, cuius ardorem virga crucifera angelus quidam mitigat, ac demum discrimina Ionae, ad quem alter angelus loquitur.

Denique sunt huius generis monumenta, quae, ob styli indolem, Orienti adscribenda reputantur, quamvis e funerariorum Occidentalium anaglyptorum efficientia plura tamen accepisse haud neganda sint. In quodam eburneo sculptili, Mediolani inter collectam a Trivulcianis suppellectilem iacente, vel Etruscae artis imitationem egregius Venturi deprehendit. (1)

(1) VENTURI, *Storia dell' arte italiana*, t. I, p. 505.

Qui de his plura noscere voluerit, speciales adeat auctores.[1]

Pyxides. — Pyxides vasa fuerunt, ad eucharistiam vel aliam sacram rem, custodiendam destinata, cylindratae plerumque, rarius autem rectiangulae formae,[2] atque saepissime minutis anaglyptis adornata.

Ut earum usus et, quoad artem, origo clare innotescant, nil aptius erit quam sculptilium, quibus insignitae cernuntur, tum sensum, tum indolem, attente considerare.

Tab. 135. Eburneum anaglyptum saec. VI.

Ad instar omnium, exemplo sit pyxis Berolinensis, tabula 67 (p. 160) adumbrata.

Quod ad eucharistiam servandam haec confecta fuerit, ex imaginibus, quas insculptas profert, satis patet. Ex una parte

(1) Garrucci, VI, p. 85 sqq.; Strzygowski, *Das Etschmiadzin Evangeliar*, Wien, 1891, pp. 25–53; Bouchot, *Les reliures d'art à la Bibliothèque Vaticane*, Paris, 1888; *Römische Quartalschrift*, Romae, 1898, p. 38 sq.; 1899, p. 109 sq.

(2) Pyxides illae rectiangulae, si insuper in latitudinem oblongae sint, parvulorum sarcophagorum speciem satis referunt.

sacrificium Abraham inducitur, utpote apprime crucis, seu proinde missae sacrificium significans, necnon optime igitur vasis species sacras continentis naturae consentaneum. Ex altera autem parte, Christus exhibetur apostolos alloquens et verisimiliter eos de corpore eius manducando et sanguine bibendo, ut vitam habeant, (1) commonens. (2) Utrumque sculptile ad quartum quintumve saeculum pertinet.

Est vero Occidentali, an Orientali arti pyxis ista adscribenda? Sunt quidem qui Orientalem eam omnino proclament. Animadvertunt enim ibi Abraham sacrificium, quoad aliqua adiuncta, eodem modo ac in quadam evangeliarii Etschmiadzin pictura et in ossei sculptilis fragmento, apud Alexandriam, ut perhibetur, invento, effictum esse: nempe ad imos gradus scalae, cuius summitati ara est imposita, adstant Abraham et Isaac; ille quidem parvus, et nudus, manibus post tergum ligatis. (3) Ergo, aiunt, e fonte Aegyptio, vel saltem Orientali, talis operis artifices tum cogitationes suas, tum eas repraesentandi modum hauserunt.

Sed si ista norma valeret, videlicet si Orienti, sine controversia, tribuendum esset quidquid, vel ex minima parte, Orientalis afflatus prae se ferret indicium, vice versa Occidenti esset, iure pari, addicendum quidquid quantulamcumque Occidentalis ingenii efficientiae, licet factum in Oriente, obnoxium fuisset. Quod quidem a nemine haud absonum reputabitur: quis quippe non videt, verbi gratia, pyxidem, de qua

(1) Ioan. VI, 48-52. — Apud tegumentum argenteum cuiusdam capsae, S. Nazarii nuncupatae ac Mediolani asservatae, coram Christo apostolos docente cernuntur hydriae et corbes, eucharistiae prorsus symbola; unde sermonis illius, quem in hoc, perinde ac in Berolinensis pyxidis sculptili, Salvator proferre videtur, haud obscure declaratur sensus.

(2) Garrucci, VI, p. 440; Digby Wyatt, *Notices of sculpture in ivory*, London, 1856, p. 10; E. Molinier, *Hist. gén. des arts appliquées à l'industrie*, t. I, p. 55 sq.; G. Stuhlfauth, *Die altchristl. Elfenbeinplastik*, p. 92.

(3) Isaac autem talis etiam in Occidentalibus interdum exhibetur anaglyptis. Ceterum evangeliarium Etschmiadzin, necnon Alexandrinum fragmentum pyxide hac multo sunt recentiora.

loquimur, etsi forsan in Aegypto, ut quidam volunt, vel Antiochiae, ut Strzygowski asserit, vel in Syria aut Constantinopoli, ut arbitrantur alii, fuerit exsculpta, tamen Occidentalis artis afflatu potuisse concipi; et hoc eo magis quod revera, si ex Abraham argumento pauca ea quae memoravimus excipias, cetera Romanam indolem plene sapiant.

Aliud insigne huiusce generis ac quarti saeculi monumentum pyxis est illa, apud Carthaginem inventa et iam a nobis in praecedenti libro illustrata,[1] quae Christum panes et pisces, apostolis ministrantibus, multiplicantem ostendit (Tab. 136).

CAPSAE AUT RELLIQUIARUM THECAE EBURNEAE. — Relliquiarum capsae quid sint, non est cur explicetur. Omnium vero pulcherrima, sive propter magnitudinem, sive propter anaglypta, ea extat quam Lipsanothecam Brixiensem (Brescia) vocant; unde pretium operae est, ut hic paucis saltem describatur. Quattuor ipsa habet, praeter operculum, superficies anaglyptis exornatas, quae scilicet ad quattuor latera sunt, omnesque eodem modo in quattuor zonas distinctae. Superiores zonae tredecim prae se ferunt clypeos, id est rotunda spatia facies virorum, graece προτομας, continentia, scilicet Christi et apostolorum: his superadditur Lucas evangelista. Sequentes zonae vario prorsus occupatae sunt modo, prout diversa capsae occupant loca. Sic in anteriori facie, statim sub apostolorum figuris, Ionae historia profertur; deinde tria succedunt argumenta: nempe in medio, Christus inter sex viros sedentes stans magistri instar, ac volumen explicatum tenens;[2] in lateribus, Christus hinc mulierem fluxu sanguinis laborantem sanans, illinc lupum, ne in ovile ingrediatur, repellens, dum pastor mercenarius fugit.[3]

(1) *Notiones*, etc. vol. II, pars secunda, p. 191.

(2) « L' Oderici » ait Garrucci « vi ravvisa (in hac imagine) la disputa tenuta da Gesù in una delle sale intorno al portico del tempio, ove si radunavano i dottori per interpretare la legge. A me pare che sia questa la sinagoga dove Gesù levossi in piedi *surrexit legere* (LUC. IV, 16), ed aperto il volume del profeta Isaia, vi lesse la profezia che li riguardava (ISA. LXI, 1) ».

(3) IOAN. X, 12.



Pyxis eburnea saeculi quarti, Carthagine inventa ac symbolum eucharistiae repraesentans: Christus, manus extendens, elementa multiplicat a duobus apostolis bi porrecta, dum alii apostoli, manibus velatis, panes a Domino acceptos deferunt plebi distribuendos. Anaglyptum velut explicata zona adumbratum est.
(Ex *Bull. di arch. crist.* 1891).

Inferius, Susannae falso accusatae liberatio (in duplici quidem argumento) ac Daniel nudus inter duos leones (Tab. 137).



Tab. 137. Anaglyptum eburneum Lipsanothecae Brixiensis (Fot. Alinari).

In lateri sinistro, praeter προτομας tres, tria argumenta: David videlicet cum gigante singulari certamine decertans, haud nominati prophetae, de quo in tertio libro Regum, (1) tanquam poena contumaciae mors, denique vir quidam manum extendens versus altare, e quo flamma usque ad caelum attolli videtur. Hunc alii dicunt Eliam, qui Baal sacerdotes, hostia caelesti igne combusta, confudit; (2) alii Ieroboam regem, cuius manus, cum prophetam apprehendi iussisset, arida subito facta est (Tab. 138). (3)

(1) « Invenit eum leo in via et occidit; et est cadaver eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, et leo stabat iuxta cadaver » (*III Regum*, XIII, 24).

(2) *III Regum*, XVIII, 38: « Cecidit autem ignis Domini et voravit holocaustum, et ligna . . . ».

(3) *III Regum*, XIII, 4: « Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendens manum suam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se ».

In media zona, ostenditur Christus archisynagogi filiam ad vitam revocans; deinde inferius, aurei vituli adoratio, necnon mensa, cui quinque accumbunt convivae, panibus et unico pisce, ut cibis, appositis.



Tab. 138. Anaglyptum eburneum Lipsanothecae Brixiensis (Fot. Alinari).

In latere dextro, parva sub apostolorum figuris zona Moysen habet; hic in monte, dum manum e caelo protentam adspicit, sandalia solventem, illic, Deo vel angelo sursum apparenti adstantem ac librum apertum, qui ad suos pedes iacet, indicantem, quasi ea diceret verba: « Domine, aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti ».[1] In medio autem, forsitan sunt Machabaei fratres[2] inter flammas

(1) *Exodus*, XXXII, 31-32. — Ita Garrucci argumentum explicat; sunt tamen qui aliter illud interpretentur.

(2) *II Mach.* VII, 1 et sqq.

orantes; quod tamen argumentum nonnulli pro Babyloniensium supplicio puerorum accipiunt (Tab. 139).

In mediana zona, duo Christi adumbrantur miracula, nempe caeci sanatio ac Lazari resurrectio. Inferius, argumenta ad Iacob historiam attinentia, seu Iacob cum Rachel colloquens, Iacob



Tab. 139. Anaglyptum eburneum Lipsdnothecae Brixiensis (Fot. Alinari).

et Esau occursus vel, ut alii putant, Iacob luctans cum angelo, ac denique verisimiliter Iacob in somno scalam conspiciens.

In posteriori parte, sub apostolorum figuris, mulieris orantis effigies, Ionas sub cucurbitae fronde quiescens ac Daniel draconi cibum mortiferum porrigens. Inferius, duorum apostolorum Petri et Andreae vocatio,[1] ac Petrus Ananiam et Saphiram morte plectens. In infima zona, Moyses infans a Pharaonis filia in ripa Nili repertus, Moyses Aegyptium occidens, quinque

(1) Sunt qui ibi Christum transfiguratum videant; sed haec interpretatio minime veri videtur similis; nam nullum in isto sculptili deprehenditur montis indicium, dum e contra coram Christo et apostolis certissime aquae est adumbratio.

prandium virorum, quibus quinque panes et avis in disco praesto sunt, fortasse ad miram Israelitarum in deserto refectionem memorandam.

Tandem operculum, parva zona in duas partes divisum, Christi passionem prodit, omissis tamen iis quae probrosa nimis tunc temporis videbantur. In superiori itaque parte Iesus



Tab. 140. Anaglyptum eburneum Lipsanothecae Brixiensis pars posterior (Phot. Alinari).

cernitur apud hortum, necnon militibus iam eum capturis obvians, dein Petrus coram ancilla se Christi discipulum esse negans ac simul, gallo canente, dolorem gestu exprimens.

In parte inferiori, Iesus a Caipha interrogatur et postea ante tribunal constituitur Pilati, qui, ut solito, dum manus lavat effictus est.

Sunt insuper, prope augulos, octo symbolica signa: piscis scilicet e clavo apud parietem infixo pendens, gallus summae insidens columnae, arbor, statera super ara, candelabrum in quo lucerna ardet, quaedam ostii species, Iudae suspendium, turris.

Quid de tam complexa argumentorum compagine dicendum? Non desunt qui historice solummodo, nullo ordine adhi-

bito, nullaque compositionis unitate indagata, haec omnia excogitata et elaborata esse asserant. Sed hoc haudquaquam admittendum: potuitne enim tam eximius artifex ad unicum schema diversas non ordinare historias? Fateamur potius nos ordinis usurpati rationem non amplius percipere, et, quamvis uniuscuiusque proximam argumenti significationem haud difficulter



Tab. 141. Anaglyptum eburneum Lipsanothecae Brixiensis, operculum (Phot. Alinari).

intelligamus, singularum tamen imaginum inter se coalescentium summam coetumque ne quidem per coniecturam explicare posse.

Utcumque sit, obiter notemus veteris et novi Testamenti facta in his circiter numero esse paria, evangelica vero mediis maioribusque zonis proferri; quoad ipsarum repraesentationum originem speciemque, studiosis, qui praecedentia operis nostri legerint volumina, clarissime deprehendent, eas potissimum ac plerumque ex anaglyptis funerariis Romanis provenire et cum illis arctissime congruere.

Aliqua tamen ibi exstant nova, prorsusque, quod sciam, in sarcophagorum sculptilibus inaudita; inter quae praesertim: Moysis infantis, necnon Aegyptium occidentis ostensio; illa dein sensu satis arcana tabula, apud quam ante aurei vituli simulacrum plebs exsultat, dum, ex altera parte, ad mensam

eucharisticam aut caelestem, ut videtur, significandam, quinque personae de pisce ac panibus sibi appositis mox esuri inducuntur; item Elias aut Ieroboam iuxta succensam aram; prophetae ignoti castigatio; mercenarii [1] et lucernae super candelabro lucentis parabolae; Iudae mors, ac, sub piscis, e clavo pendentis specie, ingeniosum Christi crucifixi symbolum; tandem portentosa Petri potestas, post lapsum eius simulque poenitentiam, Ananiae ac Saphirae patefacta interitu.

Profecto, dici potest nullo in alio forsitan monumento tam sacrarum mysticarumque cogitationum locupletem complexum paucis expressum inveniri.

Capsellae multae ac relliquiarum thecae ex Oriente in Occidentales regiones a viatoribus, qui loca sancta inviserant, fuerint asportatae, plurimaeque adhuc variis in Europae sive publicis sive privatis iacent museis. Plerumque erant ligneae, sed eburneis tabulis aut frustis coopertae; aliquando tamen argenteae vel ex alio pretioso metallo conflatae. [2]

Tabula 142 eburneum sculptile repraesentat, Treviris, apud ecclesiam cathedralem, asservatum et quod etiam Orienti a pluribus auctoribus adscribitur. In eo Strzygowski consecrationem ecclesiae S. Sophiae apud Sycam, id est apud quemdam Constantinopolis vicum, anno quingentesimo quinquagesimo secundo peractam, dignoscere voluit. Ibi nempe pompa solemni imperator obviam divae templi patronae, reginae instar indutae, adspicitur progrediens, dum in curru duo patriarchae, Constantinopolitanus videlicet ac Alexandrinus, capsam relliquiarum in gremio gerentes, devehuntur. Si vero haec genuinam sculptilis significationem indicant, nihilominus haud talis solemnitatis peculiariter locum vel adamussim tempus declarant: unde historice manet valde incerta Strzygowski opinio. Ceteroquin animadvertendum basilicae patronam crucem gestare ac habitu cuiusdam esse simillimam effigiei, quae in eburnea tabula,

(1) Sunt nihilominus, qui lupum ibi pro cane accipiant, et mercenarium fugientem minime perspici asserant.

(2) Cf. I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1891, tav. IV, V.

nunc apud Florentiae museum [1] asservata, cernitur, et imperatricem Irenem (752-803) repraesentare iure aestimatur. Quod quidem saeculum octavum, non autem sextum, aliquatenus innuit.

Nec minus faciendum est quoddam eburneum sculptile, in Aegypto inventum et Byzantinam, aeque ac Romanam, artem redolens, quod Marcum evangelistam cum patriarchis suis successoribus repraesentare putatur. [2]

Tab. 142. Anaglyptum eburneum saec. VI (?).
Treviris repertum ac relligiosam pompam adumbrans.

Fuerunt denique capsae eburneae historiis ethnicis exornatae, et tamen ad res sacras, non autem ad eucharistiam servandam, adhibitae. Praeclarum huiuscemodi exemplum quoddam est thecae fragmentum, apud thesaurum sacelli Palatini, seu « Sancta Sanctorum » in Laterano nuper inventum: ibi nempe cyclus Bacchicus, tam saepe apud funeraria monumenta effictus, exquisita insculptus est arte; item memoranda venit pretiosa Bobbiensis theca, in qua Orphaeus lyrae sono sibi bestias attrahens, necnon venatoria cernuntur argumenta. [3]

(1) Quod vulgo *Nazionale* vel *del Bargello* dicitur.

(2) SCHLUMBERGER, *Un ivoire chrétien inédit du musée du Louvre*, ap. *Mon. Piot*, 1894; STRZYGOWSKI, *Oriens oder Rom*, pp. 72-73.

(3) GRISAR, *Il Sancta Sanctorum*, Roma, 1907, p. 158, fig. 52; LAUER, ap. *Mon. Piot*, t. XV.

Cathedrae. — Episcoporum sellas ebore olim fuisse decoratas, dubium non est. Pauca quidem ad nos pervenerunt talium specimina; sed nihilominus insigne habetur monumentum, multorum nunc deperditorum forsan pulcherrimum et quod plenam huiuscemodi operum indolem exhibet: de S. Maximiani sella, apud Ravennatensis ecclesiae cathedralis sacristiam exstante, intelligi volumus.



Tab. 143. Cathedra S. Maximiani (saec. VI).

Perinde ac sculptile tabula 135 adumbratum Syriaca vel Alexandrina afflatum esse arte affirmant, ita archaeologi nonnulli eidem scholae hanc cathedram adscribunt, licet quas huius sententiae allegant rationes haud multum probent. Ut enim iam animadvertimus, quilibet artis Orientalis afflatus non efficit, ut totum opus iuxta Orientalem elaboratum artem sit reputandum.

Utcumque sit, eburnea Ravennatensis cathedrae ornamenta pluribus consistunt rectiangulis tabulis, ligno apte applicatis, quas zonae, quoque eburneae, pulchre distinguunt. Utraque autem sunt anaglyptis referta, diversi tamen generis: nempe tabulae gesta biblica, zonae plantarum florumve ac animalium, hinc illinc in ordinem collocatas figuras produnt. Tabularum imagines triginta quattuor olim exstabant; hodie viginti duae solummodo supersunt, quarum quinque in publicis privatisve museis reconditae. His quinque tabulae addendae sunt quae Ioannis Baptistae quattuorque Evangelistarum effigies prae se ferunt, et anteriorem sellae partem cooperiunt. Ex tabulis, quae latera exornant, decem Ioseph patriarchae historiam adumbrant; ce-

terae evangelica referunt facta. Ambarum serierum argumenta sunt haec:

Ioseph historia. — Ad sinistram: 1. Ioseph in cisternam a fratribus demissus (Tab. 144, 1) – 2. Ioseph a fratribus venumdatus – 3. Ioseph a mercatoribus Putiphar venditus – 4. Ioseph uxorem Putiphar repellens atque in carcerem iam detrudendus (Tab. 144, 2) – 5. Iacob, vestimentis Ioseph sibi obiectis, dolens.

Ad dexteram: 1. Somnium Pharaonis – 2. Aegyptiorum regi somnii sensum Ioseph aperiens – 3. Ioseph, ut fratribus suis granum detur, iubens – 4. Ioseph, ut fratres in itinere deprehendantur, praecipiens – 5. Ioseph, occurrens patri, eumque amplectens.

Evangelica facta. — 1. Mariae virgini Verbi incarnationem angelus nuntians – 2. Maria, ut integritatem suam demonstret, amaras aquas iam sumptura – 3. Maria ac Ioseph ad Bethleem iter agentes – 4. Christi ortus – 5. Magi divinum adorantes infantem – 6. Christi baptisma – 7. Christus Ierusalem ingrediens – 8. Christus aquam in vinum convertens – 9. Panum multiplicatio – 10. Panum iterum multiplicatio ac turbarum refectio – 11. Christi cum Samaritana colloquium – 12. Caeci nati sanatio.

Quin duorum Testamentorum convenientiam, his ostendere voluerit artifex, non est, ni fallor, infitiandum; idque aliquatenus, ut arbitror, effigie confirmatur Ioannis Baptistae, qui, cum agnum, divini agni symbolum, in disco portat, hunc gestu, loquentis aut praenuntiantis instar,[1] indicat et ostendit. Evangelistae quattuor etiam, dum manu sinistra librum cruce signatum tenent, dextera, Romano aut Graeco more, se loqui seu concionari commonstrant. Alioquin istae Matthaei et Marci, Lucae et Ioannis imagines, quamvis singulae in singulis quasi cellulis, ut apud quosdam sarcophagos fit, sint dispositae, ita ad agni figuram conversae exhibentur, ut, sive quoad oculorum

(1) Hunc tamen gestum, quem apud opera musiva omnigenasque picturas et sculptilia deprehendere est, inscite, ut iam animadvertimus, archaeologi quidam pro benedictionis actu accipiunt.

aciem, sive quoad sensum, compositionem sane unicam efficiant. In his aliunde mirabilis corporum forma iustaque membrorum proportio, venustus circumvolvendi vestimenta modus, necnon sinuum naturalis flexio; tota prorsus sculptilis pars illa pulcherrima.

1

2

Tab. 144. Anaglypta eburnea cathedrae S. Maximiani.

Quamvis prioribus multo imperfectiores, valde etiam pulchrae sunt Ioseph historiae anaglyptorumque saeculi quarti artem redolent.(1) His autem omnibus deteriora exstant evangelica

(1) More nostro, cuiusdam auctoris, Molinier scilicet, verba huc adducenda existimamus : « Comme ses contemporains, il (huius sculptilis artifex) accepte certaines formules iconographiques ; les frères de Joseph sont des bergers antiques, tous de même physionomie, ou à peu près, tous armés de l'inévitable *pedum*. C'est ainsi qu'il était de mise de re-

argumenta; unde tres diversos hoc in opere artifices adlaborasse est admittendum.

Argumenta evangelica ex apocryphis scriptis desumpta sunt.

présenter des bergers ; nous ne devons pas nous en étonner. Mais aussitôt qu'il peut reconquerir sa liberté, comme il en profite ! Il varie les attitudes, les types, pour mieux faire comprendre la scène et en faire mieux ressortir le côté pittoresque. Il y aurait là de curieuses comparaisons à faire avec un manuscrit célèbre, le manuscrit de la Genèse, conservé à Vienne, où, sous une forme plus grossière et plus maladroite, se retrouve, à côté de morceaux absolument insignifiants, parce qu'ils ne font que reproduire un thème iconographique connu, des tendences au réalisme qui ne laissent pas que de surprendre chez des artistes de décadence, mais indiquent très nettement qu'on est en face d'œuvres produites à une époque de transformation. Le bas-relief représentant le désespoir est peut-être, à ce point de vue, l'un des plus intéressants ; s'il n'est pas l'un des plus beaux. Il est certainement l'un de ceux où l'on rencontre quelque chose d'inattendu. L'attitude résignée de Rachel, assise, les mains croisées sur l'un de ses genoux, n'est pas absolument la reproduction d'une formule; on y sent plus qu'une tentative d'observation de la nature, une réussite presque complète, une essai pour sortir du chemin battu. Ces tendances réalistes, cette étude personnelle de la nature, se voient encore d'une façon très évidente dans les bas-reliefs qui ornent le côté droit du siège. Dans deux d'entre eux surtout : Joseph expliquant les songes du Pharaon et Joseph faisant arrêter ses frères, si l'on trouve la représentation de soldats vêtus à la byzantine, on voit aussi des Éthiopiens, au type très caractérisé, figures camardes, cheveux crépus tressés en cordelettes. Les costumes, l'armement de ces personnages ne sont ni romains ni byzantins; leurs longues épées, larges et droites, sont evidemmant copiées sur des armes que le sculpteur avait vues. Si, au point de vue du mouvement des personnages, de la composition, il n'y a rien à dire de particulier de ces bas-reliefs, on peut donner quelques éloges à la rencontre de Jacob et de Joseph. Cette sculpture, où nous voyons Jacob, vieux et infirme, serrer contre sa poitrine son fils, enfin retrouvé, est une très belle chose, digne de l'art classique, auquel du reste bon nombre des gestes et des attitudes des personnages sont empruntés. L'exécution en est rude, presque sauvage; mais les attitudes sont si justes, l'opposition entre ce vieillard fatigué par l'âge et la douleur, aux formes alourdies, et ce jeune homme, à l'allure élégante, est si bien ménagée qu'on s'arrête à contempler ce bas-relief, comme on examinerait la première idée, le croquis d'un tableau de maître. Auprès de lui, les autres compositions, Joseph donnant du blé à ses frères, le Songe de Pharaon, quel que soit leur mérite, ne sont que passables (E. Molinier, *Histoire générale des arts appliqués à l'industrie*, Paris, 1896, t. I, p. 70) ».

ART. II. — **Anaglypta lignea.**

Multa certe lignea fuerunt anaglypta, utpote quorum materia aeque in Oriente ac in Occidente inveniretur, necnon facilius quam marmor insculperetur multoque minoris esset pretii. Tamen, si aliquod magnae demensionis excipias sculptile, uti sunt ecclesiarum portae, fere nihil huiusmodi nobis manet; cuius quidem rei ratio liquido apparet: nam lignum, quantumcumque durum, multo citius tempore consumi potest, neque tam sedulo talia opera, quia deterioris aestimationis, servabantur. E superstitibus vero duo, tanquam geminum illius artis genus referentia, eligemus illustranda, nempe ecclesiae S. Sabinae in monte Aventino valvas, et quoddam, in Aegypto inventum sculptile, cuius historicum aut symbolicum sensum, nemo, nisi Strzygowski, hucusque explicare ausus est.

ECCLESIAE S. SABINAE VALVAE. — De ianuarum harum aetate valde disputatum est; saeculo autem ultimo, post Kondakoff studia, illud ad quintum pertinere saeculum omnibus est persuasum. Huic tamen sententiae aliquatenus, saltem quoad rationem qua operis aetas erat determinanda, Mamachi praeiverat. En enim eius verba: « Eorum quae gesta vel ostensa divinitus in vetere ac novo Testamento fuerunt, quaedam sic omnino in iisdem (valvis) efficta expressaque sunt, ut effingi exprimique in sarcophagis monumentisque ceteris coemeteriorum consueverunt. Id vero in sexti saeculi fortasse vix, in posteriorum vero saeculorum monumentis ne vix quidem licet ». (1)

Saeculo quinto Kondakoff id adsignavit monumentum, eidem scilicet tempori quo ipsa ecclesia est aedificata, et recte quidem, nam, si aliter foret, artifices adhibita ex antiquioribus repetivisse exemplaria dicendum esset omnino.

Valvae ambae, ex cedro elaboratae ac, iuxta morem, distinctae sunt in parallelogrammata quorum unumquodque biblicam aliquam exhibebat historiam. Hodie quinque antiqui ac

(1) MAMACHI, *Annales Ordinis Praedicatorum*, t. I, p. 569.

tredecim novi Testamenti argumenta supersunt, nec suis locis sunt disposita. Immo aliqua fuisse refacta, primaevorum tamen speciminum ad instar, videntur.

Argumenta, secundum *historicum* seu *chronicum* factorum exhibitorum ordinem, sunt haec:

VETERIS TESTAMENTI. (1)

1. Moysis vocatio (Tab. 151), I, 4.
2. Transitus maris Rubri (Tab. 61, p. 151), III, 4.
3. Moysis prodigia in deserto (Tab. 154), II, 2.
4. Habacuc raptus ab angelo (Tab. 159), IV, 3.
5. Elias ad coelum evectus (Tab. 160), IV, 4.

NOVI TESTAMENTI.

1. Magi Christo deferentes munera (Tab. 155), III, 1.
2. Christi miracula (Tab. 149), I, 2.
3. Christus triplicem Petri negationem praedicens (Tab. 156), III, 3.
4. Christus ante Caipham (Tab. 161), IV, 5.
5. Christus coram Pilato (Tab. 152), I, 5.
6. Christus cruci inter latrones affixus (Tab. 103, p. 246), I, 1.
7. Mulieres ad Christi sepulcrum (Tab. 153), II, 1.
8. Christus apparens mulieribus (Tab. 123, p. 283), II, 3.
9. Christus apostolis in coenaculo apparens (Tab. 150), I, 3.
10. Christus ad caelum ascendens (Tab. 120, p. 280), III, 2.
11. Maria Virgo Christum in coelo adorans (Tab. 158), IV, 2.
12. (Significationis incertae) Petrus gentiles quoque ad Ecclesiam esse vocatos praedicans (Tab. 129, p. 296), II, 4.
13. (Significationis incertae) Inter Petrum et Paulum Christus (Tab. 157), IV, 1.

Cum autem plura sint parallelogrammata, quae tria simul argumenta, aut tria argumenta alicuius puncti exhibeant, profecto patet novi praesertim Testamenti hic adesse facta, ita ut totius evangelicae historiae mirabilis quidam habeatur complexus, eo magis conspicuus quod apocryphis scriptis vix

(1) Cum revera non iuxta hunc historicum ordinem, sed, ut mox dicturi sumus, *intra quattuor perpendiculares series*, quae singulae quinque tabulis constant, imagines permixte collocatae cernantur, nos numeris post uniuscuiusque argumenti titulum adpositis, primo perpendicularem seriem, secundo huiusce seriei tabulam, eo argumento occupatam, indicamus.

sit afflatus.[1] Hoc probe sufficeret ut quanti sit monumentum tale faciendum intelligatur; sicut ergo omnium eius sculptilium adumbrationem praebere voluimus, singulas quoque eorumdem significationes et peculiaria adiuncta, breviter tamen, exponenda arbitramur.

Ut autem cuilibet adspicienti statim apparet (Tabb. 145, 146, 147, 148), aedium S. Sabinae porta ex alto ad imum, in quattuor perpendiculares et parallelas series, quae singulae quinque tabulas invicem superpositas continent, dividitur. Varia porro eius argumenta iuxta loca et ordinem, quae *nunc* in singulis seriebus, seu perpendicularibus tractibus, occupant, a sinistra intuentis incipiendo et a summo ad imum descendendo, describemus.

I. — Prima perpendicularis series:[2]

Tabula prima: *Christus cruci inter latrones affixus* (Nov. Test. n. 6). — De hac imagine (Tab. 103, p. 246) parum dicendum. Christus ibi, non secus ac latrones, erectus stat manusque expandens potius quam cruci confixus. Nudus autem fere est omnino; nam pudenda tenui tantum zona cooperta habet. Est quidem barbatus, dum alias iisdem in valvis sine barba invenitur. Temporis insuper ac fortasse hominis iniuriae effecerunt ut eius primaeva aliqualis pulchritudo deturpata sit. Latrones pueris quasi similes ostenduntur, necnon in mentem plura revocant ampullarum anaglypta et aliquod numisma, apud quae eodem prorsus modo effinguntur.[3] Ampullae autem illae aequalis, aut paullo recentioris sunt aetatis.

Tabula secunda: *Christi miracula* (N. T., n. 2). — Tabula ista (Tab. 149), praecedente oblongior et in tres partes divisa, caeci iuxta portam templi sanationem superius exhibet, deinde panum et piscium multiplicationem, ac inferius aquae in vi-

(1) Id vetustatis etiam indicium est.

(2) Numerus, post uniuscuiusque argumenti titulum adiunctus, numerum refert illum, quem in *historico* supra adducto elencho argumentum istud habet.

(3) Cf. Tab. 114, p. 266, et Garrucci, VI, 434 nn. 2, 4, 5, 6, 7.

I II

1 2 3



1 2 3

Tab. 145.

III IV

1 2 3



1 2 3

Tab. 146.



Tab. 147.

Tab. 148.

Valvae cedrinae basilicae S. Sabinae in monte Aventino (saec. v).

Tab. 149. Christi miracula.

num conversionem. Haec prae ceteris Christi miraculis probabiliter exculpta sunt, utpote quae praecipua, in primaevis monumentis, vitae Christianae mysteria significent, nempe baptismum, quod illuminatio quoque appellabatur, atque eucharistiam, quae resurrectionis vitaeque aeternae e Christi verbis pignus est. Modus tamen ea repraesentandi, praesertim corbes et hydrias disponendi, a primaevorum artificum differt norma, ac potius aureas in vitreis cuppis imagines imitatur. Ad superiorem autem imaginem quod pertinet, non constat cuiusnam caeci sanatio sit intelligenda: alii caeci iuxta civitatem, alii caeci ad templi portam sedentis illam esse dicunt. Secunda tamen sententia verisimilior nobis videtur; nam, ut apprime P. Berthier animadvertit, si artifex urbem revera voluisset effingere, longe aliter quam in illo sculptili eam exhibuisset.[1]

Notemus tandem Christum perinde ac apud saeculi tertii et quarti funerarias picturas anaglyptaque, tunica ac pallio esse vestitum et calceatum sandaliis. Caecus autem super tunica fert paenulam, quae apud antiquos viatorum aut operariorum erat propria; sinistra manu baculum tenet.

Tabula tertia: *Christus apostolis in coenaculo apparens* (N. T., n. 9). — In huius sculptilis (Tab. 150) sensu determinando, quamvis revera non adeo certus videatur, archaeologi uno ore consentiunt. Christus barbatus est caputque circumdatum olim habebat nimbo, cuius adhuc monogramma ☧ remanet inter Graecas litteras A et Ω; quae, ut notum est, gloriae simul ac divinitatis[2] signa sunt.

Loquentis autem Salvator gestum efficit, quasi forsan diceret: « Pax vobis ».[3] E tribus apostolis, qui pro ceteris adsunt, unus humiliter adorat, ceteri audiunt.

Tabula quarta: *Moysis vocatio* (Vet. Test., n. 1). — Hoc sculptile (Tab. 151) tria argumenta, seu potius tria unius ar-

(1) J.-J. Berthier, *L'église de Sainte-Sabine à Rome*. Rome, 1910, p. 165 sq.

(2) *Apocalypsis*, XXII, 13: Ἐγὼ τὸ Α καὶ τὸ Ω, ὁ πρῶτος, καὶ ὁ ἔσχατος, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος; cf. Isaias, XLI, 4; XLIV, 6; XLVII, 12.

(3) Ioann. XX, 19.

gumenti puncta profert: inferius enim adest Moyses qui, Iethri grege ad montem Horeb ducto, rubum ardentem videt in deserto. Quod concinne adumbratur: Moyses nempe ostenditur sedens ac rubi in contemplatione intentus, dum ad pedes eius sex oves vario dispositae modo, aut pascuntur, aut quiescunt. In medio argumento, ante rubum, velut rupes effictum, angelus loquitur ad Moysen, qui interim sandalia exuit. Huius angeli inductio plene cum opinione antiquiorum concordat Patrum, qui, in omnibus Dei apud vetus Testamentum manifestatio-



Tab. 150. Christus apostolis in coenaculo apparens.

nibus, Christum ipsum, et saepius sub angeli specie, adfuisse arbitrati sunt. Aliunde, quoad imaginum species, sculptor quadam uti libertate non dubitavit, nec trita communiaque serviliter est imitatus exempla: sic Moyses, dum calceamenta sua adimit, non, ut plerumque apud aliorum artificum opera, inclinatus pedeque supra suggestum aliquem posito, sed in saxo commodius assidens, ostenditur.

Tertium denique argumentum Moysen exhibet dum, manibus pallio coopertis, volumen accipit quod Dei manu, e caelo portenta, porrigitur. Plurimi auctores ibi legis tabulas Moysi commissas agnoscunt; sed alii volumen illud ut mandatum Dei, populum Israel a tyrannide Aegyptiorum liberari iubentis

Tab. 151. Moysis vocatio.

intelligunt. Quibus libenter adstipulamur.[1] Adest autem ibi et alia figura, in qua interpretanda valde archaeologi dissentiunt: sunt qui Aaron, sunt qui Pharaonis eam reputent. Sed, si de Aaron in Exodi narrationibus saepe sermo est, ex eodem libro constat illum Moysi, tum vocem Dei in rubi flammis audienti, tum in summitate montis Sinai legem accipienti, nequaquam adstitisse. Pharao vero cum legis apud desertum traditione nil commune habuit. Nonnunquam quidem in sculptilibus imagini Moysis, ad populum Israel ex Aegypto educendum iussu Dei se accingentis, adiungitur; sed tunc alio prorsus apparatu exhibetur. Ita, apud quemdam Arelatensem sarcophagum, dum Moyses e caelesti manu volumen, divini mandati symbolum, recipit, Pharao, velut rex, a custodibus circumdatus, in throno sedet.[2]

Aliam explicationem excogitavit Garrucci:[3] ibi iterata, seu bis oblata, esset ipsius Moysis effigies. Scilicet, cum scite ac minute huius argumenti diversa tempora exprimere artifex voluisset, postquam Moysen iussa Domini audientem adumbravit, illum denuo non dubitasset ostendere, auditis attonitum et quasi reluctando dicentem: « Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius et, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum ».[4]

Has inter varias coniecturas, eligat eam lector quae sibi magis arriserit.

(1) Garrucci, VI, 500, n. v; Berthier, op. cit., p. 181: « Dans un fragment publié par le cardinal Maï, il est question d'un tableau qui fut peint, entre 398 et 401, par ordre d'un préfet de Rome, et qui représentait une défaite de barbares. En haut, on voyait une main portant une inscription qui attribuait à Dieu l'honneur de la victoire. Rien ne nous oblige donc à voir ici la notification de la Loi à Moïse. Nous avons d'ailleurs des motifs sérieux de croire qu'il ne s'agit point ici de cette grande scène du Sinaï. On ne s'expliquerait point, dans cette hypothèse, la présence de Pharaon, que l'on y introduit. Au surplus, si le second personnage était réellement le roi d'Egypte, on ne comprendrait pas qu'il ne portât aucun signe de sa dignité ».

(2) Garrucci, V, tab. xxviii, n. 3.

(3) Garrucci, VI, 500, n. 5.

(4) *Exod.* IV, 10.

Tabula quinta: *Christus coram Pilato* (N. T., n. 5). — Hoc sculptile (Tab. 152) vetustate multum deformatum est, licet adhuc clare satis rem exsculptam proferat: videlicet Pilatus in sella, quam Romani curulem appellabant, sedet, et ad manus lavandas se parat, servo pelvim et aquam praebente. Ferreis consertam hamis habet loricam, super qua chlamydem, in humero dextro fibulatam, gerit; caput autem eius vitta circumdatum. Miles unus, procuratoris velut custos a latere, ad-



Tab. 152. Christus coram Pilato.

stat, pariter chlamyde indutus. Dein duo conspiciuntur viri paenulati cum cucullo, necnon Simon Cyrenensis, item paenulatus et crucem pone Iesum baiulans. Vestimentorum similitudo officit, quominus posterior ex paenulatis pro pharisaeo quodam tantummodo, ut nonnulli putarunt, accipiatur. Talis compositio quamdam cum aliquo Romani sarcophagi sculptili (Tab. 31, p. 55) ac Ravennatensis S. Apollinaris Novi basilicae musivo, ubi etiam Simon Cyrenensis Iesu vice crucem gestat, congruentiam prodit; in miniatulis autem Cambridgensis codicis picturis, crucem ipse fert Christus, sed Simon quoque eum effingitur adiuvans. In omnibus istis monumentis, Simonem Cyrenensem velut puerum aut iuvenem artifices repraesentarunt, quia revera servi officio perfungitur.

II. — Secunda perpendicularis series.

Tabula prima: *Mulieres ad Christi sepulchrum* (N. T., n. 7). — Illud argumentum (Tab. 153) Christi resurrectionem innuit, sicut iam saeculo quarto apud funeraria anaglypta,[1] ac postea etiam apud Ravennatensia musiva (Tab. 99, p. 233); sed hic, praeter sepulcrum, quaedam, perinde ac in crucifixionis adumbratione (Tab. 103), urbis delineatio est, quae Ierusalem memoret. Dum autem angelus mulieres alloquitur, earum altera auscultat, altera oculos sibi obtegere videtur.

Tab. 153. Mulieres ad Christi sepulcrum.

Tabula secunda: *Moysis prodigia in deserto* (V. T., n. 3). — In quattuor partes hoc divisum est sculptile (Tab. 154).

In superiori parte Moyses adest, eodem modo ostensus ac in tabula 151, scilicet aut a Domino mandatum accipiens, aut animae suae angustias expromens, manu e nube ad Deum significandum emergente. Haec verisimillima interpretatio: alioquin animadvertat studiosus ita Moysen effingi quotiescumque apud nostra anaglypta divina illa e caelo manus porrecta cernitur.

(1) Cf. Le Blant, *Etudes sur les sarcophages chrét. antiques de la ville d'Arles*, p. 46 sq., tab. xxix.

Secunda pars tabulae tres praebet viros, circa parvam ac orbiculatam sedentes mensam in qua appositae sunt aves: dubium haud videtur hic de coturnicum agi miraculo.

Apud tertiam partem, item mensa rotunda tresque convivae, quibus servi ministrant. Kondakoff tres ab Abraham et Sara hospitio receptos viros ibi agnovit, at Berthier negat Sara figuram adesse; nam ideo ad sinistram stans servus pro mulicre est habitus, quia vas quoddam cylindratum, ad eius pedes positum, inferior tunicae femineae ora esse falsum est visum. Nos equidem Berthier sententiam libenter amplectimur, eo magis quod ibi Abraham historia suo loco utique non esset: Moysis enim gesta Mosaicum aliud hic requirunt prodigium, quod manna pluvia esse debet, ut chronologicus ordo servetur. Porro quid impedit quin ibi revera Hebraei manna edentes inducantur? Etiam Prudentius, in suo *Dittochaeo*, portentosae coturnicum pluviae manna coniunxit mentionem:

> Panibus angelicis albent tentoria patrum:
> Certa fides facti; tenet urceus aureus exin
> Servatum manna; ingratis venit altera nubes
> Atque avidos carnis saturat congesta coturnix. (1)

Quarta tabulae pars aquae e rupe scaturientis in deserto videtur commemorare miraculum, licet nusquam alibi, quod sciam, ita fuerit hoc factum adumbratum: Moyses enim sine virga est, sed e nubibus manus extenta Dei praesentiam significat.

Tabula tertia: *Christus apparens mulieribus* (N. T., n. 8). — Iuxta Matthaei evangelium, Christus, in hac tabula (Tab. 123,

(1) Prudentius, *Dittochaeon*, diptyc. XI. — De mensis in ea tabula exhibitis, haec habet Berthier: « Nous avons dans ces deux bas-reliefs la preuve que au Ve et au VIe siècle, la disposition des repas différait peu de ce qu'elle est aujourd'hui. La table, les ornementations, les utensiles de cuisine, etc., sont à peu près de forme moderne. Les sièges de convives, dans ces deux scènes, comme dans tous les bas-reliefs, sont d'une forme identique. On dirait deux chassis courbés, placés l'un dans l'autre et dont l'un avait parfois une extrémité plus prolongée formant un dossier. Cette forme de sièges est une forme fort ancienne » (Berthier, op. cit., p. 193).

Tab. 154. Moyses prodigia in deserto.

p. 283), post resurrectionem suam, mulieribus, eas salutando, apparet. Mulieres dexteram manum palla coopertam elevant; qui actus adclamationis videtur, nisi, ut quidam opinantur, stupentes illae et Salvatoris splendore quasi obcaecatae, oculos aliquatenus velint protegere.

Tabula quarta: *Petrus gentiles quoque ad Ecclesiam esse vocatos praedicans* (?) (N. T., n. 12). — In titulo huic tabulae (Tab. 129, p. 296) addicendo P. Berthier sumus secuti; sed haud reticendum est de talis sculptilis interpretatione varie varios archaeologos sentire. Omnium horum sententias, interdum captiosiores, referre parum interesset; tres tantum, quae probabiliores videntur, obiter expendemus.

Berthier [1] tabulae argumentum asserit ex undecimo Actuum apostolorum depromptum esse capitulo, ubi Petrus Hierosolymae fratribus declarat, se a Spiritu sancto, in civitate Ioppe, fuisse monitum, ut ad gentiles quoque convertendos et in Ecclesiam adducendos accederet. [2] Aedes, cuius fastigio crux insidet, Christianae fidei, seu Ecclesiae, esset symbolum; angelus Petro adstans, angelus ille quem cuidam Cesareae viro, ut apostolum arcesseret, apparuisse narratur; [3] sex denique viri inferius efficti, sex fratres qui cum Petro Cesaream iverant. [4]

Verum enimvero, licet animadversiones istae satis ingeniosae sint, nonnullis forsitan difficillime poterit persuaderi, illius effigiem, qui iuxta cruciferae aedis fores conspicitur, vere figuram esse Petri, Petri nempe chlamydem gerentis. Etenim ne unicum quidem, apud cetera quaeque monumenta, aliud exemplum adduci posset, in quo tali vestimento Petrus sit vestitus, et alioquin in iisdem S. Sabinae ecclesiae valvis ipse solitis vestibus, tunica scilicet ac pallio, apparet indutus (Tab. 156).

Iuxta Kondakoff, Zacharias, pater Ioannis Baptistae, coram populo stans, post habitam Gabriel angeli, hora incensi, visio-

(1) Betthier, *L'église de Sainte-Sabine*, p. 197.
(2) *Act.* XI, 1-18.
(3) *Act.* XI, 13.
(4) *Act.* XI, 12.

nem, hic esset agnoscendus. At haud parva iterum difficultas occurrit: vir nempe in tabula effictus nec thuribulum, ut Evangelii expostularet narratio,[1] habet, nec sacerdotis instar vestitus est. Sive enim in musivis, sive in miniatulis codicum picturis, Melchisedech, Zacharias aliique sacerdotes, vel etiam aliquando levitae, speciali quadam induti sunt lacerna, quae hodierni sacerdotum pluvialis valde est similis, licet brevior (Tabb. 98, p. 232; 110, p. 262).[2]

Unde doctissimus Wiegand sententiam Kondakoff rejicit et ibi de imperatore Christiano, Christianae plebi, ut capite et moderatore, ostenso, agi pronuntiat. Animadvertere quidem iuvat, artificem, in elaborandis virorum adsistentium figuris, eas in togatas et penulatas,[3] quasi ad ambas populi classes, divitum scilicet et operariorum, memorandas, scite distinxisse; quae distinxio apud arcus Constantiniani anaglypta, Constantinum populo loquentem exhibentia, etiam deprehenditur. Tale tamen argumentum, praeterquam satis obscurum et aliunde inauditum, ceteris harum valvarum argumentis, utpote ex sacra Scriptura depromptis, parum congruere esset fatendum.

Tabula quinta: Huius tabulae spatium nullo nunc insignitum est sculptili.

III. — Tertia perpendicularis series.

Tabula prima: *Magi Christo deferentes munera* (N. T., n. 1). — Apud hoc sculptile (Tab. 155), Maria in altissimo throno, supra sex gradus nempe erecto, conspicitur sedens, quasi ut melius eius summa dignitas cultusque ei debitus innotescant.[4] Puer autem Iesus dexteram manum, tamquam ad munera recipienda, extendit. Magi solito more sunt induti valdeque earum similes figurarum, quae in arcu triumphali basilicae S. Mariae Maioris effictae sunt. Haec igitur repraesentatio

(1) Luc. I, 9, 10, 11.

(2) Dr. Johannes Wiegand, *Das altchristliche Hauptportal an der Kirche der hl. Sabina.* Trier, 1900, p. 55 sqq.

(3) Paenula brevis cum cucullo ab operariis plerumque induebatur.

(4) Cf. Berthier, op. cit., p. 203-204.

a ceteris eiusdem argumenti adumbrationibus haud multum differt, ac talis quoque esse debebat imago illa, de qua Prudentius sic loquitur:

> Hic, pretiosa sub virginis ubere, Christo
> Dona ferunt puero myrrhaeque et thuris et auri.
> Miratur Genitrix tot casti ventris honores,
> Seque Deum genuisse hominem Regem quoque summum. (1)

Tab. 155. Magi Christo deferentes munera.

Tabula secunda: *Christus ad caelum ascendens* (N. T., n. 10). — In hoc sculptili (Tab. 120, p. 280) interpretando mire auctores dissentiunt, tresque praesertim ab eis proferuntur sententiae: una, quam Kondakoff primum protulit, Christi resurrectionem ibi expressam esse affirmat. Altera, quam Mamachi defendit, duas hic perspicit compositiones, scilicet superius Christum in Gethzemani horto angoribus confectum et ab angelis adiutum; inferius vero illum, dum tres apostolos ad orandum vigilandumque hortatur. Tertia denique Garrucci est opinio, iuxta quam Salvatorem ad caelum ascendentem tabula ea repraesentat. Quae quidem interpretatio nobis maxime affulget. Etenim, neque sepulcrum, neque milites ibi cernuntur, sed viri quattuor, tunica pallioque induti, quorum unus dolens videtur, ceteri vero, obstupentes, Christum utique per nubes ab angelis attollli mirantur: eodem prorsus modo, apud Arelatensem iam memoratum sar-

(1) PRUDENTIUS, *Dittochaeon*, diptyc. XXVII.

cophagum (p. 56), apostoli Christum sursum euntem contemplantur. Neque ullam facessit difficultatem, quod Christus, inertis et inanimi corporis instar, sustentetur et efferatur ab angelis; nam, ut apte Berthier animadvertit, idcirco forsitan artifex ministerium istud angelorum sic depinxit quia ad litteram Evangelii Lucae textum acceperit: « Elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et *ferebatur* in caelum ».[1]

Tabula tertia: *Christus triplicem Petri negationem praedicens* (N. T., n. 3). — Hoc circa argumentum (Tab. 156) nihil

Tab. 156. Christus triplicem Petri negationem praedicens.

addendum iis, quae supra de eo fuse exposuimus (p. 139-176). Notemus nihilominus, artificem in opere effingendo, anaglypta funeraria, ut tabula 37 (p. 77) patet, prae oculis habuisse.

Tabula quarta: *Transitus maris Rubri* (V. T., n. 2). — Hoc, pulcherrimum quidem, sculptile in duas dividitur partes (Tab. 61, p. 151). Inferius, duo stant viri, alter paludamento, seu militari veste, coopertus gladioque munitus, nempe Pharao; alter tunica pallioque indutus, scilicet Aaron, qui praeterea duos inter se et regem serpentes erectos virga indicat. Sic sculptor summatim haec Scripturae sacrae expressit verba: « Tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis eius, quae versa est

(1) Luc. XXIV, 50, 51.

in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos... Proieceruntque singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones. Sed devoravit virga Aaron virgas eorum ».[1]

Superius transitus maris Rubri atque Pharaonis interitus exhibentur. Rex iam ingressus est inter fluctus, quos incassum superare conatur, dum circa eum alii equites pene submersi sunt. Ex opposita ripa, Moyses et Aaron hostium intuentur perniciem, Deique mirantur potentiam; populus autem terga undis vertit, eumque magnae staturae angelus manibus expansis excepturus apparet.[2]

Tabula quinta: nullum hic adest sculptile.

IV. — Quarta perpendicularis series.

Tabula prima: *Inter Petrum et Paulum Christus* (N. T., n. 13). — Quam saepe huiuscemodi argumentum in monumentis inveniatur probe vidimus; hic nihilominus (Tab. 157) talia sunt adiuncta, ut diversa prorsus interpretatio defendi queat. Vir enim ille, qui pro Paulo habetur, imberbis ac velut iuvenis est adumbratus; Christus autem, dum dextera loquentis gestum efficit, sinistra panem, seu globosae aliquid formae, tenet. Haec in ceteris supra dicti argumenti repraesentationibus numquam occurrunt, et quidem multo aptius ad Christi cum

(1) *Exodus*, VII, 10-12.

(2) *Exodus*, XIV, 28-31. — En quid de huius sculptilis pulchritudine P. Berthier ait: « Si nous avions à expliquer pourquoi, selon nous, ce passage de la mer Rouge est vraiment beau, nous répondrions: c'est parce que tout y est complet, sobre et grandiose. Ainsi sont les choses divines. L'exécution matérielle elle-même n'y manque point d'élégance. La tête du Pharaon, bien que retouchée, est belle; sa pose naturelle et grande; au milieu du péril qui l'assaille de tous côtés, il lutte avec courage; il est debout sur son char de guerre à deux roues, de forme antique, et cherche à guider ses chevaux dont l'un vient de s'abattre dans l'eau, tandis que les trois autres élèvent encore la tête au-dessus des ondes. Le sculpteur a été assez habile pour rendre parfaitement visible le mouvement des chevaux dans les flots. Il ne serait même pas impossible de trouver dans ce tableau des traces de perspective sérieusement comprise » (Berthier, op. cit., p. 216).

Emmaus discipulis colloquium videntur respicere. Hinc est cur hanc alteram explicationem nonnulli sint amplexi.

Tabula secunda: *Maria Virgo Christum in caelo adorans* (N. T., n. 11). — Hoc sculptile (Tab. 158), perinde ac praecedens, haud eodem sensu ab omnibus accipitur. Tamen satis lucidum evadit, si ambas, quibus aliquatenus constituitur, partes in unicum argumentum coalescere animadvertatur.

Tab. 157. Christus cum duobus apostolis.

Superius, in spatio rotundo, corona quadam circumscripto, Christi eminet inter litteras A et Ω, triumphantis instar, imago: dexteram more alloquentis extendit, sinistra vero expansum fert volumen, in quo hae leguntur litterae: I X Υ Θ C K; id est Ἰησοῦς Χριστὸς Υἱὸς Θεοῦ Σωτὴρ Κύριος.

In quattuor autem angulis, qui inter tabulae latera et spatium orbiculatum remanent, quattuor sunt evangelistarum symbola, et quidem, quoad speciem, antiquissima. (1) Christus

(1) Evangelistarum imagines quattuor simul cum Christo, prope coemeterium Callisti, in hypogeo, quod verisimillime Ss. Marci et Marcelliani, seu Damasi papae, nuncupandum est, primum apparent, anno circiter trecentesimo quadragesimo primo depictae; eorum autem symbola iam ante finem saeculi quarti vulgo cognita et in operibus artis adhibita videntur

Tab. 158. Christi ascensio et gloria - Maria Filium adorans (Anaglyptum ligneum ecclesia S. Sabinae in monte Aventino).

igitur in gloria ibi ostenditur, omnium velut Dominus ac magister, illaque videtur Apocalypsis verba proferre: « Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis ».[1] Sub pedibus dein illius arcus extenditur, qui sphaeram caelestem significat, et in quo, praeter solem ac lunam, quinque refulgent stellae, plus minus veluti monogrammata efformatae.

Inferius, quaedam, sursum aspiciens Christumque adorans, stat mulier, inter ambos apostolorum principes, Petrum ac Paulum, qui super caput eius, quemadmodum aliquando angeli in musivis operibus, crucem extollunt circulo inclusam.

Alii hanc mulierem Mariam, alii Ecclesiam, alii utramque simul esse dicunt. Nos vero Mariam, Christum gloriosum, sive in eius ascensione, sive in propriae suae assumptionis triumpho, adorantem, hic effictam esse reputamus, et id potissimum propter affinitatem quam imago ista offert cum quibusdam Christi in caelum ascendentis adumbrationibus; quarum exemplo sit Rabulae codicis, iam memorata, miniatula pictura (Tab. 121, p. 281). Inter ambas effigies unum est discrimen, nempe quod in sculptili nostro, subtractis angelis, pro discipulorum turba sint apostolorum principes. Nec obiici debet Paulum apostolum facto, de quo agitur, minime interfuisse; nam in compositione ea res prorsus symbolice inducuntur, sicut in funerariis anaglyptis, in musivis ac in omnigenis artis operibus, permulta sacrae Scripturae argumenta alia, verbigratia Christi passio aut resurrectio, traditio legis, etc., symbolice sunt repraesentata.

Igitur, si apud Rabulae codicem, primum Christi ascensionis, perspicua omnino et plena, exhibita est adumbratio, quae

fuisse; nam, eo tempore, etiam apud auctores describuntur. Sic S. Hieronymus, in suo contra Iovinianum libro, ait: « Primus evangelista (Matthaeus) habet faciem hominis, propter genealogiam; secundus (Lucas) faciem vituli, propter sacerdotium; tertius (Marcus) faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ioannes vero noster quasi aquila ad superna volat et ad ipsum Patrem pervenit dicens: In principio erat Verbum ».

(1) *Apoc.* XXII, 13.

posteriorum huius argumenti repraesentationum velut prototypum evasit, nonne nihilominus talis compositionis iam cogitatio et elementa apud Romana exstitisse monumenta dici possunt? Aliunde, si quae nunc inspicimus sculptilia ad eamdem vere adscribenda sint aetatem, qua et ipsa fuit S. Sabinae aedes exstructa, id est ad Caelestini I (422-432) et Sixti III (432-440) tempora, in hac proprie tabula antiquissimum, quod apud

Tab. 159. Habacuc raptus ab angelo.

Christianam artem exstet, adorationis gestus specimen habemus: (1) qui quidem gestus, ex ethnicis desumptus, in eo constabat, ut vir aut mulier adorans ambas manus ante se, palmis invicem conversis, exhiberet (Tab. 93).

Tabula tertia: *Habacuc raptus ab angelo* (V. T., n. 4). — Argumentum illud (Tab. 159) saepissime apud funeraria anaglypta, ut deprehendimus, effictum est; rarissime autem manus divina conspicitur capillis Habacuc sustinens: praeterquam in hac porta, semel tantum, in primaevis monumentis, scilicet in Brixiensi sculptili de quo supra, (2) invenitur.

(1) Verumtamen aliquu huiusmodi iam apud funeraria cernitur anaglypta, ubi praesertim Iairi filiae resurrectio est adumbrata.

(2) Pag. 50, tab. 29.

E peritorum sententia, ista tabula ab altero quidem fuit artifice, decursu temporis, retractata; nihilominus, quas praefert, effigies vigoris plenae sunt artemque Romanam redolent. Sacrae Scripturae verbis optime explicantur, nempe: « Erat Habacuc propheta in Iudaea, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo, et ibat in campum, ut ferret messoribus. Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius et portavit eum capillo capitis sui . . . ». (1)

Tabula quarta: *Elias ad caelum evectus* (V. T., n. 5). — Formosissima haec tabula (Tab. 160) adeo sollerti figurarum dispositione et eximia delineatione praecellit, ut eiusdem sculptoris scalpro, ac pleraeque ceterae tabulae, nequaquam elaborata videatur. Omnia ibi, praeterea, Romanam sapiunt artem: Elias, imperatoris instar ad Olympum evecti, in caelum, quod ei angelus indicat, curru rapitur, dum et Elisaeus sinistram manum elevat, ut prophetae pallium excipiat, et aliunde duo operarii, prodigio perterriti, se proripere et abscondere festinant.

Tabula quinta: *Christus ante Caipham* (N. T., n. 4). — Ante solium, in quo princeps vel magistratus sedet, viri, paenulis induti, et quorum unus baculo munitus est, alium virum comitantur (Tab. 161). Nonnulli hic Moysen et Aaron coram Pharaone agnoverunt; rectius forsan dicendum, Christum, Caiphae coram tribunali adductum, tali adumbratione effingi. Alioquin, utrique enodationi paenulatorum virorum praesentia congruit; nam paenula, haud solum militum, sed, apud artis opera, Iudaeorum ut proprium habita est vestimentum; quod quidem inter plurima testantur Ravennatensia musiva et Boëtii diptycha(2).

(2) DANIEL, XIV, 32–35. — Dum vero hic portentosa praesertim Habacuc exhibetur evectio, Brixiense apud sculptile haec potius sacri textus illustrari videntur verba: « Angelus Domini... *posuit eum* in Babylone supra lacum, in impetu spiritus sui » (DANIEL, XIV, 35).

(1) Quidquid aliqui dixerint, haud serio potest negari, sculptilium, quae S. Sabinae ecclesiae valvas decorant, indolem Occidentalem, mini-

Tab. 160. Elias ad caelum evectus.

Berolinensis musei sculptile. — Aliud ligneum opus, vere praeclarum, et ad quartum saeculum pertinens, paucis abhinc annis in Aegypto est inventum, nuncque apud Berolinense museum asservatur (Tab. 162).

Ut ipsa indicat tabula 162 illud sculptile ad commemorandam alicuius urbis, ab obsidione liberata, victoriam fuit effictum. Ibi cernitur castellum munitum, e cuius porta turma

Tab. 161. Christus ante Caipham (?).

militum prorumpit, dum equites hostium, campo iam cadaveribus completo, in fugam vertuntur. Milites quoque plurimi super muris discurrunt, ceteris velut auxilio venturi. Praeterea

meque Orientalem, esse. Nihil est enim apud ea, quod Romanam Graecamque non redoleat artem. Immo, quaedam eorum imagines (videas tabulas 129 ,160) Romana exemplaria adamussim imitantur. Obiter etiam intuenti patet, verbigratia, angelorum ibi effigies Romanis Victoriarum geniorumque figuris esse afflatas. Quid autem Romae communius quam ornamenta illa, quibus forium tabulae, seu parallelogramma, cinguntur? Ubique apud Urbem, sive in museis, sive in monumentorum ruinis, talia reperire est (cf. tab. 89, p. 210). Quid refert, post ea, si tabularum istarum lignum cedrinum sit, cedrusque praesertim Orientalis sit arbor? De artis, non de materiae adhibitae natura agitur. Aliter, numquid omnes Orientales, quoad nationem et indolem, dicendi sumus, quia, quoad corporalem naturam, ab Adamo, qui in Oriente natus est, originem ducimus?

hic tres viros deprehendere est, tanquam ad terrorem incutiendum, furcis suspensos, eodem fere modo quo, apud Iosue rotulum, reguli quinque, qui obsederant Gabaon,[1] supplicio apparent traditi. Superius autem, ubi nempe quasi civitatis cuiusdam adumbratio est, staturae praegrandis aliquae personae ex longinquo certamen intuentur.



Tab. 162. (Ex Strzygowsky, *Oriens oder Rom*)

Cum vero inter adiuncta vexillum Christi monogrammate insignitum adsit, liquidum est sculptile illud saeculo quarto haud esse vetustius, ac tam historicam quam allegoricam forsitan habere significationem. Quam circa notabilis satis est Strzygowski interpretatio:[2] urbs arcem fidei repraesentaret in qua tres significarentur potestates, quas milites Christiani contra hostes defenderent, scilicet *Trinitas, Ecclesia* et *Imperium*. Haec explicatio subtilior, haud immerito, plerisque visa est, verumtamen aliam allegoricam significationem haud facile est invenire; neque difficultas omnis ablata erit, si quis historice solummodo voluerit sensum determinare. Nam, licet plura ibi sint, ut puta viri e furca pendentes, quae historicum sensum

(1) Iosue, X, 26. — Hoc tamen discrimine, quod, apud rotulum, reges in furca clausum habent collum, dum in sculptili tres viri, de quibus sermo fit, furcis simplicibus ostenduntur suspensi.

(2) Strzygowski, *Oriens oder Rom*, p. 95 sq.

requirant, nihilominus figurarum statura earum, quae certamen ex alto observant, haud poterit cum interpretatione mere historica conciliari. Sed quidquid sit de huius sculpturae sensu, quoad artem notandum est, illam, sive in locorum adumbratione, sive in pluribus militum effigiebus simul conglobandis, cum anaglyptis quae Septimii Severi arcum, apud Forum Romanum, ornant haud parum convenire.



Tab. 163. Lazari resurrectio at aquae in vinum conversio (Bibl. Vat.).

Art. III. — Vitra aurata vel incisa.

Suffossiones quae iam abhinc tribus saeculis, in Romanis coemeteriis et alibi peractae sunt, multa vitrorum in lucem protulerunt fragmenta, aureis delineationibus decorata, quae partes plerumque fundi, cuparum vel paterarum videntur fuisse. Ipsa erant infixa calci, quae apud loculos marmorum commissuras claudebat, et quia, iam confracta, nulli poterant amplius

esse usui, hinc, sicut quaelibet alia parva supellex, ad exornanda sepulcra vel potius unum ab altero distinguenda, fuerant adhibita. In hoc asserendo omnes quasi archaeologi sunt concordes.

Vitrorum auratorum usus iam inde a saeculo secundo videtur exstitisse, aut saltem, ut quidam volunt, ab imperatoris Caracallae temporibus. Cavedoni et alii Christiana vitra, quae nobis adhuc manent, Constantini aetate vetustiora reputarunt; sed, contra, pleraque ad quartum vel quintum saeculum pertinere fatendum est.

Tab. 164. Ad originalis demensionem effictum.

Omnium antiquissima harum cuparum mentio apud Tertulianum habetur, cum ait: « A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita, a Domino requisita et humeris eius revecta. Procedant *ipsae picturae calicum vestrorum*, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet ».(1) Ut patet, cuiusnam generis a Tertulliano hic commemorati sint calices, nescitur;

(1) Tertull., *De pudicitia*, VII; *P. L.* II, 1043.

sed inde certo colligitur de *vitreis*, non autem de metallicis, agi calicibus, quia in vitro solummodo poterant auratae delineationes picturae nuncupari.[1]



Tab. 165. Christus inter sex apostolorum imagines.
Ad originalis demensionem effictum.

Eo autem modo picturae tales parabantur: incidebatur nempe figura in vitro; deinde auro pingebatur pars incisa, eique alia vitri lamella, aut ipse cupae fundus superponebatur

(1) En alioquin quid, in suis ad Tertulliani opera notis, de his picturis scripsit Priori: « Per picturas (Tertullianus) intelligit figuras, quae in scriptura calicum usum et ritum significant. Quod enim affert Pamelius de calicibus vitreis, stanneis, aureis, argenteis ex decretis pontificum (lege ex *Libro pontificali*, in Zephirini vita) ad hunc locum minime pertinere existimo » (*Tertull. opera*, Venetiis, M.DCCXLIV).

igneque consolidabatur. Inscriptiones vero circumcirca ita erant additae, ut bibendo posset quis legere. Saepe etiam in aureo folio excisa erat effigies, quae vitro decorando imposita, eodem modo ac pictura, cooperiebatur. Aliquando imagines et inscriptiones erant simpliciter incisae; denique interdum aliis coloribus picturae aureae augebantur.

Ad quos autem usus destinatae fuerint, apud Christianos, cupae istae, qualesque effigierum et inscriptionum, quas praebent, indoles ac finis, varie a Cavedoni, Martigny, Garrucci et non paucis aliis est iudicatum. Si Garrucci ac I. B. de Rossi sententiae, quae quidem nobis probabilior et securior apparet, adstipuletur, huiusce quaestionis solutio ex ipsa imaginum inscriptionumque natura ac sensu est eruenda, licet caute, distinctionibus scilicet quibusdam adhibitis et fidelium moribus sedulo perspectis, in hac disquisitione sit procedendum.

Sic vitra sunt, quae ad Christiana memoranda dogmata profecto erant picturis suis aptata; alia, quae vota seu optata exhibebant; alia denique, quae utrumque habebant finem.

Ad primum genus ea omnia sunt accensenda, quae symbolicam effigiem aut compositionem, e biblicis depromptam argumentis, prae se ferunt; quod accidit, exempli gratia, cum Daniel in lacu leonum, Christus catechumeni baptismati adstans, vel panes multiplicans, vel Lazarum revocans ad vitam, Petrus e rupe fontem eliciens, etc., inducuntur.

Ad secundum autem genus vitra sunt adnumeranda, quae sanctorum imagines, aut viventium adhuc personarum figuras, ut puta alicuius familiae viros mulieresve, duos sponsos, vel etiam artificem quemdam artem suam exercentem, cum faustis adclamationibus, obiiciunt.[1]

Est sane notandum, in his cuparum aut paterarum fundis, eadem argumenta ac in coemeterialibus picturis plerumque apparere. Saepe scilicet cernuntur Adam et Evae lapsus, Abraham

(1) GARRUCCI, *Vetri ornati* etc., Roma, 1857, et *Storia dell'arte cristiana*, III, tab. CLXVIII sq.; W. FRÖHNER, *Verres chrétiens à figures d'or*, Paris, 1899; DALTON, *Catalogue of christian antiquities*, London, 1901, nn. 598-641; IOZZI, *Vetri cimiteriali*, Roma, 1902.

sacrificium, Ionae casus, Daniel inter leones, tres pueri in fornace, Susanna a falso crimine absoluta, boni Pastoris imago, panum multiplicatio, aquae in vinum conversio, paralytici sanatio, resurrectio Lazari. Inveniuntur quoque, sed raro, Noe, Iosue, Tobias cum pisce, Isaiae supplicium,[1] Ezechielis visio, Daniel draconi mortiferum cibum porrigens. Desunt Moysis

Tab. 166. Dominus legem dat.

miracula, nisi forsan ahenei serpentis erectio; desunt etiam, si Magorum excipias adventum,[2] Christi primordia, eiusque passio ac post mortem gloria. Nonnumquam vero Salvator in monte inter principes ostenditur apostolorum (Tab. 164), vel Petro volumen committens (Tab. 166), necnon, quod frequentius, coniugibus benedicens aut serta protendens (Tab. 168).

(1) Quod tamen magni momenti est, quia semel tantum aliunde hoc vidimus expressum, apud scilicet picturas Oasis Maioris sepulcreti.

(2) Nam in aliquibus fragmentis Magi munera deferentes apparent (cf. GARRUCCI, III, 174, nn. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7).

Saepissime autem aliquis, virga munitus, stans ante rupem quam percussit aut percutit, et e qua fons manat: huic semel, aliquis alius, fontis aquam ebibens, adiungitur.

Post ea quae speciali modo, de anaglyptorum interpretatione loquendo, disseruimus, hunc virum non Moysen veterem,[1]

(1) E monumentis quae hucusque recensuimus aliisve quibuslibet illud colligi potest, Moysen scilicet nunquam barbatum in artis Christianis operibus prodi; praeterea, uti iam animadvertimus, plerumque aut dum sandalia, Deo iubente, solvit, aut dum mare Rubrum transit, aut dum miracula in deserto, praesente populo, patrat, effingitur; sic apud musiva opera Liberianae basilicae, sic apud sculptilia forium S. Sabinae aedis parvasque codicum picturas, necnon in aliquibus marmoreis et eburneis anaglyptis, vel etiam in picturarum basilicarum cyclis. Hinc haud absone licet suspicari, non solum in catacumbarum picturis, sed etiam aurata apud vitra, non quidem Moysen, sed Petrum revera esse qui rupem percutiat.

Id iam Cavedoni asseveraverat, docendo insuper non sub symbolica solummodo Moysis specie, sed aliquatenus historice, in aliquo nempe commenticio vitae suae facto, Petrum hic exhiberi. Unde, post expositam Petri allegoricam cum Moyse congruentiam, Garrucci scribebat: « A questa interpretazione, che il Cavedoni chiama molto ingegnosa, intende egli sostituire un' altra che chiama più probabile, perchè più semplice. Questa è, che Pietro percuote non già il simbolico Horeb come un altro Mosè, ma la rupe Tarpea, per dar a bere ai suoi compagni di prigione » (III, p. 146).

Haec eadem sententia, quam Garrucci contemptim reiiciebat, denuo videtur reviviscere, ex quo amicus meus Styger eam novis argumentationibus pertractavit ac rationibus haud contemnendis roboravit. Verum enimvero ambae opiniones, de Moyse Petri figura et de Petro naturaliter ostenso, minime se invicem excludunt, sed communi vinculo devinci posse videntur. Moysen figuram Petri fuisse nemo infitiabitur, id enim et monumenta proclamant (cf., verbi gratia, S. Constantiae mausolei musiva (Tabb. 72, 73), Podgoritzanamque pateram quam alias descripsimus), et ipsa artis indoles suggerit, quippe quae ad veteris ac novi Testamenti concordiam exhibendam esset plerumque adhibita.

Ex altera autem parte, non minus certum est, viros illos, qui, apud marmorea anaglypta, e fonte, quem Petrus elicit, bibere ostenduntur, nequaquam, quoad habitum speciemque, Hebraeos, sed potius milites apparere. Id quidem in mentem revocat miraculum, haud absimile, quod in carcere Mamertino, ad milites seu custodes suos baptizandos, Petrus patrasse narratur. Porro, quid obest quominus hae duae significationes simul expetitae fuerint? Si res ita se haberet, quanti reputatae fuerint Petri fama et auctoritas denuo utique demonstraretur.

sed novum, seu Petrum esse, haud est ambigendum; ceteroquin bis tali effigiei Petri adpositum est nomen (Tabb. 58, 59).

Tab. 167. « Victor vivas in nomine Laurentii ». Ad originalis demensionem effictum.

Vitra vero aurata maximi sunt facienda, si cyclum argumentorum contineant; cycli praecipui hi sunt:

1. Ionae historiae, Daniel inter leones quattuor, tres pueri in fornace, Abraham sacrificium (?), vir orans, paralytici sanatio, visio Ezechielis. Haec circum circa; in medio autem paterae bonus Pastor.(1)

2. Tres pueri in fornace, paralyticus sanatus, Tobias piscis interiora extrahens, aquae in vinum conversio.(2)

(1) Cupae fundus in quodam sepulcro apud Coloniam repertus (an. 1866). Cf. *Jahrb. des Vereins von Altertumsfreunden in Rheinlande*, 1867, t. XLII, tab. v.

(2) Cupae fundus in Callistiano coemeterio a Boldetti inventum (an. 1715). Cf. GARRUCCI, III, p. 115, tab. CLXXI, n. 1.

3. Adam et Evae peccatum, Abraham sacrificium, aquae e rupe scaturientis miraculum, paralytici sanatio, resurrectio Lazari.[1]

4. Alias[2] pateram vitream, ad saeculum pertinentem quintum, quae apud Docleam (hodie Podgoritzam) in Dalmatia est inventa, fuse descripsimus. In ea, stilo plura incisa sunt biblica prodigia, eodem fere ordine atque in *Commendationis animae* precibus, scilicet Adam et Evae lapsus, resurrectio La-

Tab. 168. Pie Zesus. Coniuges a Christo coronati.
Ad originalis demensionem effictum (Bibl. Vat.).

zari, Moyses-Petrus rupem percutiens, Daniel orans inter duos leones, tres pueri in camino ignis, Susanna, Ionae historia; in centro autem, Abrahae sacrificium.

Quamvis haec omnia, ut modo notavimus, praecipuas, quae in funerariis picturis reperiuntur, adumbrationes summatim reddant, nihilominus, in argumentis effingendis, aliqua passim sunt adiuncta aliunde prorsus inaudita. Sic apud cyclos 1 et 2, Daniel inter *quattuor* stat leones; orans quidam vir pone murum est positus, iuxta quem duo vituli quiescunt; Christus cum

(1) Cupae fundus olim apud museum Recupero. Cf. GARRUCCI, III, p. 117, tab. CLXXI, n. 2.

(2) Vol. II, pars secunda, pp. 210–212.

virga non solum suis miraculis patrandis, sed et aliis interdum argumentis, angeli vel manus e nube porrectae loco, intervenit.[1] Quod coemeterialibus profecto repraesentationibus discrepat,[2] sed et optime demonstrat quemnam funeraria liturgia invocet, cum enixe efflagitat ut defunctorum ab eo liberentur animae, perinde ac videlicet *tres pueri de igne camini, Daniel de lacu leonum, Susanna de falso crimine*, etc., sunt liberati. Hinc etiam concludere par est, vasa, quae talibus saltem decorata exstant imaginibus, ad funebria convivia fuisse adhibita.

Quoad boni Pastoris, apud hos cyclos, imaginem, animadvertendum venit, hanc, vel in tardioribus vitrorum ornamentis, iuxta primaevam catacumbarum artem effictam esse, dum contra in musivis operibus apud quae ceterum rarissime apparet, Christus pastor maiestate plenus ac veluti rex potius inter oves sedens conspicitur (Tab. 100, p. 234). His omnibus liquet vitrorum artifices in aliquibus propriam normam habuisse, in aliis autem antiquiorem morem esse secutos.

Sanctos plurima vitra exhibent, praesertim Petrum ac Paulum, sive cum Christo, sive solos, sive ex toto sive ex dimidio, aut dum a Dominino coronas accipiunt, ostensos. Mariam quoque virginem praebent, inter arbores, vel columbas, vel apostolorum principes stantem; necnon eodem modo et quam saepissime Agnetem martyrem (Tab. 169).

Privatarum personarum cernuntur imagines, modo solae, modo cum alicuius sancti effigie, modo artem suam exercentes aut huiusce artis distinctae signo, modo tandem peculiaris ingenii, quo pollebant, vel honorum, quos adeptae erant, symbolis insignitae.

Specialis momenti, quoad hoc, quoddam est, Romae inventum, vitreae paterae fragmentum, in quo repraesentata est

(1) Inde fit, ut, cum vir adest virga fontem e rupe eliciens, utrum sit intelligendus Moyses, an Petrus, an ipse Christus, quidam disputent auctores. Alioquin nil eloquentius quam ista inter Moysen, Petrum ac Salvatorem confusio.

(2) In his enim Christus tantummodo cum mortuos ad vitam revocat, vel circa haud animatam materiam miraculum patrat, virga praeditus est.

puella, dum aqua ex alto cadente abluitur. Adest aliquis, qui manum catechumenae imponit; adest vir, caput nimbo circumdatum habens, quem alii baptismatis ministrum seu sacerdotem, alii ipsum Christum, cuius gratia baptisma confertur, esse putant.[1]



Tab. 169. S. Agnes. Ad originalis demensionem effictum (Bibl. Vat.).

Ex sententia I. B. de Rossi[2] istius ultimi generis vasa *strenae*, at aiunt, baptismales, seu baptismatis alicuius occasione oblata munuscula esse poterant; et aliunde talia, tum in nuptiis, tum in civilis cuiuslibet officii seu magistratus adeptione, tum in amplissimis epulis, tum utique cunctis sollemnioribus vitae diebus, fausta optandi vel obsequium praestandi caussa, offerri mos erat. Hinc intelligitur cur, in eiusmodi donis, personae, cuius interierat, imago, aut saltem nomen adhi-

(1) *Bull. di arch. crist.*, 1876, p. 7–15, tab. 1.

(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.*, 1867, pp. 27, 28; 1868, pp. 57, 58; 1875, p. 155.

bebatur, necnon persaepe inscriptio bona prosperaque praecinens. Exemplorum gratia:

— CONCORDI, BIBAS (vivas) IN PACE DEI;
— DIGNITAS, AMICORVM, VIVAT*is*;
— VIVAS, IN PACE DEI ZESES;
— HILARIS, vivas CVM TVIS OMNIBVS FELICITER
— SEMPER IM (*sic*) PACE DEI;
— HILARIS, VIVAS CVM TVIS FELICITER. SEMPER REFRIGERIS IM PACE DEI;
— DIGNITAS AMICORVM, PIE ZESES.

Supellex igitur illa, data opera ac secundum rerum personarumque celebrandarum indolem singularem condicionesve, parabatur et elaborabatur.(1)

(1) En quid Garrucci de quadam cuppa, apud bibliothecam Vaticanam recondita, habet: « Leggesi intorno l'acclamazione convivale: DIGNITAS, AMICORVM PIE; e ai tempi del Buonarroti seguiva ZES, ora perduto... Della frase *dignitas amicorum* tratta il Buonarroti, e dopo di aver detto che è, a suo credere, molto oscuro ed incerto in qual significato veramente sia presa in queste acclamazioni, in sostanza opina che può significare o la reciproca condiscendenza, benignità ed umanità, sì del padrone di casa, sì degli amici, quanto al padrone nell' invitarli, e in quanto agli amici nell' accettare l'invito e godere di buon cuore della liberalità del padrone; ovvero il convito stesso; o infine che possa essere una perifrasi equivalente a *digni amici*, e che s' inviti a bere la stessa comitiva. Ma ciò non può approvarsi se si considera che le acclamazioni scritte sì frequentemente sui vetri convivali non sono mai dirette agli amici del convitante, sibbene al convitante degli amici, nel qual senso ottimamente si interpreta *dignitas amicorum*: O tu che sei il decoro, il fasto dei tuoi amici; e siccome ha spiegato il Le Blant: *Orgueil de tes amis* (*Ann. de philos. chrét.*, 1863). Paragona la locuzione *dignitas formae*, che significa singolare ed eminente bellezza, e vedi Haveren ad Igino (tab. XLV). S. Agostino parla di quest' uso nel sermone 108, 3: " *Exhibes aliquam solemnitatem amicis tuis; audis ibi a bene opinantibus tibi dici: Multos annos vivas!* " Per converso, l'onore che si fa agli amici invitandoli a mensa non si appellò *dignitas*, sibbene *dignatio*, dacchè *dignatio* val quanto dire *honor* (SENECA, *Ep.* LIV): " *Quid ergo? M. Catonem utrumque et Laelium sapientem et Socratem cum Platone et Zenonem Cleanteumque sine dignatione summa accipiam?* ". E però *dignationem accipere* in S. Ottato di Milevi non vale *osculum accipere*, come *dignationem sumere* vale bere presso colui che ci ha fatto l'onore d' invitarci; il che appar manifesto, mettendo a confronto

Aliqua autem inscriptio eucharistiam innuere videtur, ut illa, exempli gratia, quae in calicis quodam fundo apud Priscillae coemeterium invento legitur: IIIE ZHCAIC EN ΑΓΑΘΟΙC, id est: « Bibe, vivas, in (istis) bonis ». Notandum est enim apud Patres Graecos, τὸ ἀγαθὸν bonum excellentissimum significare seu alimentum eucharisticum; τὰ ἀγαθὰ duas eucharisticas designare species. Potuit igitur eiusmodi inscriptio in fundo calicis alicuius *ministerialis*, seu eucharistiae distribuendae adhibiti, legi unde qui sanguinem sumeret Domini etiam optatum illud perciperet: « bibe vitamque sume in his bonis ».

Art. IV. — **Picturae vitreae seu smaltitae.** (1)

Mos figuras vitro fuso pingendi antiquissimus; forsan in Aegypto, multo ante Christum natum, primum apparuit, deinde in Perside aliisque Orientalibus regionibus; nec fuit Romae inauditus, licet opera huiuscemodi ab exteris populis illuc importarentur. Post Constantinum, haud talis videtur ars fuisse mminuta, neque barbarorum incursionibus penitus exstincta, quamvis pauca eaque incerta nobis, quoad tempus illud, maneant indicia. Saeculo autem sexto, denuo vitro fuso picta apparent opera, quae tamen nullam historiam imaginemve, sed varia, praesertim geometrica ornamenta florumque imitamina,

i due testi del medesimo scrittore. Ottato dice (lib. IV, p. 90, ed. Priori): " *Scandala contra nos ponitis, mandando singulis ne nos salutent, ne a nobis dignationem accipiant* "; indi (a pag. 92) ritornando sui medesimi sensi, scrive: " *Ecce et vester sermo est qui serpit, velut cancer, adeo ut salutationes et convictus prohibeatis* ". Di modo che, siccome al *nos salutent* dell' un testo rispondono le *salutationes* dell' altro, così al *dignationem accipiant* debbono far riscontro i *convictus*. Nè altrimenti S. Agostino adopera la frase *dignationem sumere* che Ottato *dignationem accipere*. Il luogo è nelle *Confessioni* di lui (lib. VI, 2), ove parlando delle agape solite darsi da sua madre S. Monica ai sepolcri dei Martiri, scrive: " *Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis praegustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non apponebat* " » (Garrucci, III, p. 125).

(1) Italice *opere di smalto*, gallice *émaux*.

metallicis prius delineata lamellis, deinque vitro fuso repleta, exhibent.[1]

Huius aetatis monumenta duo fuerunt praecipue memoria digna, duae scilicet relliquiarum thecae.

Altera, ad dominicae crucis aliquod fragmentum continendum destinata et a S. Radegunda primitus possessa (unde Radegundae relliquiarum nuncupata), Iustini II imperatoris (565-575) donum fuisse a nonnullis reputatur.[2] Cum, duodecim saeculis, apud Pictavium, in monasterio Sanctae-Crucis, fuisset asservata, rerum civilium in Gallia grassante perturbatione, direpta est. Aliqua tamen eius delineatio a P. Fontenau, monacho, facta fuerat; unde in formam diptychorum fuisse figurata dignoscitur.

Altera vero theca, olim quidem Romae, postea ad Petroburgum[3] translata, apud privatum castelli Goluchow museum nunc custoditur.[4]

Ambo haec opera Orientalia dici possunt, licet nonnulli veluti Occidentalia aliquatenus ea considerent. Saeculis vero sequentibus, plura huiusmodi exstiterunt specimina, quae Merovingica vocant et quae, praeter omnigena ornamenta, quibus etiam gemmae sunt insertae, aliqua interdum imaginum vestigia proferunt.

Si Paulo Silentiario fides sit adhibenda, in Constantinopolitana S. Sophiae basilica, vitreae picturae haud deerant. Ara praesertim maxima talibus, necnon gemmis, laminisque aureis aut argenteis erat insignita. Alia deinde assimilia passim opera producta sunt, inter quae notandae veniunt cruces, quae Vin-

(1) E. Molinier, *Histoire générale des arts appliqués à l'industrie*, Paris, t. IV, p. 26 sq.; *La grande enciclopédie*, t. XV, art. *Email*, p. 872; Saglio, *Dictionn. des antiq. grècques et rom.*, art. *Caelatura*; Kondakoff, *Histoire et monuments des émaux byzantins*, Francfort, 1892; Linas, *Emaillerie, métallurgie, toreutique: les expositions rétrospectives de 1899*, Paris, 1889.

(2) Texier, *Essai historique et archéol. sur les émailleries de Limoges*, Limoges, p. 104.

(3) Pietroburgo; St-Pétersburg.

(4) Fröhner, *Collection du château de Goluchow: L'orfèvrerie*, Paris, 1896, p. 76, n. 201, tab. XVIII.

dobonnae, Mediolani, Aquisgrani, ac Limburgi asservantur, necnon Longobardorum regum ferrea corona, apud Modoetiam hodieque recondita.

Quinque abhinc annis, Pontifice Pio X concedente, antiquus sacelli Palatini apud Lateranum thesaurus est apertus et perspectus. Ibi, inter multam relligiosam supellectilem, crux quaedam est reperta, aureis conflata foliis, et vitreis seu smaltitis picturis, id est infantiae Christi historiis, necnon circumcirca longa inscriptione, decorata.

De huius crucis origine et aetate valde tunc disputatum est. Grisar (1) et Lauer (2) qui aliunde fusius thesaurum Palatinum illustrarunt, eam eamdem esse atque aliam crucem a pontifice Symmaco (468-514) repertam contendebant; alii vero ad saeculum sextum, alii ad septimum, alii ad octavum vel ad nonum, alii etiam ad decimum vel ad undecimum tribuebant. Nemo ceterum potuerat inscriptionem, quae ad latera crucis est applicata, legere, hancque non esse integram sed commixtis inscriptionis alius fragmentis compactam affirmabant. Egregius tamen P. Bauer, eo quod theca huius crucis temporis Paschalis I (817-824) certo esset, ac inscriptio nomen ipsius *pas*CHALIS referret, crucem ad hunc pertinere pontificem pronuntiavit. Rem acu tetigit, nam cum primum, duobus circiter abhinc annis, inscriptionem nos extricare ac legere potuimus,(3) crucem revera a Paschale I Virgini Mariae voto oblatam fuisse patuit.

Cum vero de re magni momenti pro artis historia agatur, nec ea quae de inscriptionis talis interpretatione in *Ephemeridibus liturgicis* evulgavimus ad omnes archaeologiae peritos pervenire potuerint, aliqua de iis, quae tunc scripsimus, huc arbitramur addicenda.

(1) H. Grisar S. I., *Il « Sancta Sanctorum » ed il suo tesoro sacro*, Roma, 1907.

(2) Dr. Lauer, *Le trésor du « Sancta Sanctorum »*, apud *Mon. Piot*, Paris, 1906.

(3) P. Syxtus, *Nova circa thesaurum sacelli Palatini « Sancta Sanctorum » investigatio*. Excerptum ex *Ephemeridibus liturgicis*, 1910, mense Ianuario.

Primo quidem dubium non est crucem hanc *de smalto depictam* eamdem esse atque eam quam, saeculo decimo septimo, Laurentius Boninconti, collegii thesauro custodiendo praepositi scriba, sic descripsit: « Item in alia capsula argentea habetur crux ex auro purissimo cum septem mysteriis Iesu Christi, quae olim quotannis a pontifice balsamo inungi, et populo ostendi in die Exaltationis S. Crucis solebat ». (1)

Item ea ipsa est crux, de qua sic Iohannes Diaconus (saeculo XIII) scribit: « Et in alia capsa argentea et deaurata cum historiis est crux de smalto depicta, et infra capsam illam est crux Domini Nostri Iesu Christi ». (2)

Quod autem crux ista possit una eademque considerari cum cruce a Sergio I (687-701) reperta ac primitus Symmachi pontificis (488-514) iussu, iuxta *Librum pontificalem*, (3) conflata, prorsus negandum est. Etenim de papa Sergio legitur: « Tractis quattuor petalis in quibus gemmae clausae erant, mirae magnitudinis et ineffabilem portionem salutaris ligni dominicae crucis interius repositam invenit ». (4)

Porro crux nostra ex aversa parte non *quattuor* petalis, sed unico auri folio, in modum crucis exsecto, clausa erat; et huic quidem folio adhuc balsami non parum adhaeret.

Aliunde Panvinio, in suo *De praecipuis urbis Romae basilicis* libro, (5) asserit Sergii crucem direptam fuisse cum, anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo, Clemente VII regnante, Urbs vastata est.

Ad inscriptionem quod attinet, *a priori* verisimile haud erat frustula alterius operis, ad restaurandam crucem auream, crucis dominicae magnum fragmentum includentem, adhibita fuisse. Id improbabilius eo videbatur, quod frustula usurpata, verba quaedam continerent. Utcumque sit, figura hic apposita exhibitas habes litteras, quae singulis crucis lateribus inscriptae leguntur et quarum genuinus ordo, seu compages, reperiendus erat:



(1) Ap. RASPONI, *De basilica et patriarchio Lateranensi*, Roma, 1656, pp. 369, 373.

(2) Textum ex LAUER opere (*Le trésor « du Sancta Sanctorum »*, p. 25) excerpsi.

(3), (4), (5) vide p. 383.

Duae praecipuae in inscriptionis lectione sunt difficultates: nempe scire oportet undenam inscriptio incipiat, ac insuper siglorum significatio est detegenda. Prima difficultas ex eo praesertim pendet, quod superior crucis facies utra sit certo ignoretur, ac propter praeiudicatas quas retuli opiniones, crucis faciem, quae *de smalto depicta*, inferiorem crucis partem exstitisse potissime sit creditum. At, cum verisimiliter de votiva agatur inscriptione eaque quam brevissima, ab iis incipiendum verbis putavi, quae huic conceptui congruerent.

Initium igitur ab eo puncto sumendum est, ad quod, veluti ad terminum, alii pervenerunt, nempe a litteris PE..QVAES. Itaque ibi, non quidem *per quam est*, aut *per quam salus*, ut legit Grisar, sed, perinde ac in orationis cuiusdam initio legendum:

PE*to* QVAES*o*,

quae quidem formula Ciceronis est: *Peto quaesoque.* (1) Dein eadem parte verba sequuntur:

QVOD O A*lma* DoMINA.

Hae tamen eodem non sunt modo dispositae, nam litterae MINA praepostere ponuntur, ut e proposito schemate (p.) apparet.

Iam lectio duorum verborum sequentium nullam facessit difficultatem, nam subito deprehendimus:

*e*T *r*EGINA MVNDI;

littera enim T, quae ceteras praecedere debuisset, propter spatii angustiam in littera G inclusa fuit.

Sequitur littera H, quae initialis esse potest tum vocabuli HO*c*, tum vocabuli *Honorabile*; unde, cum sequentibus duabus litteris, habebitur:

vel HO*c* H*onorabile* (honorandum),
vel H*onorabile* (Honorandum) HO*c*.

Notemus obiter quanta congruentia sit inter haec verba et usurpatissimam illam hymnorum formulam: *Vexillum Regis venerabile – Vexillum sublime – Vexillum honorabile.* (2)

(3) *Liber pontif.*, ed. DUCHESNE, lib. I, p. 261.
(4) *Liber pontif.*, lib. I, p. 374.
(5) PANVINIO, *De praec. urb. Rom. basil.*, p. 189.

(1) CICERO, *Ad familiares epist.*, lib. V, epist. 4. — Doctissimus tamen Duchesne ibi *suscipe quaeso* esse intelligendum, in publico archaeologorum coetu, declaravit; nobis tamen, vel in hoc, nostra interpretatio servanda videtur, quia exempla similium verborum in epigraphis non desunt, ac nota est Christianorum epitaphiorum formula illa: *Pete et roga pro nobis.*

(2) CHEVALIER, *Repertorium hymnologicum*, n. 21484 (Vexillum regis venerabile cuncta regentis, o crux sancta), n. 21485 (Vexillum sublime crucis venerare, fidelis), n. 32833, etc.

Quisnam proinde dubitabit quin verbis iam perlectis ista, quae alioquin, licet inversa, subsequuntur, sint iungenda:

*ve*XILLVM CRVCIS? (1)

Iam vero, etiamsi cetera deessent vocabula, facile pars reliqua suppleri posset, cum, ad deprecativam votivamque orationem plene habendam, non nisi donatoris nomen modusque, quo donum fiat, requirantur. His plerumqpe doni additur ratio, quae tamen taceri ac subintelligi, ut in praesenti exemplo, potest. Et re quidem vera, sumendo et rationabiliter ordinando verba, quae dein permixte et confuse ultima latera crucis occupant, facile hic elicietur sensus:

|TI*bi* (ego) P|*as*CHALIS|
EPISCOP*us*T (id est T*uus*) |ME*re*AR|
O*fferre* A*nimo* T*oto*.

Tab. 170.

Nemo, quod sciam, siglam T recte transcripsit: nam R. P. Grisar loco eius tria puncta (sic ⋮) signavit; doctor vero Lauer non nisi crucem in ea perspexit. Verum enimvero, cum litterae istae lamellulis sint aureis circumdatae, et licet transversariae, quae sursum litteram T per ficit, hastae vitrum colorque omnino pessumierint, nihilominus lamellula vacua, adhuc exstans, pristinam litterae formam testatur, ut tabula 170 videre est.

Itaque, omnibus propositae inscriptionis partibus simul compositis, haec precis formula erit:

Peto quaeso(que), o alma Domina et Regina mundi, quod hoc honorabile vexillum crucis (ego) Paschalis tibi merear, episcopus tuus, toto animo offerre

At erit forte qui, ut clarius res demonstretur, scire velit, quomodo potuerint, in singularum inscriptionis partium coarctatione, tot errores committi. Rem explicare haud arduum.

En quo ordine cruci applicata fuit inscriptio:

PEQVAES || QVOD || OAD || ∀NIM || EGTINA MVNDIH || OH ||
1 2 3 4 5 6
OAT. || EPISCOP+ || MEAR || TIP || CHALIS || XILLVMCRVCIS ||
12 11 10 9 8 7

En nunc inscriptionis rectus ordo:

PEQVAES || QVOD || OAD || MINA || ETGINA MVNDIH || OH ||
1 2 3 4 5 6
XILLVM CRVCIS || TIP || CHALIS || MEAR || EPISCOPT || OAT ||
7 9 8 10 11 12

(1) Parva littera I sicut littera T apud *e*T EGINA in praecedente littera inclusa est.

Iste, ut arbitror, modus quo inscriptio vitro depicta est; in partes vero deinde divisa fuit (nisi iam per partes fuerit elaborata), ut ad latera crucis applicaretur; sed recte opus artifex perficere nescivit, unde confusio exorta.

Ut ex attenta collatione patet, partes, seu litterarum series, quae inversae, illae sunt:

4, 7, 8, 9, 10, 11, 12.

Nam, si 4 recte convertam, invenio:

PE*to* QVAES*o* QVOD O A*lma* DoMINA

Si 7 revolvam, habeo:

*et r*EGINA MVNDI HO*c* H*onorabile*
*ve*XILLVM CRVCIS

Si vero 8 e 9, veluti ac una essent pars, convertam, occurrit:

TI*bi* P*as*CHALIS

Item, si 10, 11 et 12 singulatim mutem:

ME*re*AR
EPISCOP*us* T*uus*
O*fferre* A*nimo* T*oto*

Huius autem inscriptionis lectio maximi momenti est, neque, si perspectam egregii illi auctores, quorum nomina retuli, aliique non pauci eam habuissent, tot de quaerenda huiusce monumenti aetate inania congessissent. Re enim vera, si crux praefata *vexillum crucis* illud est quod *Paschalis, episcopus Mariae Virginis*, ut *mundi Reginae*, tam humiliter obtulit, certo noscitur ornamentorum ipsius crucis aetas. Ita etiam finem habeant oportet quaestiones nonnullae, quae ad artis historiam pertinent et quae sat acriter sunt agitatae; talium nempe operum tandem tenetur exemplar, cuius origo haud ambigua: quod prorsus hucusque ab omnibus aevi medii archaeologiae peritis desiderabatur.

Uter vero Paschalis hic pontifex fuerit, primusne (817–834) scilicet an secundus (1099–1118), erit inter lectores forte qui dubitet.

Sed, ex una parte, nullibi, quod sciam, videmus Paschalem II, qui barbaris valde et turbidis vixit temporibus, in artis opera conflanda et offerenda fuisse intentum, dum contra Paschalis I huiuscemodi curis et largitionibus insignis exstitit. Sic *Libro pontificali* narratur, haud pauca munera hunc pontificem ecclesiis contulisse, potissimum ecclesiae S. Caeciliae, aedesque plurimas opere musivo exornasse; necnon innumera martyrum corpora e coemeteriis suburbanis in Urbem transferenda curasse, atque ipsius S. Caeciliae corpus, cum invenisset, in eius condidisse ecclesia.

Addenda aliunde ipsa, quae praebet ars, indicia, nempe inscriptionis et picturarum vitrearum, seu smaltitarum, pulchritudo, ac praecipue peculiaris, quoad repraesentata argumenta, indoles: mirum probe est, ad crucem decorandam, ad crucem, inquam, quae reliquias verae crucis continebat, non quidem luctuosa, sed laeta adhibita fuisse. Id sane vetustatem sapit, ac eiusmodi compositio coemeterialium picturarum quemdam cyclum imitata esse videtur.

Supra relatis nihil addendum foret, nisi Diehl etiam hoc opus arti Byzantinae vindicare conatus esset.(1) Verumtamen neque in Oriente, neque revera Orientali stylo elaboratum apparet; immo, praeter quam artifex alia Romana monumenta manifeste satis, in historiis ibi effictis, est imitatus, singularum imaginum forma generaliter crassior est, quam ut possit Byzantinis congruere modis. (2)

Art. V. — Thecae ex metallo. - Encolpia et numismata.

De eburneis sculptilibus supra disserendo, relliquiarum capsas hisce ornamentis insignitas memoravimus; restat ut ceteras eius generis thecas, scilicet ex metallo conflatas, obiter saltem inspiciamus.

(1) Haec quidem opinio eo est admittenda, quod eius auctor, recte sane, vitreas crucis picturas eiusdem ac crucem esse dicat aetatis; sed quisnam argumentum, ubi Christus ab obstetrice lavatur, modo quo est effictum, poterit saeculo quinto adscribere?

(2) Praestat quaedam doctissimi Grisar verba referre: « Il disegno, considerato in sè stesso, presenta bensì varie imperfezioni: figure tozze e sgraziate; difetto proveniente non solo dalla difficoltà del materiale, ma dalla maniera propria dell'ultimo tempo dell' antichità, quando, nell' impotenza di sollevarsi a slanciati ideali, prevaleva generalmente il greve e massicio. Alcune delle nostre figure richiamano le rigide forme dei personaggi in alcune scene sulla porta di S. Sabina in Roma, opera romana del secolo v, ove si scorge la mano pesante accanto alla sicura scioltezza di alcune altre. Più frequenti ancora s' incontrano siffatte forme tozze nelle figure scolpite sui sarcofagi. Basta questo carattere a distinguere le storie dei nostri smalti dai bizantini, almeno dell' età più fiorente. Uno sguardo alle riproduzioni degli smalti bizantini pubblicati recentemente dal Kondakoff, ovvero alle figure della teca del capo di Santa Prassede, fa vedere questa differenza; ma fa anche vedere i pregi dell' arte bizantina e come, eziandio di mezzo al suo carattere ieratico, conserva tutta la sua potenza di stile e di espressione. Con tutto ciò le composizioni della croce di Sergio (id est, illius de qua locuti sumus) hanno una cotale naturalezza, o, per dir meglio, una certa ingenuità di disegno. Nella loro originalità si direbbe quasi che sia riflessa la maniera dei mosaici di S. Maria Maggiore, del IV e V secolo (cf. pagg. 262, 290), ovvero delle storie della vita di Cristo nel cosidetto evangeliario Gregoriano di Cambridge » (Grisar, op. cit. *Carattere artistico della croce smaltata*, pp. 98–99).

Ut par est, illae variae fuerunt magnitudinis ac formae, sed plerumque malleo excusae caelataeve, necnon aliquando Orientalibus decoratae lapillis. Saepe insuper in eis imagines seu parvula deprehenduntur anaglypta.

Tabulae 171, 172, 173, tres relliquiarum thecas adumbrant, apud thesaurum sacelli Palatini, seu « Sancta Sanctorum » in Laterano, anno 1905, inventas: de quibus singulis pro instituto nostro dicemus.

Tab. 171. (Ex *Mon. Piot.* IV).

Prima auream ac *de smalto depictam* servabat crucem, quam modo illustravimus; est vero argentea, anaglyptis malleo excusis decorata, et ad Paschalis I aetatem (817–824) videtur pertinere.

Praeter agnum inter Evangelistarum symbola et, in facie superiori, Christi, inter apostolorum principes, in throno sedentis figuram, eius capsae caelaturae, perinde ac ipsius crucis, quam continebat, picturae, primordia Salvatoris referunt. Argumenta autem, a dextro latere incipiendo, sunt haec: Virgini Verbi incarnationem angelus nuntians, – Mariae et Elisabeth occursus, – Christi ortus et ab obstetrice lotio, – Magi et pastores stellam indicantes, – Magi Christo munera deferentes, – Christus in templo praesentatus. Quae quidem iuxta apocrypha scripta sunt elaborata: Maria quamdam ancillam semper secum habet, ac, quod prorsus aliunde inauditum, vel cum Simeoni divinum praebet infantem, sedet in throno.[1]

(1) Cf. GRISAR, *Il « Sancta Sanctorum »*, pp. 104–109, tabb. XXVIII, XXIX, XXX, XXXI; LAUER, *Mon. Piot*, XV, 1906, pp. 56–62, tab. X. —

Altera capsa, in crucis formam efficta, auream includebat crucem, quam *gemmatam* appellarunt. Eius aetas inscriptione ista patet: ✝ PASCHALIS EPISCOPVS PLEBI DEI FIERI IVSSIT. Est argentea cum anaglyptis, malleo peractis ac septemdecim evangelica exhibentibus facta quinque nempe in superiori facie, duodecim autem iuxta latera. Non solum, perinde ac in prima capsa, Passionis mysteria hic omissa sunt, sed ne primordia quidem adducuntur Christi. In superiori facie aliqua sunt evangelica quae ad eucharistiae sacramentum respiciunt argumenta, in lateribus autem variae Christi post resurrectionem suam apparitiones. Est sane animadvertendum, apud cenae ultimae adumbrationem, Christum, qui semper imberbis dum aquam in vinum convertit, barbatum conspici, Mariam vero etiam in his historiis, ubi revera praesens non fuit, saepe apparere. (1)

Tertia capsa, ex argento aurato, caelatum est opus, prioribus aliquanto recentius. Apud operculum, in orbiculato spatio, Christi, dextera librum tenentis, sinistra autem quasi loqueretur gestum agentis, dimidiata exhibetur imago, cui hinc et illinc, item in clypeis seu discis, adstant Petri ac Ioannis Baptistae, Christum adorantium, effigies. Apud latera dein, semper in orbiculatis spatiis, quattuor cernuntur evangelistarum cum libris dimidiatae figurae. Omnes caput habent nimbo circumdatum,

En quid hic auctor de stylo atque aetate huius capsae scribit: « Le type de saint Pierre surtout, avec cette tonsure *scotique*, dont la mode semble avoir été apportée de Grande-Bretagne par des moines irlandais et anglo-saxons, nous paraît être un excellent élément pour la fixation de la date. C'est la même tonsure que portent les moines de Marmontier dans la miniature du début de la Bible de Charles le Chauve. Ce saint Pierre ressemble beaucoup à celui d'une ivoire carolingien de la collection Stroganoff, où M. Hermanin a cru voir, par suite d'une confusion évidente, une représentation du Christ. De plus, les clefs qu'il tient forment le monogramme du nom *Petrus*. Cet usage de la clef monogrammatique est encore carolingien... Il n'est pas jusqu'au nimbe perlé et au type des anges, à grosses têtes allongées, qui ne reportent à l'époque carolingienne » (loc. cit., pp. 61-62).

(1) Cf. GRISAR, op. cit. pp. 129-135; LAUER, op. cit. pp. 62-67.

sed solius Christi nimbus cruce est insignitus. Unicuique imagini nomen adest, Graece conscriptum. Tandem spatia circum imagines relicta Arabicis, ut vulgo vocant, delineationibus repleta sunt. Opus hoc Orientalem prorsus sapit artem, et saeculo undecimo, quin forsan duodecimo, adscribendum est. (1)

Tab. 172. (Ex *Mon. Piot.* XV).

His tribus thecis multo vetustior capsa est quaedam, quam I. B. de Rossi Africanam nuncupavit, quia in Africa est reperta, et quae nunc in Vaticana asservatur bibliotheca. Ex numero capsarum earum fuit, quae, in basilicarum consecratione, relliquiis repletae, sub altaribus deponebantur, id est eiusdem generis ac illa, quam in tabula a duobus episcopis vide-

(1) Cf. GRISAR, op. cit. pp. 149-150; LAUER, op. cit. p. 75. — In hac capsa pittacium membranaceum inventum est, cum hac inscriptione: *Reliq. S. Ioa. Bapt.*

mus deferri. Argentea est cum anaglyptis malleo elaboratis et ad saeculum quintum incipiens generatim addicitur (Tab. 174).



Tab. 173. Capsae argenteae fere ad originalis demensionem efficta imago. (S. Petrus ac S. Ioannes Christum adorantes).

In operculo imago cuiusdam est viri, monti, e quo flumina quattuor manant, insidentis, coronam ante pectus ferentis ac inter duo candelabra positi; ex alto autem manus caelestis

protenditur, coronam super capite eius tenens. I. B. de Rossi illum martyrem, cuius relliquiae in capsa erant servatae, arbitratus est, eique istos Flori Lugdunensis versus aptavit:

At Domini testes, sacrato sanguine loti,
Vertice laurigero sidera celsa petunt;
Quos toga pacifico vestit praefulgida cultu
Regalique ambit purpura clara peplo.
Hos ceu fructiferas florens paradisus olivas
Irriguo vitae iugiter amne rigat.
Hi sunt aeterno candelabra fulgida templo. (1)



Tab. 174. (Ex *Bull. di arch. crist.* 1882)

Mirum prorsus quod illustris ille archaeologus his versibus voluerit imaginem illam tamquam martyris explicare. (2) Versus enim, iuxta Apocalypsis verba: « Hi sunt duae olivae et duo candelabra in cospectu Domini terrae stantes », (3) perspicue

(1) Florus Lugd., *Hymnus in natale Ss. Ioannis et Pauli*, vv. 37–43.

(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1887, p. 127. « Cotesti versi possiamo applicare *letteralmente* al martire della capsella africana, stante laureato sulle sorgenti delle irrigue acque di vita, tra i fulgidi candelabri del tempio eternale ».

(3) *Apoc.* XI, 4.

sunt compositi, ideoque candelabris martyres sunt adumbrati, et, quia *in conspectu Domini terrae* esse dicuntur, vir insidens monti certissime Christus est, qui, dum martyribus coronam tenet paratum, ipse, perinde ac apud omnigena alia monumenta, caelestis Patris manu coronatus seu coronandus inducitur. Nec minus absone quintus ac sextus versus imagini interpretandae adhiberentur; nam in his « paradisus florens martyres, ceu olivas fructiferas, irriguo vitae amne iugiter rigare » dicitur, quod, nisi res omnino distorqueantur, minime hic perspici fatendum est. Nec iuvat obiicere, in Europa interdum ac saepius in Africa, martyres, aut etiam fideles quosdam, inter candelabra effictos esse, seu ut viro sic ostenso venerationem aliquam tribuendam esse indiceretur, seu ut, ex Apocalypsis textu, animam illius inter beatos apostolos, qui tam frequenter aliunde apud anaglypta funeraria cernuntur, iam esse admissam significaretur. Nunquam quippe, in istiusmodi imaginibus, sancti aut fidelis figura insidet monti, e quo quattuor paradisi scaturiant flumina; ac nullibi praeterea effigiei talis vel unicum repertum est exemplar, quo, Christum repraesentari non sit agnoscendum.

In orbiculato capsae latere, versus dexteram, mons est, e quo quattuor item emanant fontes, ad quos hinc cervus, illinc cerva ebibit. Supra montem vero, fulget monogramma, quod saepe, ut alias vidimus, ipsius locum tenet Christi. Pone bibentes cervos duae sunt palmae arbores, dein duo aedificia, ecclesiarum similia. Post haec alia incipit compositio, quae in latere evolvitur sinistro. Ibi, in medio agnus divinus iuxta crucem, cui agni octo, e variis aedificiis egressi, utrinque appropinquant. Nota est haec ambarum ecclesiarum, id est ecclesiae ex Synagoga et ecclesiae ex gentibus, ad Christum accedentium adumbratio, quippe quae fere in omnibus basilicarum saeculi quarti et subsequentis aetatis deprehendantur musivis.

Quoad stylum, capsae haec anaglypta nullum Byzantinae artis indicium prae se ferunt et certo in Africa fuerunt elaborata, quia inter cetera oves ibi effictae, ob caudae suae, in globum fere desinentis, formam, ovini Africani propriae sunt generis, quod apud Tunicensem regionem vel hodie viget.

Metallicae aliae non paucae relliquiarum [1] thecae sive in ecclesiis servantur, sive in museis iacent: omnium forsan antiquissima S. Nazarii est arca, quae apud Mediolanum superest et quam periti omnes quarto saeculo adscribunt. [2] Sed de his satis.

Encolpium autem (a Graecis verbis ἐν et κόλπος, scilicet *in sinu* habere) quamlibet parvulam designat relliquiarum thecam, auream vel argenteam plerumque, quae collo suspensa ferebatur. Talis vero usus iam inde a saeculo quarto coepisse dicendus est, huiusque praecipua caussa, ut videtur, crucis sacratissimae Iesu Christi inventio. Multa enim ex ea cruce parva mox ablata fuerunt fragmenta ac per orbem universum distributa, [3] unde S. Paulinus Nolanus, qui huiusmodi tenue receperat, aiebat: « In segmento pene atomo hastulae brevis, munimentum praesentis, pignus aeternae salutis ». [4]

Quod, hac aetate, encolpia iam a fidelibus vulgo fuerint usurpata, patet ex pluribus scriptorum testimoniis. [5] Sic S. Ioannes Chrysostomus (347–407), in quadam sua contra ethnicos et Iudaeos concione, dum crucis triumphum celebrat, omnes, tam viros quam mulieres, qui verae crucis particulam aliquam possedissent, eam auro inseruisse ac, veluti bullam, ad collum suspensam portasse, asserit. [6] Eodem fere

(1) Velut relliquiae tamen, ante saeculum septimum, haud corporis seu ossium partes, sed plerumque lintea, vel res aliae, quae cadaver aut saltem sepulcrum martyris tetigerant, servabantur.

(2) Cf. GRAEVEN, apud *Zeitschrift für christliche Kunst*, Bd. 12, 1899, tab. 1 sq.

(3) De crucis relliquiarum dispersione haec notanda clarus P. Grisar habet: « La santa croce fu dapprima in Gerusalemme conservata in custodia d' argento e poi d'oro, e a tempi determinati mostrata al popolo... Che poi nel IV secolo già fosse diviso e distribuito il santo legno della croce, ne abbiamo indizi in monumenti giunti fino a noi. Fu scoperto, non ha molto, un elenco di reliquie della *memoria* dei martiri Vittorino e Miggino, presso Setif in Algeria, il quale rimonta all'anno 359 e porta in capo a tutta la lista le parole: " Segno della vera Croce del Salvatore " ».

(4) S. PAULINUS NOL. *Epist.* XXXI, ad Severum.

(5) Aliunde vetustiora encolpia iisdem symbolis ac monumenta alia quarti saeculi sunt insignita, praesertim monogrammate.

(6) S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Opera*, ed. MONTFAUCON, t. I, p. 571

modo, et interdum fusius, nonnulli alii quarti ac quinti saeculi loquuntur auctores, ut S. Cyrillus Ierosolymitanus (m. 386), in sua ad Constantinum epistola [1] nec non apud *Catecheses* suas, [2] Sulpicius Severus (m. 406), Rufinus Aquileiensis (m. 410), Socrates, Sozomenus ac Theodoretus (saec. v) etc. [3] Amator autem, Antissiodorensis episcopus (m. 418), narratur velut Dei servus agnitus fuisse, eo quod encolpium collo gereret: « Cum eis esset ignotus, capsellari honore, quo reliquias inclusas pendulas collo gestabat cognoverunt Dei esse famulum et cultorem ». [4] Quomodo autem undique propagatus fuerit ac pene universalis mos ille evaserit Nicephorus, Constantinopolis patriarcha, nos edocet, quippe qui adversus iconoclastas scribens, encolpiis istis, apud quae Salvatoris miracula, passio et gloria ostenduntur, Christianas gentes repletas esse, idque ab antiquo, audacter affirmet. [5]

Decursu temporis, encolpia in formam crucis conflari coeperunt, non tamen ante quarti saeculi finem, [6] ut ex ipso

(1) S. Cyr. Ier. *P. G.* t. XXXIII, 1167.

(2) *Cath.* IV, c. 10; *Cath.* X, c. 19; *Cath.* XIII, c. 4.

(3) Cf. Pennacchi, *De inventa Ierosolymis Constantino Magno imper. cruce D. N. J. C.*, Romae, 1892; Duchesne, *Liber pontificalis*, t. I, p. cvii.

(4) Stephanus Africanus (saec. vi), *Vita S. Amatoris*, apud *Acta sanct.* t. I, p. 57. — In hac vero quaestione tractanda, caute admodum commenticiis martyrum Actis utendum est, utpote nullo sincero certoque documento innixis et multo post ista, quae referunt, facta conscriptis.

(5) Nicephor. *Antirrhet.* III, ap. Mai, *Nova patr. bibl.* V, *P. L.* p. 99.

(6) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1863, pp. 31–39: « Les témoignages (des écrivains) et les trouvailles semblent indiquer que les *encolpia*, au quatrième siècle et au commencement du cinquième, n'avaient pas encore la forme de croix. Cette opinion est confirmée par les anciennes croix pectorales trouvées, aux siècles passés, dans les tombeaux, ou conservées dans les églises et les musées. Elles sont byzantines et postérieures au vi^e^ siècle. Malgré cela, l'usage de porter des croix sur la poitrine a été certainement introduit dès la fin du ive siècle. Le *mundus muliebris* de Marie, fille de Stilicon et épouse de l'empereur Honorius, fut enseveli avec elle dans la basilique Vaticane et retrouvé en 1544. Il est bien à regretter qu'on l'ait détruit; on en tira, outre les perles et les pierres précieuses, quarante livres d'or. Lucius Faunus nous a laissé un

Christianorum repetendum est more, iuxta quem, tunc temporis, haud saepe crux simplex effingebatur, sed potius crux adhibebatur monogrammatica. Primus qui de thecis cruciariae formae [1] loquatur, Gregorius est Magnus (m. 604); at I. B. de Rossi unam huiuscemodi, in quodam S. Laurentii basilicae sepulcro, invenit capsellam, quae saeculo sexto videtur satis antiquior. [2]

Utcumque sit, forma ista communis deinde facta est. Encolpia vero, sic in crucis speciem conflata, haud necessario relliquias dominicae crucis inclusisse sunt reputanda, et minime videntur huic usui addicta fuisse, ea quae ipse papa Gregorius Theodolindae, Longobardorum reginae, Recaredo Wisigothorum duci aliisque principibus misit, [3] ac ceteroquin alia illa quae Iustinus imperator Romano obtulit pontifici (Tab. 175). Hinc fit ut, ad crucis dominicae thecas ab aliis relliquiarum capsis distinguendas, neque forma crucis, neque symbola passionis. neque nomen Christi, aut Iesus, aut Emmanuel (quod post medium saeculum quintum in parvulis supellectilibus ap-

catalogue de tous ces objets de toilette (*Antichità romane*, lib. V, cap. 10), et il n'y mentionne pas moins de *dix petites croix d'or*, couvertes d'émeraudes, et autres pierres précieuses. Au musée Kircher j'ai vu une petite croix d'or, vide à l'intérieur afin d'y renfermer des reliques; elle est attachée à un anneau pour être portée au cou, et les extrémités des branches semblent ornées de petites grappes de raisin. La simplicité de cet *encolpium* témoigne, à mon avis, de son antiquité; je ne le crois pas postérieur au IVe siècle. Dès la fin donc du IVe siècle ces croix furent usitées; mais les rares exemples que nous en connaissons sont d'une grande simplicité et sans inscriptions » (pp. 37, 38). — Cf. MARTIGNY, *Dictionnaire des ant. chrét.*, art. *Encolpium*, p. 233.

(1) Forma illa praesertim adhibita est, cum de conspicuis ageretur relliquiis, et sic grandioris mensurae quaedam ortum habuerunt *processionales*, ut vulgo ac barbare vocant, cruces, quae, hastis praefixae, in religiosis pompis, seu *processionibus*, deferebantur, et quarum crux a nobis superius descripta specimen forsitan est pulcherrimum.

(2) I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1863, pp. 31–38. — Haec apud christianum bibliothecae Vaticanae museum nunc recondita est.

(3) S. GREG. *Epist.* lib. III, n. 32; lib. IV, n. 122; lib. XIII, n. 42; lib. XIV, n. 12.

paruit) sufficiant. Ampullae sedecim, exempli gratia, nunc apud Modoetiam reconditae et quae a sanctis Palestinae locis reginae Theodolindae sunt allatae, augustissima quidem passionis mysteria referunt, sed tamen lampadarum, apud praecipua sanctuaria ardentium, oleo tantummodo erant impletae. Nec solummodo relliquias encolpia continebant, at etiam interdum



Tab. 175. Crux Iustini imp.

versiculos quosdam evangelicos, in pittacio membranaceo descriptos; falso vero Pelliccia ea etiam sanctam servasse eucharistiam est arbitratus. (1)

(1) I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1863, p. 37: « Pelliccia a prétendu, qu'elles (scil. encolpia) avaient plutôt servi à la sainte Eucharistie, que les anciens chrétiens portaient à leurs maisons (PELLICCIA, *De Christ. eccl. politia*, éd. BASSANI, t. III, p. 31). Son opinion était fondée sur une fausse supposition: il croyait que ces tombeaux (ubi encolpia inventa fuerant) appartenaient au temps des persécutions; tandis qu'ils étaient postérieurs à Constantin »,

Quod supra de encolpiorum usus aetate disseruimus, haud similiter de religiosis numismatibus aliisque resculis quae collo appendebantur dicendum est, multo enim ante pacem Ecclesiae iam in usu fuerat inductum ut signum aliquod relligionis ac devotionis supra pectus, e collo, veluti bulla, pendens, gereretur sub vestibus, de quo quidem usu plura monumenta testantur. Notavit enim I. B. de Rossi quaedam encolpia symbola primaeva prae se ferre pulcherrimaque esse arte incisa, ita ut minime possent saeculo quarto adscribi. Tale est, exempli gratia, numisma tabula 176 adumbratum, in quo bonus Pastor habetur cum suo grege eo modo effictus, quo in saeculi tertii sculptilibus cernitur. Talia quoque sunt quaedam encolpia piscis sub forma conflata, et quae, licet potuerint ab ethnicis effingi, tamen fuisse a Christianis usurpata non est dubium.[1] Ceterum si iam saeculo secundo symbolica signa in gemmulis anulorum incidebantur, cur non etiam in numismatibus quae super pectore ferebantur?

Post pacem Ecclesiae, maxime talis increvit usus, ac numismata illius temporis plura supersunt, quorum aetas ex imaginibus incisis, necnon ex artis modo erui fas est. Sic ad quartum saeculum ea sunt plerumque adscribenda quae Christi monogrammate ☧ apparent insignita (Tab. 178) ac, propter artem, potius quam ob imagines et argumenta repraesentata, quae vel quinto saeculo conveniunt, eidem tempori numismata tabularum 180, 181, sunt tribuenda. Ad quartum vel ad quintum saeculum rite numismata tabularum 179, 182, 183, 184 pertinere dices, quia crux ibi apparet evidens, monogramma litterae comitantur apocalypticae A et Ω, ac solus Christus nimbo habet caput circumdatum; denique numismata tabularum 185, 186 recte sunt saeculo vertenti quinto aut sexto tribuenda, quia ibi vel angeli nimbum portant, ars vero aut byzantina iam aut fere est. Generatim autem, in his posterioribus, symbola et argumenta antiqua non desunt sed opus deterius apparet, et aliquando insuper alia argumenta basilicarum propria cernuntur (Tabb. 183, 185).

(1) Cf. De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1863, p. 38, ed. Gallica; 1875, p. 155 sq.; *Notiones*, vol. I, pars prior, tab. 148, p. 381.

Ad encolpiorum inscriptiones quod pertinet, aliae aliquam sententiam exprimunt, ut illae cruci, apud S. Laurentii basilicam repertae, incisae, de qua supra locuti sumus, nempe in superiori facie: « Crux est vita mihi – mors inimice tibi », et in facie aversa: EMMANOΥΗΛ ΜΕΤ ΗΜΩΝ ΘΕΟC = *Emmanuel, Deus nobiscum.* Aliae vota et optata praebent; ut, exempli gratia, ista: SECVNDINE VIVAS, et in tabula 182 ZOSIME VIVAS – SVCCESSA VIVAS; interdum nomen solummodo illius cui encolpium donabatur erat expressum. Quia vero in aliquibus encolpiis aliqua Deo oblatio repraesentatur (exempli gratia in tabulis 180, 181, 182, ubi calix et cereus altari deferuntur), ita encolpia, ait I. B. de Rossi, non solum velut signa, memoriae ac testes in Iesum Christum fidei sanctorumque intercessionem habebantur; sed etiam aliquando devotionis, seu propriae consecrationis personae Deo factae, ante altare ac in celebri aliquo sanctuario, erant tesserae, aut saltem pignus fiebant officii et obligationis ad baptismatis fontem assumptae.[1]

(1) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1869, p. 57: « Nous voyons, pergit auctor, par là, que la coutume qu'ont les fidèles de nos jours de porter des médailles de dévotions qu'ils ont reçues à leur admission dans certaines confreries, ou à l'occasion des visites à certains sanctuaires, est une tradition très ancienne que les monuments attestent d'une manière incontestable, bien que les écrivains de notres antiquités n'en fassent aucune mention. Et ce n'est pas ici le seul cas, où l'archéologie chrétienne nous découvre les lointaines origines de rites et de pratiques, dont on chercherait vainement les traces dans les documents écrits et dans l'bistoire ». Et paullo post: « Je suis très porté à croire que quelques-unes des médailles de cette classe sont baptismales. Car leur propriété de tessère et de mémorial de consécration à Dieu s'adapte aussi fort bien au seul baptême, où le néophyte renonçant à Satan et à ses œuvres mauvaises, et courbant sa tête sous le joug plein de douceur de la loi du Christ, reçoit par sa foi en lui et par sa grâce divine l'adoption d'enfant de Dieu. Et en effet, les scènes pastorales allusives au troupeau du Christ, celles de la loi que les apôtres sont chargés des prêcher, et dont le livre est remis par le Sauveur aux mains de Pierre, les épigraphes acclamatoires de la vie en Jésus-Christ, les colombes et les cerfs qui vont se désaltérer, tout cela convient à merveille à l'entrée de l'infidèle dans le saint bercail et à sa profession solennelle de la foi et de la loi chrétiennes » (p. 58).

Numismata aliaeque resculae haud solum relligionis sed et superstitionis et haeresis fuerunt signa, nec tantum e collo pendentia, sed et vestimentis tamquam talismana (ut dicunt) insuta, vel ad corporis membra alligata. Eiusmodi res amuletorum vocabulo veniunt, variumque finem habuisse deprehenduntur, nempe alia ad sanitatem recuperandam, alia ad pericula arcenda, alia ad bona aliqua obtinenda erant destinata, diversis invocatis virtutibus atque angelicis nominibus, quae ideo amuletis, una cum adiurationum ac precum formulis superstitionisque signis, incidebantur. (1)

Contra omnigena superstitiosa amuleta Ecclesia ac Patres acriter repugnarunt, (2) ipsique aliqui Christiani imperatores talium usum legibus prohibueruut; (3) at quam parum haec omnia profecerint innumera produnt quae nobis adhuc manent monumenta. Id nihilominus mirum videri non debet, nam multi fuerunt haeretici, gnostici praesertim ac syncretistae, qui, nulli prohibitioni obnoxii, ea signa tuto ac velut relligionis cultusque emblemata adhibuerunt, multi etiam inter orthodoxos aliquid de primaevis, potissimum Orientalibus, cultibus unde fuerant egressi retinuerunt; aliquando denique nominibus Dei, Christi, Iesu, Ictys et angelorum simpliciores animae decipiebantur.

Ad gnosticos quod pertinet, amuleta sola eorum haeresum supersunt certa monumenta, plerumque vero solis, angelorum, etiam apocryphorum, bestiarum, monstrorumque simulacra produnt et *Abrasax* hodie vocantur, propterea quod hoc vocabulum saepe prae se ferunt, Dei autem gnosticorum nomen

(1) Cf. CABROL–LECLERCQ, *Dictionnaire d'arch. chrét. et de liturgie*, artt. *Abraxas, Adjurations, Amulettes, Basilidiens.*

(2) *Conc. Laodic.* (343–381), can. 36, ap. MANSI, t. II, col. 570; *Decr. Gelasianum*, ap. PREUSCHEN, *Kürzere Texte zur Geschichte der alten Kirche und des Kanons*, Freiburg im Brisg.; S. IOAN. CHRYS. *Homil. VIII in epist. ad Coloss.*, 5, *P. G.* LXII, 357; S. AUGUST. *Serm.* IX, 3, 17, *P. L.* XXXVIII, 57, 88; S. GAUDENTIUS BRIX., *De lect. Exodi*, Traet. IV, *P. L.* XX, 867 sq.

(3) *Codex Iustin.* lib. IX, tit. XVIII, 4, 5.

Tab. 176.



Tab. 177.

Tab. 178.



Tab. 179.

Tab. 180.



Tab. 181.

Tab. 182.

Tab. 183.

Tab. 184.

Tab. 185

Tab. 186.

est.[1] Quoad formulas in phylacteriis incisas, istae diversae fuerunt indolis, scilicet sententiarnm, precum et adiurationum sub forma expressae. En singularum aliqua exempla:

— ΜΕΓΑΛΗ ΤΥΧΗ ΤΟΥ ΞΥCΤΟΥ, Xysti fortuna magna.
— DN IHVXPS DEI FILIVS, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius.
— SEPARA TE DEMONEM A FLORENT || IA QVEM (quam) PEPERET (peperit) IVSTA QVIA || HOC IVBET MAGNVS DEVS || IAM IAM CITO IN NOMINE || DEI.[2]

— † In nom(ine) d(omi)ni Ieso Christi denontio tibi inmondissime spirete tartaruce, quem angelus Gabriel de catenis igneis religavit qui habet decem milia barbar... post resurrectione(m) vinisti in Galilea(m); ibi te ordinavit, ut silvestria loca collemontia oputi ne hominebus... teneris, aut tunc demum ore ... grandene invoceres. Vede ergo, inmondissime spirete tartaruce, ut ubiconqua nomen d(omi)ni audiveres vel scriptura(m) cognoveres non possis ubi vellis nocere, inante habias Iordanis fluvio,

(1) En quid de hoc nomine habet TERTULLIANUS: « Ab angelis CCCLXV caelos institutos et mundum in honore Abraxe cuius nomen hunc in se habebat numerum computatum » (*De praescript.*, c. XLVI, *P. L.* II, 62). Revera enim, si singularum huius nominis Graece conscripti computantur litterarum, numerus ille habebitur, quod item de nomine μειθρας dicendum. En utriusque computatio:

α.	1	μ.	40
β.	2	ε.	5
ρ.	100	ι.	10
α.	1	θ.	9
σ.	200	ρ.	100
α.	1	α.	1
ξ.	60	σ.	200
αβρασαξ =	365	μειθρας =	365

(2) *Bull. della Commiss. arch. comunale*, Roma, 1881, p. 165.

quem transire non potuisti;
requesitus quare transire non
potuisti dixisti: quia ibi ignis
a ganea ignifera corret; et ubi-
conqua semper tibi ignis a ganea
ignifera corsat. Denontio tibi
per domino meum; cave te †††.(1)

(1) ZANGEMEISTER, *Corpus inscript. Lat.* t. III, p. 961.

Haec inscriptio, plumbeae tabellae incisa et in Dalmatia apud Tragurium, saeculo ultimo, reperta, omnium exorcizorum huiuscemodi antiquissimum exstat exemplum, necnon, propter vulgarem Latinam qua est conscripta linguam, haud paucam philologis studii materiam praebet.

Praestat duas hic egregii BERTONI animadversiones adduci uti apud vere pretiosam nuperque in lucem proditam Elhemeridem (*Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétiennes*, Paris, Lecoffre, 1911, n. 2, pp. 82–87) leguntur:

« Dans ce texte, il y a lieu de noter les phénomènes suivants, propres au latin vulgaire: la finale *-u* devenue déjà *-o*, *Ieso* 1, *domino* (*-um*) 23; chute de *-m*, *resurrectione* 7 (Zang. met sans raison l'*o* entre crochets), *dece-milia* 6, *grandene* 11; plusieurs *i* atones représentés par *e*, *spirete* 3, 12, *opteneres* 10, *invoceres* 11 (*grandene* 11) *audiueres* 13, *cognoueres* 14, etc.; *u* bref accentué devenu *o* fermé, *corret* 20, *corrat* 22, et à l'atone; *obiconqua* 13; *-ue* changé par analogie en *-ua*: *ubiconqua* 21 (13). Si *igniuera* 22 n'était pas une leçon douteuse, on aurait aussi un beau cas de *f* en *o* entre voyelles.

« On a déjà remarqué que cet exorcisme n'appartient pas au genre imprécatoire des exorcismes païens, par lesquels presque toujours on cherchait à attirer la colère des dieux infernaux sur une personne haïe, vivante ou morte. Et l'on sait que dans ce dernier cas, l'exorcisme était déposé quelquefois avec le cadavre, dans le tombeau. Notre texte, au contraire, est empreint de christianisme, et il a pour but d'éloigner une certaine calamité, qui n'est pas clairement indiquée, mais qui, à mon avis, pourrait bien être la grêle. Les deux troux que présente cette " tabella plumbea " semblent bien prouver qu'elle a été faite pour être suspendue à un arbre, au milieu des champs, ou fixée au mur d'une maison.

« Il importe de noter que l'esprit malin que l'on veut conjurer est appelé ici *tartaruce* (ou " infernal ") et est représenté sous la forme d'un être ayant " decemilia *barbar...* " 6, et emprisonné autrefois par l'ange Gabriel. Ce mot *barbar...*, mutilé dans la plaquette, fait songer au grec βαρβαρ, qui désigne l'esprit conjuré dans un autre exorcisme illustré par Fröhner. Seulement, dans notre texte, comme il s'agit de " dix mille *barbar...* ", nous sommes autorisés à croir que ce mot pouvait aussi

Erant quoque defunctorum amuleta, quae scilicet, sicut apud populos Orientales, in sepulcris deponebantur ne mortuorum turbaretur requies neve sepulcra violarentur. Haec clavorum sub specie saepe effingebantur, quibus animalium incidebantur figurae, necnon formulae *Artemix* seu infernalis Hecatae nomen commemorantes. Sic quaedam ex his formulis ita finem facit:

TER DICO TER INCANTO IN SIGNV DEI ET SIGNV SALOMONIS ET SIGNV DE NOSTRA ARTMIX. (1)

Ut patet, neque totus ethnicus, neque totus Iudaeus, vix autem Christianus scriptor huius formulae videtur.

Art. VI. — Instrumentum domesticum.

Nomine *instrumentum domesticum* ea omnia veniunt quae personis proprie inhaerebant et ad vitae necessitates aut commoda destinata erant. Plura igitur huius generis monumenta iam supra recensuimus; unde pauca, etiam pro instituto nostro, sunt hic adiungenda. Non solum instrumenta ad cultum sacrum adhibita, sed etiam domestica apud Christianos, praesertim post pacem Ecclesiae, religiosis fuerunt symbolis et inscriptionibus insignita. Sic innumerae prorsus lampades, monilia, gemmulae, vasa aliaque huiusmodi ac vel mundus muliebris crucem aliquam sive solam, sive cum possessoris nomine coniunctam prae se ferentes repertae sunt. Hic usus universalis pene erat, ac praeter monumenta plurima, documenta quoque idem confirmant. In testamento S. Remigii inter alia haec legebantur: « Remigiae cochlearia tria quae

avoir le sens de " racine ", ainsi que le prouvent d'autres exorcisme, par exemple celui-ci. en ancien italien, contre le " mal de la madre ": *Madre che tien. 15. radixe muza come bo. salta chome can. morde chome lupo. baia chome chan. rumega chome lione. nuta chome pesse. storzesse chome serpe. e pianze nel corpo de la dona. io te sconzuro madre zoe mal de madre per lo dio abraam per lo dio isac*, etc. ».

(1) De Rossi, *Bull.* 1869, ed. Gallica, p. 61; Bruzza, ap. *Annali dell'Istituto di corrispondenza arch.* 1881, p. 291.

meo nomine sunt titulata », [1] in historia vero episcoporum Antissiodorensium de cochlearibus ista est mentio : « Cochlearres XII pens. lib. III. habent. caudas scriptas ». [2] Nec sola nomina, sed integrae aliquando adclamationes instrumentis describebantur, ut in quadam bulla apud Aquileiam reperta hac inscriptione insignita : EVSEBI SENESCAS CVM DIGNITATE, EVSEBI PERFRVARIS DIGNITATEM TVAM. [3] Simul cum hac bulla aliquae fuerunt ligulae inventae, quae etiam biblica referebant argumenta, nempe in una Abraham sacrificium, in alia Magorum adorationem, in alia insuper, catechumeni baptisma, quod quidem symbolum aliquid proprium Aquileiensium monumentorum dici potest ; nam etiam in sepulcrorum marmoribus illic apparet.

Biblica argumenta in pectinibus expressa praesertim fuerunt, cum ista ad sacerdotis sacra facturi caesariem componendam erant adhibita ; hic autem usus per totum aevum medium perduravit ac proprium diaconi fuit officium caput celebraturi pectere. [4] Pectines eiusmodi plures reperti sunt, scilicet unum apud Clusium, unum apud Antinoen in Aegypto, duo apud Panopolim (Achmin, etiam in Aegypto), nonnulli vero in catacumbis Romanis et alibi. [5] Nuperrime aliud exemplum, apud Salonam doctissimus Bulic invenit, sciteque illustravit. [6]

Ad monilia autem quod pertinet, monumenta quamplurima exstant eumdem morem comprobantia, praesertim vero annuli qui, praeter crucem, integra persaepe optata votaque prae se in orbiculo ferebant. Ne de annulis episcoporum, abbatum ac virginum loquamur, quae certo religiosum signum aut dictum

(1) HODOARD, *Hist. Rem.* lib. I, capp. XVIII et XXIII.

(2) Cf. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* 1868, p. 82.

(3) DE ROSSI, loc. cit. p. 83.

(4) DURAND, *Ration. div. off. pol.* 151 : « Diaconus toballia circa eius (celebraturi sacerdotis) collum circumdata, pectit decenter et leviter caput eius ». Cf. DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, art. *Pecten* ; KRAUS, *Real-Encycl.*, art. *Kamm* ; MARTIGNY, *Dictionn.*, art. *peignes*.

(5) DE ROSSI, *Roma sott.* vol. III, pp. 305, 334, 346, 585.

(6) BULIC, *Bull. di arch. e storia dalmata*, 1898, p. 159 ; *Nuovo Bull. di arch. cristiana*, Roma, 1902, p. 41-45.

incisum habebant, en annulorum inscriptionum aliqua specimina : (1)

— IN DEI NOMINE
— IN $\overline{DI}$ NVMINE $\overline{A}$ = « In D(e)i numine a(men) »
— CON M ☧ E VIVAS = « Cum me vivas »
— MICAEL (*sic*) MECV(m) VIVAS IN DEO
— ✝ TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO (suo) RATINE
— ALOIOSAE VIVAS IN KYRIω (*sic*)
— NYBIVM DEXTERA DOMENI EXALTAVIT ME DEXTERA DOMENI DEO ET VIRTVTE VTERE FELIX
— ET VERBVM CARO FACTVM EST
— ACCIPE DVLCIS MVLTIS ANNIS
— ΑΓΙΟ[Ι] ΚΟCΜΑ ΚΑΙ ΔΑΜΗΑΝΕ ΒΟΗΘ[Ο]Ι = « Sancti Cosma et Damiane adiuvate nos »

Hinc rite De Rossi animadvertit quam Christi fidelibus, vel a prima pacis aetate, cordi esset omnem, etiam domesticam supellectilem, imaginibus symbolisque relligiosis exornare. Hic sane mos Apostoli congruebat praeceptis, qui ad Corinthios scripserat: « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite », (2) et ad Colossenses: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum ». (3)

Nec deerant annuli funerarii, quorum scilicet inscriptiones quaedam essent veluti epitaphia, neque, ut videtur, aliae pretiosae resculae cum eiusmodi inscriptionibus. Exemplorum gratia :

— ROXANE D · B · QVEQVAS = « Roxane dulcis, bene quiescas » (4)
— VIVAS IN DEO ABSOLI (palmae frons) (5)
— VFFILA VIVAT IN $\overline{DO}$ FILIX INOCENS FVNERE CAPTA (6)

(1) Luculentissimam hac de re habes tractationem apud Dom. Cabrol, *Dictionn. d'arch. chrét.* etc., VIII, art. *Anneaux*, coll. 2174-2223.

(2) I *Corinth.* X, 31.

(3) *Coloss.* III, 17. - Cf. I. B. de Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1868, p. 83.

(4) Buonarroti, *Osservazioni* etc., Firenze, 1716, p. 170.

(5) Le Blant, *Inscript. chrét. de la Gaule*, Paris, 1856, t. I, p. 64, tab. VI.

(6) *Sitzungsberichte des philol. Classe des k. Bayer. Akad. der Wiss.* 1884, p. 61.

In gemmis vero aut in palis, seu in annulorum parte qua tamquam signaculo utebantur, praeter ea quae Clemens Alexandrinus in suo *Paedagogio* praecipit, nempe anchoram, piscem, vel columbam, aut Orphaeum lyram pulsantem (1), saepe bonus Pastor sive solus, sive ovibus, sive aliis symbolis circumdatus, arca Noe, Ionae historiae, Christi crucifixio, Agnus divinus, inter animarum symbola, piscationes, ac semel Petrus ambulans super fluctus, cernuntur.

Inter instrumenta quae ad memorandum aliquod factum efficta sunt, quedam est lampas votiva Romae, in monte Caelio, initio saeculi duodevigesimi, reperta, et ad quemdam Valerium Severum attinens, iuxta hanc, quae in ea legitur, inscriptionem: DOMINVS LEGEM DAT VALERIO SEVERO. Et quidem inventa est ubi cuiusdam Q. Aradii Valerii Proculi aerea diplomata, quae columnis atrii eius palatii debebant esse adfixa, reperta sunt. Lampas ista, ex aere conflata, naviculae habet formam cuius gubernaculum Christus tenet, dum Valerius orans adest ad puppim.



Tab. 187. Lampas saec. IV aut V in monte Coelio reperta.

Erit qui quaerat cur eadem hic pro Severo sit formula ac pro Petro; verum nulla inter duo est paritas, nam neque Christus volumen credit Severo, neque aliter vocabulum *lex* ibi potest intelligi, nisi pro fidei formula et lege, cui se fidelis subdidit per receptum baptisma. Valerius Severus, denique, ita repraesentatus est, ut ad salutis portum navigans directus appareat.

(1) CLEM. ALEX., *Paedagog.* lib. III, c. XI; *P. G.* VIII, 629.

ART. VII. — **Textilia.**

Nectendi ars apud Romanos primaevos perquam simplicissima fuit, nec postea, ut videtur, e proprio ingenio aliquid protulit Urbs quod luxuriosa Aegyptia Orientaliaque textilia, industria ac pulchritudine, superaret. Romae, imitatio viguit, iamque popularis reipublicae temporibus valde Aegyptia texta, praesertim tapetia, aestimabantur et ad domos interius exornandas erant adhibita, unde Plauti formula: « Alexandrina belluata conchyliata tapetia »,(1) et illud Plinii Senioris: « Plurimis liciis texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit ».(2) Nec solum Alexandriae, sed etiam Cypro eiusmodi conflabantur textilia (3); apud vero Babylonem imagines ac figurae textilium haud quidem intextae, sed acu pingebantur, unde argute aiebat Martialis: « Victa est pectine Niliaco iam Babilonis acu ».(4) Quaenam autem praevaluerit ars in urbe Roma facile non est dicere, quia nihil de texturis illis nobis manet; attamen de Alexandrina arte aliquid iudicare licet e musivis fragmentis in quibus aliquando textilia artifices imitabantur. Sic in Iunii Bassi basilica, tempore quo Romae maxime Aegyptiae relligionis ritus celebrabantur, inter alia ornamenta, quaedam fuerunt vela musivo opere repetita, quae Isiaci cultus caeremonias prae se ferrent adumbratas, unde ab aliquibus archaeologis Isiacum templum Iunii basilica reputata fuit. (5)

Talium operum nomen diu usurpatum deinde fuit, ac si *Libri pontificalis* auctori fides est adhibenda, vel tardioribus aetatibus vela Aegyptia ad ecclesias decorandas praelata saepe fuerunt;(6) immo Aegyptia, seu Alexandrina, ea vocantur, quae

(1) PLAUTUS, I, 2, 14.

(2) PLINIUS, *Hist. nat.* XVIII, 48, 74.

(3) LUMBROSO, *Recherches sur l'économie politique de l'Egypte sous les Lagides*, Taurini, 1870, pp. 111, 112.

(4) MART. *Epigramm.* XIV, 150.

(5) Cf. I. B. DE ROSSI, *Bull. di arch. crist* 1871, p. 55 sq.

(6) Sic, Gregorius IV, anno octingentesimo vigesimo septimo pontifex renuntiatus, legitur ecclesiae S. Marci sui tituli donasse: « Vela

velut Persica ab archaeologis Orientalistis declarantur, nempe vela *rotas* et *rosas* et *phasianos habentia.* (1)

Sed iam S. Silvestri tempore eiusmodi texturae, nedum ad basilicas exornandas, etiam ad sacrificium celebrandum adhibitae fuisse videntur; nam « hic (pontifex), ut in *Libro pontificali* legimus, constituit, ut sacrificium altaris non in sericum, neque in pannum tinctum celebrari, nisi tantum in lineum, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindonem lineam mundam sepultus est, sic missae celebrarentur ». (2) Haec quidem distinctio deinceps servata fuisse videtur; sed etiam fores ecclesiae duplici velorum genere muniri poterant, ac inter versus, quibus munera S. Paulino Nolano delata describuntur, haec legimus:

> Vela ferant floribus, seu puro splendida lino,
> Sive coloratis textum fucata figuris. (3)

Quid vero sit pro verbis vela coloratis textum fucata figuris intelligendum, ex Asterii, Amaseae episcopi ac Paulino aequalis, oratione quadam colligitur, licet hic auctor de vestimentis loquatur. En verba quae ad rem faciunt: « Quae enim ille (scil. S. Paulus) sermone proscripsit, haec ipsi (id est quidam Christiani) mordicus retinent ac operibus rata volunt. Cum itaque talibus amicti in publicum prodeunt, tamquam depicti parietes obviis quibusque cernuntur. Quin et pueri quandoque circumstant, risuque mutuo pictas in vestimentis figuras indice monstrant, ac pone sequentes, aegre tandem recedunt, ac ab eis avelli patiuntur. Videre est illic leones, pantheras, ursos, tauros, canes, silvas, saxa, venantes viros ac omnia de-

Alexandrina III ante portas maiores pendentia, habentia leones et caballos, cortinam Alexandrinam unam ... vela alia Alexandrina ex quibus unum habens rotas et rosas in medio, et aliud arbores et rotas, pendentia ante valvas ipsius ecclesiae »; itemque ecclesiae S. Georgii in Velabro idem pontifex legitur donasse: « Velum Alexandrinum habens phasianos XII ».

(1) Vide notam praecedentem.

(2) Mommsen, *Gesta pontif. Rom.*, Berolini, M.DCCCXCVIII, p. 51.

(3) S. Paulinus Nolanus, *Poem.* XVIII, vv. 31, 32.

denique circa quae pictorum industria versatur naturae aemula ».[1]

Theodoretus autem, Cyrensis (in Syria) episcopus († 458): « In toga senatoris Christiani, ait, saepe integram Christi historiam aut acu pictam, aut intextam conspici ».[2] Cuius quidem rei exemplum nullum superest, at quinam fuerit huiusmodi ornationum effectus, basilicae Ravennatensis S. Vitalis quaedam musiva demonstrant, ubi, praeter alias, imago est imperatricis Theodorae in cuius indumentis Magi Iesu puero munera deferentes acu picti conspiciuntur.

Tab. 188. Textilis fragmentum apud thesaurum Palatinum repertum (Ex. *Mon. Piot.* XV).

Notum est, Iustiniani imperatoris temporibus, bombycum ova ab aliquibus monachis a Sina in Europam fuisse importata. Deinceps autem, Iustiniani quidem voluntate, serica texta vel apud Romanos elaborata fuisse, atque ad sacerdotalia indumenta exornanda persaepe usurpata. Quin etiam, cum offi-

(1) Asterius, *Homil.* I, *P. G.* XL, 165; cf. *Homil.* XI, in laudem S. Euphemiae, *P. G.* XL, 336, ubi auctor martyrium S. Euphemiae in quodam textili pictum describit.

(2) Theodoretus, *Homil. de providentia*, IV, *P. G.* LXXXIII, 605 sq.

cina ad hunc finem Constantinopoli esset instituta, Iustinianus huiusmodi serendi tamquam lucrosam fisco vindicavit industriam.(1)

In *Libro pontificali* saepe saepius textilium ecclesiis a pontificibus aut imperatoribus donatorum mentio est, ac interdum vel mysteria in illis picta descripta sunt; Paulus vero Silen-

Tab. 189. (Ex *Mon. Piot.* XV).

tiarius, in sua basilicae Constantinopolitanae S. Sophiae descriptione, eiusmodi velorum praebet exempla.(2) Argumenta praecipua in his textilibus biblica sunt facta, martyrum discrimina, necnon venationum, ludorumque repraesentationes alterna vice in aequalibus, in quae velorum superficies distinguuntur, spatiis repetitae (Tabb. 188, 189). Denique, perinde ac apud opera musiva, interdum imperatoris et imperatricis imagines sive

(1) Procopius, *De bello Persico*, lib. I, c. XX; *De bello Gothico*, lib. IV, c. XVII.

(2) Paulus Silent., *Descriptio S. Sophiae*, pars II, v. 340 sq.

solae, sive dum caritatis aliquem actum largitionemve efficiunt, sive dum a Christo, vel a virgine Maria invicem coniunguntur.

Antiquiora texta Africa nobis protulit, quoddam scilicet sepulcretum apud Achimiam–Panopolim (Achmîn) detectum,[1] ubi tamen, praeter pauca exempla, cetera ita inscite necta sunt, ut nullus videatur apud artifices illos naturae artisque sensus fuisse. Inter ea autem quae ex Oriente proveniunt quoddam est textilis fragmentum apud Palatinum thesaurum inventum, quod virginem Mariam, dum ab angelo incarnationis nuncium recipit, prodit (Tab. 191). Ut patet, eodem fere modo argumentum istud adumbratum est, quo in musivis omnigenisque aliis cernitur operibus. Aliud textilis fragmentum ad relliquias involvendas adhibitum, ac nuper in Gallia (Sens) inventum, et ad saeculum octavum forsan pertinens, in orbiculatis spatiis assumptionis virginis Mariae effigiem prodit.[2] Hoc quidem argumentum a saeculo septimo invaluit, pluresque pontifices leguntur eiusmodi imaginibus intextis vela ecclesiis donasse.[3]

Apud Palatinum quoque thesaurum panni serici aliud repertum est fragmentum quod Christum infantem ac in stabulo repositum, simul cum Maria ac Ioseph sedentibus, bove adstante asinoque, exhibet adumbratum.[4] Eiusmodi imaginum in velis intextarum exempla haec sola manent quae Annuntiationis ac Nativitatis mysteria praebeant, ac nobis sane produnt cuius essent generis vela haud raro in *Libro pontificali* commemorata, quae summi pontifices a Zacharia scilicet (741) ad Nicolaum I († 867) ecclesiis donarunt.[5]

(1) M. Gerspach, *Les tapisseries coptes*, Paris, 1890; Förrer, *Die Gräber- und Textilfunde von Achmin–Panopolis*, Strassburg, 1891.

(2) *Revue de l'art chrétien*, Paris, 1897, p. 228.

(3) Cf. Duchesne, *Liber pontif.* t. I, p. 500; t. II, pp. 14, 61, 67, 145, 381.

(4) Cf. *Mon. Piot*, XV, 1906, tab. XVIII, n. 5.

(5) Egregius Beissel inter argumenta textilium in *Libro pontificali* memorata, sexies Annuntiationis ac undevigesies Nativitatis mysterium enuntiatum invenit (Beissel, *Gestickte und gewebte Vorhänge der römischen Kirchen in der zweiten Hälfte des VIII und in der ersten Halfte des IX Jahrhunderts*, ap. *Zeitschrift für christliche Kunst*, 1894, col. 367.

Ad cetera autem quod attinet argumenta, ipsa non videntur diverso in textilibus fuisse modo efficta quam apud musiva et picturas. In Aegyptiis pluribus textilium fragmentis, quae

Tab. 190. Textile Panopolitanum saec. IV
(Ex Forrer, *Die Graeber- und Textilfunde fon Achmin*, tab. XIV).

apud Berolinense museum iacent, Daniel inter leones ac Lazarus ad vitam revocatus, praeterea alia antiquiora symbola et sanctuariorum imagines, conspiciuntur. Profecto omnes in textilibus fuerunt scaenae adumbratae, quae apud alia ornationis opera deprehenduntur; nam si monumenta deficiunt,

scriptorum testimonia haud desunt, inter quae Asterii Amaseni aliqua huc adducere verba operae pretium est: « Si quis autem cum viri, tum feminae ex iis, qui divitiis affluunt, religiosiores videntur, collecta ex historia evangelica argumenta textoribus subministrant; ipsum inquam Christum nostrum

Tab. 191. Textile Annuntiationis mysterium repraesentans (Ex *Mon. Piot.* XV).

cum discipulis omnibus; ac miracula, qua quodque ratione narratum habetur. Videbis nuptias Galilaeae et hydrias; paralyticum, lectum in humeris gestantem; caecum, oblito luto curatum; profluvio sanguinis laborantem feminam, fimbriam prehendentem; peccatricem, ad pedes Iesu accidentem; Lazarum e sepulcro ad vitam redeuntem: dumque haec faciunt, pie se facere, idque indumenti genus, quod Deo gratum sit, induere arbitrantur ».[1]

(1) Asterius Amasenus, *Homil.* I; *P. G.* XL, 166.

Ut patet, non solum de figurarum indumentis intextarum abusu auctor iste quaeritur, verum etiam imaginum sacrarum usum eiusmodi in vestimentis reprobat, quod clarius evadit si verba auctoris perpendantur quae supra relata sequuntur. Aliunde non defuit qui, eodem tempore (an. 394), prophanas imagines apud vela ecclesiis exornandis adhibita vitio acriter verteret, atque hoc plane sensu nobis Epiphanii Cypriensis

Tab. 192. Samson (?) (Ex *Mon. Piot.* XV).

episcopi verba quaedam accipienda sunt (si quidem authentica) quibus de velo depicto, in foribus cuiusdam ecclesiae pendente, et ab eo erepto, loquitur. En illa: « Praeterea audivi quosdam murmurare contra me quia... cum... venissem ad villam, quae dicitur Anablatha, vidissemque ibi praeteriens lucernam ardentem, et interrogassem qui locus esset, didicissemque esse ecclesiam, et intrassem ut orarem; inveni ibi velum pendens in foribus eiusdem ecclesiae tinctum atque depictum, et habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam; non

enim satis memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem in ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, et magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent et efferrent... ». (1)

Petavius, Natalis Alexander, Tillemont aliique auctores id factum esse putarunt, quia non ubique imaginum depictarum usum eodem tempore coepisset; at I. B. de Rossi animadvertit id minime sub finem saeculi quarti posse admitti, eo vel magis quod Epiphanius, hieme anni trecentesimi octogesimi secundi, Romae deguerat, sanctuariaque omnigenis sacris imaginibus decorata conspexerat. (2) Ipse tamen archaeologus noluit quaestionem solvere, quae nobis a Baronio feliciter absoluta iampridem videtur. En illustris historici verba: « Quamvis etsi concederemus re vera Epiphanii illud esse, ne sic quidem afferre potest veritati aliquod praeiudicium. Nam, ex quo demonstratum est certis exemplis, tum in Occidente, tum etiam in Oriente, et ipsis Hierosolymis, sive in velis, sive in pariete effigiari consuevisse venerandas imagines; haud potuit vel debuit unus Epiphanius adversus usum Catholicae Ecclesiae reclamare, atque easdem sacras imagines absque sacrilegii culpa discindere. Quamobrem si id re vera accidisse dicere velimus, tunc ad saniorem verborum illorum sensum expende, quod dicitur: *Velum depictum habens imaginem quasi Christi vel sancti cuiusdam*, sic accipiendum esse, ut ipse iuste excanduerit in pravum facinus, quo alicuius prophani hominis imago in sacro velo depicta, quasi Christi esset, vel alicuius sancti, ad limen religiose fuisse appensa ». (3)

Totius tandem huius articuli dissertatio demonstrat etiam in textilibus, sive sacris, sive, interdum, etiam prophanis, sacras imagines acu coloribusve pictas, aut intextas fuisse.

(1) *Epiphanii opp.* ed. Petavii, t. II, p. 312; Baronius, *Ann.* a. 392, p. 528. Ex hoc textu illud etiam colligitur, nempe in foribus ecclesiarum lucernam appendendi fuisse morem, quod ceterum vel in musivis basilicae Romanae S. Mariae Maioris adumbratum videmus (Tab. 110, p. 262).

(2) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1871, p. 62 sq.

(3) Baron. *Ann.* a. 392, p. 331, C, D, E.

CAPUT VI.

Altare eiusque supellex.

Art. I. — Altare.

Altare, seu mensa super qua missae sacrificium celebratur, haud peculiare aliquid initio exstitit, quod cum ethnicorum altari vel ara comparari posset; sed ipsa mensa cuiuslibet domus in qua apostoli divertissent fuit. Sic in *Actibus Apostolorum* fideles legimus *frangentes circa domos panem*,[1] cuius quidem rei species aliqua apud Priscillae coemeterium habetur, in illa scilicet pictura quam *fractio panis* vocarunt, et ad initium saeculi pertinet secundi (Tab. 193). Licet enim ibi ex parte compositio symbolica videatur, nihilominus adest mensa, seu tabula Dominica, τράπεζα κυρίου,[2] qualis tunc temporis esse poterat, adsunt fideles iam manducaturi, et, ab his distinctus, adest sacerdos, panem cruciferum frangit, vasque ansatum ante se habens. Ut autem ista *panis fractio* a quolibet alio distingueretur convivio, quinque panes duoque pisces appositi sunt, et, ad mensae latera, septem panibus repletae corbes dispositae. Itaque hic primaeva habetur sacrificii missae repraesentatio. E contra, apud coemeterium S. Callisti, in cubiculo A³, communionis mensa ab altaris separata mensa est, et ista tripode constat, super quo piscis ac panis deprehenduntur (Tab. 194). In cubiculo autem A² eiusdem coemeterii, circa tripodem, piscem et panes duos sustinentem, septem corbes panibus refertae, eodem atque apud picturam *fractio panis* modo, sunt dispositae, nempe hinc tres, quattuor illinc.

(1) *Act.* XLVI, 2.
(2) I *Corinth.* X, 21.

Tab. 193. « Fractio panis ». Pictura initii saec. II apud coemeterium S. Priscillae.

Nec quisquam poterit recte obiicere tripodem mensam non esse, neque aliunde hanc formam altare habuisse primaevum certo nos scire; nam si tripus per se non fuit mensa, tamen ad cibos sustinendos coram mensa erat adhibitus, ut ex innumeris ethnicis, sive etiam Christianis, monumentis apparet. Ceterum, ubi mensa haud multis instituebatur convivis, sed unus vel duo essent reficientes, non quidem triclinium, sed

Tab. 194. Pictura saec. II apud coemeterium S. Callisti, Missam repraesentans (Ex Wilpert, *Le pitt.*).

unicus lectus aut subsellium duplex ante tripodem parabatur, quod item e monumentis quamplurimis patet. Cum autem tripus talis foret tabula, quae posset quocumque, vel ad infirmorum lectum, deferri, hinc factum est ut altaris fieret in coemeteriis mensa, quae facile posset sepulcro, aut parieti in quo ipsum erat effossum, apponi, ut missa pro defuncto aut martyris alicuius in honorem celebraretur.

Eiusmodi tabulae ex ligno videntur fuisse conflatae, ac, si iuxta lignea, quae Romae apud ecclesiam S. Pudentianae, al-

taria, S. Petri vocata, iudicare velimus, eas cedrinas fuisse nonnunquam dicendum est.

In *Libro pontificali*, de pontifice Felice I (269-275) haec leguntur: « Hic constituit supra sepulcra (alias supra memorias) martyrum missas celebrari »,[1] quibus, e Duchesne sententia, usus huiuscemodi initium sumpsit; sed verius alii Felicem I usum iam vigentem sacra super sepulcris faciendi martyrum sepulcris coarctasse reputant. Re enim vera, ritus ad sepulcra se congregandi antiquissimus, iamque Polycarpi temporibus exstitit,[2] et aliunde sepulcra super quibus posset missae sacrificium celebrari saeculo saltem secundo non defuerunt. Saeculo autem tertio, cum arcosolia plurima ad sepeliendum construi coepissent, tum vero saepius haec tamquam altaria sunt adhibita, unde praecepti opportunitas ne ad sacra facienda quodcumque usurparetur sepulcrum, sed martyrum tumuli eligerentur. Verisimile quoque est, missae sacrificium super truncatis quae saepe ad arcosoliorum latera apparent columnis actum quandoque fuisse, ubi scilicet plerumque olei vas erat appositum.[3]

Haec in coemeteriis; cuiusnam vero generis altaria in basilicis domesticis fuerint nescitur, neque de altarium natura apud Orientales basilicas iam ante pacem Ecclesiae constructas quidquam cognoscitur amplius. Certum est altaria omnia, in basilicis tempore Constantini erectis, ac deinceps, lapidea fuisse,[4] sed non omnia relliquias continuisse martyrum; immo hae non nisi brandea quae martyrum corpora aut sepulcra tetigissent plerumque fuisse dicendum, nam usus relliquias e corporibus sanctis desumendi non nisi tardius indu-

(1) Mommsen, *Gesta pont. Romanorum*, p. 37.

(2) *Martyrium Polycarpi*, XVII, apud Funck, *Opera Patrum apost.*, 1887, t. I, p. 302.

(3) Cf. vol. I, pars I, tab. 177, p. 409,

(4) Cf. S. Gregorius Nyssenus, *In baptism. Christi*; *P. G.* XLVI, 581; S. Aug. *Serm.* CCXXX, n. 1, *P. L.* XXXIX, 2169; Bona, *De rebus liturgicis*, lib. I, c. XX, n. 1; Corblet, *Histoire du sacrement de l'Eucharistie*, Paris, 1886.

ctus est, quando scilicet corpora sanctorum translata sunt. At in basilicis supra coemeteria exstructis, aut ipsum pro altare martyrum habebatur sepulcrum, quod tunc confessio vocabatur, aut, raro quidem, martyrum corpora, e primaevis ac subterraneis ablata sepulcris, sub altaribus erant recondita, quod de



Tab. 195. Duplicis sepulcri ruinae in altare extructi apud anonymum saec. III sanctuarium supra coemeterium Sancti Callisti exstructum.

Nereo et Achilleo martyribus una cum S. Petronilla, de Zephirino pontifice simul cum S. Tarsicio fortasse factum est; certissime vero de corporibus Marci et Marcelliani martyrum, deque aliorum paucorum evenit (Tab. 195).

Altaria lapidea diversae formae exstiterunt, secundum quod parieti essent applicata aut in mediis praesbyteriis erecta. Mensa aut unica pila, aut quattuor erat sustentata columnis, cuius exemplum quoddam apud Bacchanum asservatum est altare (Tab. 196), et aliud tabula 92 (p. 219) exhibet; aliquando insuper spatium sub mensa transennis erat clausam, cum nempe sub ea capsa deponebatur relliquiarum, ac tale est sepulcrum S. Alexandri (Tab. 197) Romae, in via Nomentana adhuc in basilica eiusdem sancti exstans. Ut autem fideles martyrum

possent aliqua re tangere tumulum quam deinde velut memoriam et quasi relliquiam servarent, quaedam fenestella erat aperta quae *fenestella confessionis* dicebatur. Transennis quoque clausum S. Laurentii sepulcrum videtur fuisse, si imagini tabula 182 effictae fides est adhibenda.



Tab. 196. Altaris Bacchanensis restitutio (Ex *Bull. di arch. crist.* 1875).

Ad ornationem altaris quod attinet, primum notandum est ea vel ex metallo fuisse aliquando conflata. Sic in vita S. Silvestri pontificis ista de Constantino Augusto legimus: « Huius temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam Constantinianam (seu Lateranensem), ubi posuit... altaria septem [1] ex argento purissimo, pens. singula lib. CC. »; [2] item: « Eodem tempore Augustus Constantinus fecit, ex rogatu Silvestri episcopi, basilicam beato Petro..., fecit altarem (*sic*) ex argento auro clusum cum gemmis prasinis et yaquintis et albis ornatum ex undique numero gemmarum CCCC pens. lib. CCCL ». [3]

In basilica vero Sessoriana altare ex auro exstructum est; aureum quoque fuit altare quod Pulcheria, Arcadii imperatoris filia, basilicae Constantinopolitanae S. Sophiae donavit, [4] quibus

(1) Generatim nihilominus unicum in basilicis altare erat.
(2) Mommsen, *Gesta pont. Romanorum*, p. 53, n. 20.
(3) Mommsen, *Gesta pont. Romanorum*, p. 58, n. 10.
(4) Sozomenus, *Historia eccles.* lib. IX, c. I, *P. G.* LXVII, 1592.

omnibus pretio ac pulchritudine altare illud praecelluit, quod Iustinianus, in eadem basilica ab eo reconstructa,[1] erigi iussit.

Quinam fuerit huiuscemodi altarium splendor e quibusdam adhuc superstitibus, sed longe tardioribus, operibus intelligere possumus, nempe ex altari Mediolanensis Sancti Ambrosii basilica,[2] et ex alio opere quod *pala aurea* nuncupatur, ac Ve-



Tab. 197. Altare S. Alexandri (Ex *Bull. di arch. crist.*).

(1) Paulus Silentiarius, *Descriptio S. Sophiae*, ed. Bona, vs. 682-712.

(2) Praestat pauca egregii Molinier verba referre: «Le palioto de St. Ambroise est plus complet que ne les sont d'ordinaire ces monuments... Il est d'or repoussé, décoré de bas-reliefs inscrits dans des médaillons rectangulaires ou circulaires bordés de plaques d'émaux cloisonnés de teintes assez particulières, de technique absolument byzantine, mais néanmoins présentant, au point de vue de la technique, suffisamment de particularités pour que l'on puisse affirmer que l'œuvre a été exécutée par un artiste italien et non point par un artiste grec. Ce n'est pas à dire que dans plusieurs des bas-reliefs qui représentent soit St. Ambroise soit des anges ou des saints (et nous faisons ici, bien entendu, abstraction des parties restorées à une époque relativement moderne, probablement au XVIIe siècle) on ne rencontre une influence byzantine, mais les ressemblances entre ces œuvres et les miniatures de l'époque carolingienne exécutées en Gaule ou en Allemagne, sont trop grandes pour ne pas avoir contrebalancé cette influence byzantine» (Molinier, *L'évolution des arts mineurs du VIIe au XIIe siècle*, apud A. Michel, *Hist. de l'art*, t. I, p. 840 sq.).

netiis, apud basilicam S. Marci, exstat. Ambrosianum altare ad saeculum pertinet nonum, nam ibi episcopi Mediolanensis Engilberti effigies cernitur nimbo quadrato praedita, quod *insigne* erat *viventis*, qui quidem Engilbertus in quodam anni octingentesimi trigesimi quinti diplomate dicitur S. Ambrosii altare construi iussisse.

Pala aurea, in eius saltem parte primaeva, posterior saeculo decimo haud est, sed iam saeculo duodecimo (an. 1105) restaurata et aucta fuit, item aucta saeculo decimotertio, quando scilicet Constantinopoli laminae sex perlatae sunt quae nunc superiorem operis partem constituunt. Saeculo autem decimoquarto denuo *pala aurea* restaurata est, et quaedam sunt additae partes iuxta stylum Gothicum, ut dicitur, effictae. Omne ibi splendet auricelariae artis genus, ac procul dubio huic splendori monumenti fama est tribuenda (Tab. 198).

Altaris opulentia circumstante supellectile augebatur, quae plerumque pontificum, imperatorum aliorumve principum erat donum. Sic Constantinus legitur fastigium (altaris, seu ciborium vel baldachinum) ecclesiae Lateranensi contulisse « argenteum battutilem, qui habet in fronte Salvatorem sedentem in sella, in pedibus V, pens. lib. CXX (id est centum viginti pondo), et XII apostulos (seu duodecim apostolorum statuas), qui pens. singuli in V pedibus libras nonagenas cum coronas argento purissimo; item a tergo respiciens in absida Salvatorem sedentem in throno, in pedibus V, ex argento purissimo, pens. lib. CXL, et angelos IIII ex argento, qui pens. singuli in pedibus V lib. CV cum gemmis alabandinis in oculos, tenentes hastas; fastigium ipsum pens. lib. IIXXV ex argento dolaticium; camaram (scil. lacunar) ex auro purissimo et pharum ex auro purissimo qui pendet sub fastigium cum delfinos L ex auro purissimo pens. sing. lib. L, cum catenas etc. ».[1]

Delphini ibi nominati brachia erant lucernarum delphinorum in formam conflata quae, fixa uno extremo ad candelabrum vel ad pharum, altero extremo annulum ferebant ad lampadam sustinendam (Tab. 207, n. 1). Pharus autem apud *Librum pon-*

(1) Mommsen, loc. cit. pp. 52-53.

tificalem seu cantharus appensus circulus sive corona quaedam dicebatur metallica, e qua lampades pendebant, aut cui delphini lampades sustinentes erant inserti. In eadem Lateranensi



Tab. 198. Pala aurea.

basilica, Constantinus iussit appendi « farum cantarum ex auro purissimo, ante altare in quo ardet oleus (*sic*) nardinus pisticus cum delfinos LXXX, pens. lib. XXX ».[1]

(1) Mommsen, loc. cit. pp. 53.

ART. II. — **Suppellex sacra.**

In eodem *Libro pontificali* reliqua ad altaris sacrificium necessaria supellex recensetur, quae procul dubio multo ante tempora Constantiniana adhibita erat. En quid item de Constantini ad Lateranensem basilicam donis ibi dicitur: « Patenas aureas VII pens. sing. lib. tricenas; patenas argenteas XVI pens. sing. lib. tricenas; scifos auro purissimo VII pens. sing. lib. X; scifum singularem ex metallo corallo ornatum ex undique de gemmis prasinis et yaquintis, auro interclusum, qui pens. ex omni parte lib. XX et uncias III; scifos argenteo XX, pens. sing. lib. quindenas; amas ex auro purissimo II, pens. sing. lib. quinquagenas, portantes sing. medemnos tres III; amas argenteas XX, pens. sing. lib. denas, portantes singulae medemnos singulos; calices minores aureos purissimos XL, pens. sing. lib. singulas; calices minores ministeriales L, pens. sing. lib. II.....

« Metretas III ex argento purissimo, pens. sing. lib. CCC, portantes medemnos X; candelabra auricalca VII ante altaria, qui sunt in pedibus X, cum ornatu ex argento interclusum sigillis prophetarum, pens. sing. lib. CCC.....

« Thimiamateria II ex auro purissimo pens. lib. XXX; donum aromaticum ante altaria annis singulis lib. CL ». [1]

Porro, istam supellectilem iam pridem in usu fuisse patet ex ecclesiae Cirtae bonorum publicatione, a fisco, anno trecentesimotertio, peracta, in qua omnis fuit liturgica descripta supellex; [2] infeliciter tamen nullum illorum temporum monumentum eiusmodi ad nos usque pervenit, unde aut e picturis sculptilibusque, aut e tardioribus monumentis formam supellectilis primaevam dumtaxat colligere fas est. Sunt igitur nobis consideranda haec: Patena, sciphus, hama, calix, thymiamaterium, candelabrum, quibus cochlear, eucharistica columba, ac flabellum sunt adiungenda.

(1) MOMMSEN, loc. cit. p. 55.

(2) Cf. LECLERCQ, *L'Afrique chrétienne*, Paris, 1904, t. I, p. 321.

Patena. — Patena, sic vocata quia *vas late patens,* discus erat metallicus iam apud antiquos populos usurpatus ad balsama praesertim in aram versanda, et a Christianis ad panes eucharisticos sustinendos. In *Libro pontificali* diversi generis patenae commemorantur, nempe, patenae simpliciter, patenae

Tab. 199. Patena Pulcheriae Augustae falso reputata.

ministeriales ac patenae chrismales. Primae ad oblationem sacerdotis continendam, secundae ad oblationes fidelium ac panum eucharisticorum distributionem tertiae ad sacrum Chrisma conferendum adhibebantur. Tabula 199 patenam adumbrat quae per aliquod tempus veluti Pulcheriae Augustae (Arcadii imp. filiae) donum habita est. Nihilominus artis modus eam inter pulcherrima saeculi duodecimi opera indicare videtur, et aliunde inscriptio dedicatoria saeculo decimo octavo e Kondakoff sententia addita est. Opus, e marmore ophitico, exhibet in medio virginem Mariam orantem, Christum infantem in gremio habentem, cui duo angeli reverenter inclinati thymiamaterio adolent. Circum circa duo sunt absidularum series, in quibus

praeter altare ac thronum, angeli sunt praesbyterorum partim, partim diaconorum vestibus induti, cum omnibus missae sacrificii instrumentis, necnon apostoli thronum Altissimi seu *hetimasiam* adorantes. Ista quoque ornatio aetatem innuit tardiorem, cum antiquiora patenarum symbola plerumque Abraham sacrificium, pisces, agni aliaque huiuscemodi fuerunt.

Cochlear. — Notum est, apud Graecos, morem fuisse eucharistiam laicis personis cochlearibus distribuendi.(1) Praeterea haud pauca sunt documenta, quae aut cochlearium donationes ecclesiis commemorent, aut ea inter supellectilem sacram videantur recensere, necnon apud Du Cange plures adducuntur documentorum textus qui cochlear una cum patena enumerant, et eius indicant usum: « Oblatae (seu parvi panes ad eucharisticum sacrificium parati) cochleari argenteo in patena ponuntur ».(2) Praeterea aliqua exstant documenta que de cochlearibus dono ecclesiis datis una cum ceteris sacris instrumentis mentionem faciunt.(3)

Verumtatem haud videtur apud Occidentales ecclesias unquam usus cochlearium in eucharistia perficienda aut distribuenda in universum viguisse. Illustris I. B. de Rossi hanc circa rem animadvertit haec cochlearia aliquando *tractoria* vocari, ac praesertim apud episcopum Agnellum, qui, in vita pontificum Ravennatensium, inter *diversas aureas et argenteas species* quae apud *vestiarium* Ecclesiae reconditae erant, etiam *cochlearia argentea tractoria* recensetur.(4) Porro, *tractoriae* epistolae vocabantur commendatitiae, quae peregrinis pauperibusque ab episcopis dabantur, ut illi apud ecclesiarum hospitia possent divertere, et hoc vocabulum etiam ad res ad hospitia pertinentes

(1) Humbertus, *Disp. contra Graec.* in Canisii *Ant. lect.* t. VI, p. 128.

(2) Du Cange, *Gloss. latin.*, vv. *Vestiarium* et *Coclear.* Cf. De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1868, p. 85 sq.

(3) Cf. Mabillon, *Suppl. ad Diplom.* p. 93; Finazzi, *Cenni sulla dedicazione del nuovo tempio di S. Andrea*, Bergamo, 1847, p. 29; De Rossi, *Bull.* 1868, p. 83 sq.

(4) Agnellus, *Vitae pont. Rav.: Sergius I*, cap. IV, ed. Bacchini, t. II, p. 430.

indicandas transiisse facile ex aliis documentis colligitur, ac praesertim ex ecclesiae S. Ursicini Ravennatensis memoriis, in quibus legitur : « Habuit presbyter tractoriam vini iuxta parietem oratorii eiusdem martyris ad usum egenorum et pauperum. (1) Nihilominus etiam in Occidentalibus regionibus cochlear ad oblatos panes in patena parandos in usu fuisse videtur, ac forsan, ut I. B. de Rossi arbitratur, cochlear ad vinum e scipho sumendum et in calicem infundendum, perinde atque hodie apud Hispanas viget ecclesias, adhibebatur.

Sciphus. — Vini oblationes a fidelibus peractae in sciphos colligebantur, id est in vasa argentea vel etiam aurea. Nullum huius instrumenti exemplum nobis manet, at certo illud ansis sive annulis duobus fuisse munitum dicendum est; eius autem ingens pondus, quod in *Libro pontificali* interdum notatur, eius magnitudinis cogitationem praebet.

Pelvis. (2) — Aquamanile vocatur tum in *Libro pontificali*, tum apud infimae latinitatis auctores quoddam vasis genus ad manuum lotionem destinatum, quod prorsus a scipho distinguendum. Huius aliqua exstant saeculi quarti et quinti exempla, ac variae erant capacitatis et formae secundum officium cui adhibebantur. Sic huiusmodi pelves tum in officio altaris, tum apud baptisteria erant necessaria, quapropter haec in *Graecorum euchologio* legimus: « Baptizant per infusionem non modicae quantitatis aqua calida ter super infusa puerum sedentem in vase, vel pelvi ad cubitum profundo abluunt ». (3) Tam sciphus quam pelvis haud raro symbolis erant exornati, necnon aliquando inscriptionibus sive e sacra Scriptura excerptis, sive ad eucharisticam oblationem vel ad lotionem spiritualem alludentibus. Quidam inter baptisterii cuiusdam, apud Carthaginem, ruinas urceolus sive vas ansatum inventum duos pisces ad crucis latera cum litteris A B C exhibet, nota infantiae

(1) De Rossi, *Bull.* loc. cit. – Ceterum nil hac re evidentius, cum vel hodie Italice *trattorie* tabernae diversoriae et cauponae vocentur.

(2) Cf. Cabrol, *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturgie*, art. *Bassin.*

(3) *Euchologion*, ed. Goard, Venetiis, 1730, p. 299.

spiritualis symbola (Tab. 200). Urceolus autem ed quintum potest pertinere saeculnm.[1]

HAMA.[2] — Hama, seu hamula, vas erat quo vinum ad eucharisticum sacrificium praebebatur: « Amulae argenteae, legimus apud *Ordo Romanus*, ad vina fundenda paratae ». In

Tab. 200. Vas baptismalibus symbolis instructum, apud Carthaginem, inter cuiusdam baptisterii ruinas repertum. (Mus. St-Louis, Carthage).



Schema tabulae 200.

Libro pontificali saepe de hamulis occurit mentio,[3] earumque pondus et capacitas mira poterunt alicui videri, nisi animadvertetur eas ad calicum magnitudinem esse comparandas, quae ministeriales vocabantur atque ad sanguinem Domini populo distribuendum erant adhibiti (Tab. 202). Forma vero hamularum varia, s icut etiam diversa fuit materia e qua conflatae sunt, nempe Constantini temporibus ex auro vel ex argento, deinde ex argento vel metallo aliquo aurato, vel etiam e sim-

(1) Cfr. meam opellam: *Nonnulla de symbolismo liturgico.*

(2) DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, art. *Ama*; CABROL, *Dictionn.* etc., art. *Burettes*, fasc. XVI, col. 1351 sq.

(3) Cf. *P. L.* CXXVII, 1515, 1517, 1519, 1523, 1525; MOMMSEN, *Gesta pont. Romanorum: S. Silvester*, pp. 47-72 passim.

plici metallo. Hamularum huiusmodi usus eo usque perduravit quo populi oblationes viguerunt; ad servandum autem vinum pro missae sacrificio metretae destinatae erant, seu vasa plerumque hamulis grandiora, de quibus passim in *Libro pontificali* etiam mentio est. Imagines denique quibus ornabantur, sym-



Tab. 202.
(Ex Strzygowski, *Oriens oder Rom*).



Tab. 203. Hama biblicis decorata argumentis.

bola plerumque eucharistica exhibebant, ut in quadam a Bianchini hamula evulgata, in qua, praeter alia, Christus in vinum aquam convertens cernitur (Tab. 203). In alia hamula, apud Bottari illustrata, (3) Christi imago claves caelorum Petro credens ac caecum sanans caelata est; immo vel symbola hasilicarum propria haud raro apud hamulas cernebantur (Tabb. 203, 204). Sed et inscriptionibus erant aliquando munitae ac diversae quidem indolis, seu modo votivae, modo optativae, modo denique symbolicae. Harum ecce exempla quae

(3) G. Bottari, *Sculture e pitture*, t. I, pp. 180, 185; t. II, p. 6.

simul super quadam habentur hamula in Gallia (Concevreux) apud sepulcrum quoddam inventa:[1]

— PAX FIDIS (*sic*) CARITAS SEMPER TECVM PERMANEAT
— † CALICEM SALVTARIS ACCIPIAM ET NOMEN DOMINI INVOCABO
— IOCHANNIS (*sic*) VIVE DE VTERE FELIX ·

Priores formulae his S. Germani verbis valde congruunt: « Pax, fides et caritas, et communicatio corporis et sanguinis Domini sit semper vobiscum ».[2]

Tab. 204.

Tab. 205. Tabula sepulcralis.

Calix.[3] — Calicum usu nihil in Ecclesia antiquius; fuerunt autem calices e diversa materia, vitro scilicet, metallo, etc., et forma, quae tamen generatim duplex dici potest: cum ansibus, aut cum caulis specie sub cupa ut manu posset apprehendi, sicut hodie est mos. Itaque haud specialem aliquam

(1) *Bulletin arch. du Comité des travaux hist.* 1903, pl. 38-39.
(2) S. Germanus, *Epist.*; *P. L.* LXXII, 94.
(3) Cf. Cabrol, *Dictionnaire d'arch. chrét. et de liturgie*, art. *Calice*, fasc. XVII.



Tab. 206.

Tab. 207.

calices eucharistici habuerunt formam, ac proinde impossibile est inter calicum imagines, quae ubique apud antiqua apparent monumenta, quinam fuerint ad eucharistiam perficiendam adhibita distinguere. Notum est, calices in monumentis funerariis depictos aut insculptos refrigerium, seu animae beatitudinem, plerumque indicare, quod clarius patet ubi liquida repleti sunt materia caerulei coloris, aut ex eis aqua tamquam e siphone resilit; interdum tamen etiam eucharistiam significare, cum scilicet alia sunt huiusmodi apud calices symbola, aut in eucharistica mensa sint appositi. Sic eucharisticus certe est calix apud picturam coemeterii Priscillae, quam *fractio panis* Wilpert nuncupavit (Tabb. 193 et 206, n. 1); item calix panibus cruciferis repletus in Romano quodam titulo incisus et apud Boldetti delineatus,[1] necnon forsan calices tabulis 208, 209 adumbrati. Tabula 206 varia calicum antiquiorum exemplaria exhibet, quorum primus, udo depictus, et tertius, musivo elaboratum in eucharisticis repraesentationibus apparent secundus vitreus est, apud coemeterium Ostrianum (ut vocant) inventus, sed haud certe patet utrum eucharistiae perficiendae fuerit adhibitus; quartus apud Modoetiam asservatur ac ad saeculum potest pertinere sextum; ultimus denique eiusdem videtur aetatis, et apud Gourdon in Burgundia, simul cum alia supellectile et aliquibus Iustini I imperatoris (518-527) nummis repertus.

Ut e *Libri pontificalis* pluribus locis colligitur, calices altaris alii ad sacrificium, alii ad distributionem eucharistiae erant destinati, qui posteriores, calices ministeriales vocabantur, eorumque usus antiquissimus est. Ministerialis certo fuit calix ille, de quo apud S. Cyprianum sermo est, cum de infante eucharistiam recusante sanctus enarrat: « Ubi vero, solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre praesentibus coepit, faciem suam parvula instinctu divinae maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit ».[2]

(1) Boldetti, *Osservazioni sopra i cimiteri*, Roma, 1720, p. 208.
(2) S. Cyprianus, *De lapsis*, c. XXV, *P. L.* IV, 485.

Fuerunt etiam calices ad baptismum destinati, sed isti urceolorum vel cuparum formam habuerunt (Tab. 200); tandem calices etiam inter votiva instrumenta apparent.



Tab. 208. (Coem. S. Callisti)



Tab. 209.

THYMIAMATERIUM. — Haec etiam supellex antiquissima, pluraque nomina habuit, nempe thuribulum, thuricremium, incensorium, fumigatorium. Graecum autem vocabulum θυμιατήριον, vas incensi significat, quod tamen a vase ubi solummodo thus servabatur, et quod acerra, arca thuralis, acerra thuris custos, nuncupabatur, distinguendum est. Disputatum olim fuit utrum thuribulum vel ab antiquis temporibus catenis esset instructum, ut hodie habetur, ac perperam egregius Martigny contrariam tenuit sententiam. Licet enim tempus, quo hic mos coeperit, determinari nequeat, certum nihilominus est saltem saeculo quinto illum iam viguisse; ad quartum autem saeculum doctissimus Kraus aereum quoddam huiusmodi thuribulum apud *Antiquarium Mannheim* asservatum adscripsit.[1] Ad saeculum quintum videtur aliud thuribulum pertinere, hodie apud Cairi museum reconditum,[2] itemque aliud nuper apud Salonam repertum et ab illustri Bulic plus semel illustratum.[3]

(1) KRAUS, *Realencyclopedie der christl. Alterthümer*, p. 977, tab. 530.

(2) STRZYGOWSKI, *Koptische Kunst*, n. 2116; cf. n. 2108.

(3) BULIC, *Bull. di arch. e storia dalmata*, 1906, p. 263 sq.; *Nuovo Bull. di arch. cristiana*, 1908, p. 197 sq.

EUCHARISTICA COLUMBA, TURRIS. — Duo haec vocabula thecam indicant qua in templis eucharisticae species servabantur. Apud *Librum pontificalem* thecarum huiusmodi dona, sive ab imperatore Constantino, sive a pontificibus ecclesiis data passim memorantur, necnon ibi columba pars prorsus thecae videtur esse, ut de illa quam Constantinus basilicae S. Petri dedisse legitur: « Dedit... patenam auream cum turrem ex auro purissimo cum columbam, ornatam gemmis prasinis et yachintis qui sunt numero margaritis ».[1] Alias tamen turris



Tab. 210. Picturae catacombae S Ianuarii.

sola aut columba nominatur, ac forsan, ut egregius putavit Martigny, theca huiusmodi species fuit aliquando turris cui columba insideret; ceterum etiam peristerium vocata est, quae vox, Graeca origine, columbarium significat. Haec theca appensa videtur fuisse super altari, ut e quodam Amphilochi textu colligitur: « Cum panem (S. Basilius) dividisset in tres partes,... tertiam partem in columba aurea depositam, desuper sacrum altare suspendit ».[2]

CANDELABRA, LAMPADAE. — Candelabra ad cultum divinum fuisse adhibita iam inde a saeculo patet primo, cum in Ioannis

(1) MOMMSEN, *Gesta pont. Romanorum*, p. 58, n. 1.
(2) *Vita S. Basilii.* ap. BOLLAND. t. II, Iun., c. 2, n. 3.

Apocalypsi legamus sanctos candelabra veluti esse lucentia ante Dominum; praeterea eorum figurae in picturis antiquissimis deprehenduntur. Apud *Librum pontificalem* haud raro candelabra memorantur, quae plerumque ex aurichalco erant, sed aliquando etiam ex argento et etiam ex aere facta. Candelabra ante altaria disponebantur, ac communis eorum forma tabula 210 colligitur; aliquando tamen symbolicam assumebant formam, quod praesertim de lampadibus dici debet, ut tabulae 207, nn. 2 et 3 demonstrant.

Flabellum. — Hoc instrumentum apud constitutiones apostolicas primum commemoratur, in quibus legimus ab oblatione usque ad communionem duos diaconos ad latera altaris incessanter flabella agitare e pennis pavonis generatim conflata, tum ad calorem minuendum, qui posset molestus esse celebranti, tum ad muscas aliaque insecta repellenda.(1) Quandonam vero hic coeperit usus dicere haud facile, certum tamen est in Oriente primum quam in Occidente illum fuisse inductum, magisque usurpatum; item agitandi flabelli officium proprium fuisse diaconi solum in Oriente patet, unde idcirco Athanasius legitur flabellum agitasse, quia esset diaconus.(2)

Nullum huiusmodi monumentum ad priora saecula attinens servatur, rarissima autem flabellorum est apud artis opera adumbratio; sunt tamen medii aevi aliqua horum instrumentorum exempla, quae iam mysticam significationem supponunt. Etenim haud quidem pennis, sed metallo plerumque pretioso, argentea scilicet lamina conflata, malleoque aut smaltito elaborata opere exstant, atque seraphim imaginem unam aut plures exhibent qui alis suis aerem agitare finguntur; unde etiam, praeter Ῥιπίδια, etiam nomen ἑξαπτέρυσα inditum. Itaque tum Isaiae verba illa: « Seraphim stabant super illud (nempe Domini solium): sex alae uni et sex alae alteri... etc. »(3) commemorant, tum seraphim antiqui propitiatorii repraesentant.(4) Exempla

(1) *Const. Apost.* VIII, 9.
(2) Ap. Surium, *Vita S. Nicolai,* III Aprilis.
(3) Isaias, VI, 2.
(4) *Exod.* XXV, 18; *Num.* VII, 89.

huius generis duo vere praeclara inventa sunt, alterum apud Melnic,[1] alterum apud Serres (Σέρις), in Macedonia,[2] illud, ex aurato argento, malleo elaboratum, istud quoque argento cum vitreis picturis confectum. Hoc posterius exhibet, in medio, Christi imaginem cum maiestate inter evangelistarum symbola, deinde hymnum angelicum ita inscriptum ut hunc velut zona quaedam circumdet, denique, tamquam corona, angelorum ac seraphim series.

(1) *Mon. Piot*, 1903, X, fig. 19, p. 138.
(2) *Mon. Piot*, 1903, X, pl. XIII; cf. *Revue de l'art chrétien*, 1883-1884.

CAPUT VII.

Vestimenta sacra.

Animadversio praevia.

Vestimenta varia, quae praecedenti recensuimus libro, ad sacrorum indumentorum studium viam sternunt, de quo tamen breviter, prout institutum patitur nostrum, sermo hic erit.

Picturis, tum prioribus, tum potissime post pacem Ecclesiae datam effictis, quilibet sedulo ac rite studuerit, quanti sint momenti ea quae ad vestimentorum sacrorum indolem attinent haud dignoscere non poterit. Inde enim saepe vel temporis nota, vel rei adumbratae interpretatio desumitur. Neque solummodo archaeologis, sed et ingenuarum artium cultoribus talis prodesse debet consideratio, sine qua nempe in ecclesiasticae historiae personis repraesentandis absona temporibus et ridicula prorsus vitari nequeunt. Quam enim displicet, exempli gratia, episcoporum saeculi tertii imagines conspicere, vestimentis ac insignibus indutas, quae ante saeculum sextum minime fuerint in usu! Hac de materia opera quidem non desunt, eaque sane eximia;[1] sed, aut non vulgatissima lingua conscripta, aut rariora grandioraque quam ut plerisque possint facile praesto esse.

(1) Cf. praesertim Wilpert, *Un capitolo sulla storia del vestiario*; J. Braun, *Die pontificalen Gewänder des Abendlandes*; *Die priesterlichen Gewänder* etc.; *Die Gewandung der Christen in den ersten Jahrhunderten*; *Die liturgische Gewandung im Occident und Orient nach Ursprung und Entwicklung, Verwendung und Symbolik*, Freiburg, Herder.

Difficile est dicere quandonam clerus fixum ecclesiasticarum vestium habuerit genus. Id, procul dubio, si prioribus saeculis extitisset, eius indicia in vetustioribus catacumbarum picturis reperiri deberent. Sed contra accidit; nam in his apparet quidem personarum sacrarum, id est Christi, apostolorum, sacramenta ministrantium ac sanctorum proprius plerumque vestes ferendi ritus, sed minime, quoad formam et speciem, a decenti apud civiles viros vestiendi modo differens. Videlicet, personae sacrae, in picturis et in sculptilibus coemeterialibus, tunicam gestant, pallium et sandalia; caput vero detectum habent (Cf. Tabb. 24, 25, pp. 40, 41; 30, p. 53).

Quod si auctores interrogentur, saltem ad saeculum usque sextum nullum circa hoc institutum indicium invenitur.[1] Iam enim vidimus quid de vestibus sibi a fidelibus, honoris gratia, donandis locutus sit S. Augustinus (Vol. II, pars secunda, pagg. 78, 79).

Eodem circiter tempore, vel paullo post, cum in Gallia apud quosdam episcopos ac praesbyteros, in morem inductum fuisset quaedam ad Orientalium monachorum exemplum deferre vestimenta, haec pontifex S. Caelestinus I (422-432) rescribenda curavit: « Didicimus quasdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati... Amicti pallio et lumbos praecincti credunt sese Scripturae fidem, non per spiritum, sed per litteram complecturos. Nam si ad hoc ista praecepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quae sequuntur, ut lucernae in manibus ardentes

(1) Monachi tamen excipiendi videntur, praesertim qui Cassiani instituta, necnon qui S. Benedicti regulam sequebantur; quorum indumenta iuxta ipsius regulae verba *cuculla*, *tunica* et *scapulare propter opera* erant; calceamenta vero *pedules* et *caligae* (*Reg. S. Benedicti*, c. LV). Commune autem omnibus fuit monachis iuxta Domini verba: « Sint lumbi vestri praecincti » (Luc. XII, 35) cinctas gerere tunicas, unde Cassiani illud: « Itaque monachum, ut militem Christi, in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere » (Cassian. *De coenob. inst.* I, 2; *P. L.* XLIX, 60); atque item S. Benedicti regulae verba: « Vestiti dormiant (monachi), et cincti cingulis aut funibus » (*Reg. S. Bened.* c. XXII). — Cf. *Vita S. Fulgentii*, XVIII, 37; *P. L.* LXV, 136.

una cum baculo teneantur? Unde hic habitus in ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? *Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina non veste*». (1)

Ultima textus illius verba clare declarant ecclesiasticos viros, prima saeculi quinti parte, minime vestibus propriis fuisse a ceteris distinctos, licet aliqua circa id consuetudo non defuerit; praeterea nullum cingulum habuisse de quo indicia iam a saeculo tertio in picturis coemeterialibus habentur. Unde recte admodum animadvertit Wilpert apud laicos longae seu talaris tunicae, dalmaticae, paenulae (seu casulae, vel planetae) ac lacernae usum, saeculo praesertim quinto, plane universalem fuisse. (2) Eo autem tempore, unum scilicet pallium veluti episcoporum ecclesiasticum insigne habebatur; idque inter omnes omnino convenit auctores, sive e symbolica ratione et ecclesiastica institutione, sive ex imperatoria concessione, sive civilium consuetudinum imitatione istius moris originem repetant. De pallio igitur primum nobis erit sermo.

Art. I. — Pallium.

Pallium sacrum a civili pallio, de quo Tertullianus in suo *De pallio* loquitur libro, initium traxisse nostris temporibus sententia est, quam quidem recentiorum auctorum ac potissimum Iosephi Wilpert studia certam omnino demonstrarunt.

Primus de pallii huius significatione, ut videtur, locutus est S. Isidorus Pelusiota, qui anno quadringentesimo quadragesimo mortuus est. En eius verba: «Linteum illud cum quo diaconi, in sanctis mysteriis munus suum obeunt, humilitatem Domini, qui discipulorum pedes lavit et extersit, nobis in memoriam redigit. Id autem amiculum, quod sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit inventamque humeris suis

(1) Hinschius, *Caelestini papae decreta ad episcopos Galliae*, ap. *Decretales Pseudo-Isidorianae*, p. 559 sq.

(2) Wilpert, *Un capitolo di storia del vestiario*, pars II, p. 55.

sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende; nam, cum ipse verus pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum, pastoralis artis ducem, ac Deum et herum adesse significans».(1)

Haec tamen verba originem palli sacri explicare minime dixeris. Universalis enim scriptorum mos fuit, a saeculo quinto per totum aevum medium omnia sive ad sacros ritus, sive ad indumenta ac supellectilem sacram pertinentia, symbolico explicare sensu. Quapropter, de pallii mystica significatione idem tenendum est atque de templorum consecratione aliisque antiquioribus ritibus, quorum origo nonnunquam ethnica profanaque omnino est.(2)

Pallium civile ita a saeculo secundo magni apud Romanos fiebat, ut putaretur posse in locum togae nonnunquam adhiberi, atque omnibus quibuslibet civium gradibus, praesertim

(1) Isid. *Ep.* I, 136, *P. G.* LXXVIII, 271: Ἡ ὀθόνη, μεθ' ἧς λειτουργοῦσιν ἐν τοῖς ἁγίοις οἱ διάκονοι τὴν τοῦ Κυρίου ἀναμιμνήσκει ταπείνωσιν, νίψαντος τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάξαντος. Τὸ δὲ τοῦ ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρέας ὂν ἀλλ'οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει, ὅπερ πλανηθὲν ζητήσας ὁ Κύριος, ἐπὶ τῶν οἰκείων ὤμων ἀνέλαβεν. Ὁ γὰρ ἐπίσκοπος εἰς τύπον ὢν τοῦ Χριστοῦ, το ἔργον ἐκείνου πληροῖ, καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητής ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος, ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τοῦ ποιμνίου προβεβλημένος· καὶ πρόσχες ἀκριβῶς. Ἡνίκα γὰρ αὐτὸς ὁ ἀληθινὸς ποιμὴν παραγένηται διὰ τῆς τῶν Εὐαγγελίων τῶν προσκυνητῶν ἀναπτύξεως, καὶ ὑπανίσταται καὶ ἀποτίθεται τὸ σχῆμα τῆς μιμήσεως ὁ ἐπίσκοπος, αὐτὸν δηλῶν παρεῖναι τὸν τῆς ποιμαντικῆς ἡγεμόνα, καὶ δεσπότην. — Ad haec verba en quid egregius Wilpert habet: « La significazione simbolica del pallio sacro..., non introdusse niente di nuovo nel simbolismo già esistente. Nuova era soltanto l'applicazione del simbolismo al pallio, il quale fino allora era l'abito per eccellenza, l'abito d'onore e di dignità (Wilpert, *Un capitolo di storia del vestiario*, p. 56)».

(2) Cf. meum opusculum: *Nonnulla de symbolismo liturgico*, Romae, an. 1897.

autem philosophis ac scientiarum artiumve magistris, convenire. Qua de re Tertulliani ista sane notanda veniunt: « Grande pallii beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt. Viderit nunc philosophia, quid prosit. Nec enim sola mecum est. Habeo et alias artes in publico utiles; de meo vestiuntur, et primus quidem informator litterarum, et primus enodator vocis, et primus numerorum arenarius, et

Tab. 211.

Tab, 212.

grammaticus, et rhetor, et sophista, et medicus, et poeta, et qui musicam pulsat, et qui stellarem coniectat, et qui volaticam spectat: omnis liberalitas studiorum quattuor meis angulis tegitur. » Et ad Christianos quod attinet: « Gaude, pallium, et exulta: melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire coepisti » (Tab. 211).[1]

Processu vero temporis, sicut toga, ita et pallium multiplici plicatura ad taeniae formam seu vittam reductum est, quod ab ipso Tertulliano ita exprimebatur: « . . . Rugas ab exordio formare et inde deducere in tabulas. »[2] Plicaturae huiuscemodi, quae multiplex contabulatio vocabatur, exemplum in quadam coemeterii S. Domitillae pictura medio saeculo quarto addicenda S. Petronillam repraesentante habetur (Tab. 213).

(1) TERTULL. *De pallio*, c. 6.
(2) TERTULL. *De pallio*, c. 5.

Inter christianas picturas, hac effigie antiquius eiusmodi exemplum non extat; sed non ita apud ethnica monumenta. Mulieres praesertim divinis addictae mysteriis, vel a saeculo primo, pallii quodam genere usae sunt, ita dispositi ut sine contabulatione ad vittae formam iam esset paratum, cui no-

Tab. 213. (Coem. S. Domitilla).

men pallae inditum est. Id in antiquioribus dearum statuis clare conspicitur et exemplo sit Isiacae cuiusdam statuae imago tabula 212 adumbrata.

Iam non est cur quaeramus undenam sacri pallii forma proveniat cum ipsa communis pallii contabulatio eam exhibeat. Praeterea, huius indumenti dignitas, vel magistralis indoles, effecit, ut in ecclesiasticum potestatis honorisque signum ipsum denique usurparetur. Quando autem id factum fuerit ignoratur; non desunt tamen qui pallium sacrum tamquam

imperatorium institutum considerent, idque anno trecentesimo octogesimo secundo ortum habuisse dicant. Huius sententiae ratio lex quaedam anno illo promulgata, iuxta quam iniungitur *officialibus*, qui a ceteris distinguendi erant civibus, *ut, discolo-*

Tab. 214. Diptychon saec. VI.

Tab. 215.

ribus quoque palliis pectora contegentes, condicionis suae necessitatem ex huiusmodi agnitione testentur. (1)

Imprimis autem notandum est neque circa hoc indumenti genus, de quo agitur, legem satis esse claram neque monumenta extare quae eius nobis exemplum praebeant. Doctissimus Ludovicus Duchesne in suo de cultus Christiani origine eximio opere, non ita quidem opinatur, sed idem discolor pallium etiam consulibus, honoris significatione, fuisse donatum tuetur, indeque concludit magno imperatorem ecclesiasticos viros honore auxisse, quod tali consulari indumento vel episcopos voluerit exornare. (2)

(1) *Cod. Theod.* I, 14, 101.

(2) En eius verba: « Cette conception du *pallium* comme un manteau a été suggérée par le mot plutôt que par la chose. L'insigne que l'on dé-

Egregius hic auctor pallium cum toga confundit; nam nulla est in diptychis hucusque cognitis consulis figura pallio instructa; sed semper toga, eaque picta convestitae consulares effigies apparent, et exemplo sit e dipthycis saeculi sexti deprompta imago, quam tabula 214 repraesentat. Evidens est toga, quantumvis contabulata vel retractata, non autem pallio, consulem ibi esse indutum; neque eiusmodi indumentum zonam, taeniam, vittamve vocari (*écharpe*) posse.[1] Denique, in lege vestiaria de qua est sermo, nihil prorsus de pallio discolore consulibus praescripto invenire est; nec sane intelligitur quomodo honoris signum potuerit summis magistratibus atque episcopis pallium evadere, quod officialibus, seu iis qui minoribus fungebantur officiis, iniunctum fuerat.

Monumenta Christiana antiqua, quae pallium sacrum indicent pauca admodum sunt. E saeculo quarto exeunte aut ineunte quinto, papyracea papyri quorumdam chronicorum Alexandrinorum proveniunt fragmenta, in quibus patriarchae Theophili bis depicta est imago pallio, seu proprie magis, *omophorio* in-

signait par ce terme n'avait pas la forme d'un vêtement, mais d'une écharpe. Cette écharpe, sans doute, dérive, en dernière analyse, du court manteau que les Grecs avaient mis à la mode sous l'empire romain. Mais les *discolora pallia* du Code théodosien sont bien évidemment des écharpes, et des écharpes-insignes, que l'on porte sur la *paenula*, comme le *pallium* pontifical se porte sur la planète. Le Code théodosien ne parle de cet insigne qu'à propos de fonctionnaires d'un ordre relativement humble, mais les monuments nous le présentent sur les épaules des consuls, ce qui permet de croire que le gouvernement impérial donna, en réalité, une très grande marque d'honneur aux dignitaires ecclésiastiques en le leur conférant » (DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, Paris, 1903, 3e ed., p. 386).

(1) En tamen quid de eiusmodi vestimento scribit Duchèsne: « Il suffit de jeter les yeux sur un diptyque consulaire pour comprendre ce que je veux dire. Le consul y est représenté dans l'acte le plus solennel de son inauguration, au moment où il va donner le signal de laisser courir les chevaux dans l'arène. Par-dessus ses habits, on distingue une longue écharpe ainsi disposée ... » (DUCHESNE, op. cit. p. 398). Tunc diversas describit togae circa corpus remeationes, sicut iam supra (p. 79) descripsimus.

structa.[2] Saeculo quinto quoddam eburneum anaglyptum Treviris asservatum, saeculo autem sexto, praeter musiva Ravennatensia quaedam opera, etiam picturas apud S. Cornelii sepulcrum delineatas de quibus iam sermo fuit (Tab. 216), addicere licet. Ex is igitur monumentis pallium quamdam fuisse zonam



Tab. 216. (Coem. S. Callisti).

colligitur, quae iuxta morem civilis pallii ferendi gerebatur; licet, propter paenulae amplitudinem non iam sub dexteram axillam, sed super dextrum humerum transiret. Tabula 215 puerum repraesentat ita vestitum, perinde ac in tabula 216 episcopus Optatus apparet.

(1) Adolf Bauer und Joseph Strzygowski, *Das Bild des Patriarchen Theophilos in einer Alexandrinischen Weltchronik.*

Paucis post annis, in Caelimontano monasterio, Gregorius Magnus propriam iussit imaginem depingi, pontificali pallio munitam. Eam Ioannes Diaconus effigiem descripsit, atque illius verbis clare patet pallium ibi eiusdem fuisse formae atque in relatis sepulcri S. Cornelii picturis: « Sed et in absidula post fratrum cellarium, Gregorius ... in rota gypsea pictus ostenditur, statura iusta et bene formata, ... barba paterno more subfulva et modica; ita calvaster, ut in medio frontis gemellos cincinnos rarusculos habeat, et dextrorsum reflexos; corona rotunda et spatiosa, capillo subnigro et decenter intorto sub auriculae medium propendente ... *Praeterea planeta super dalmaticam castanea. Evangelium in sinistra, modus crucis in dextera; pallio mediocri a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cuius pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corpus, sed ex latere pendet; circa verticem vero tabulae similitudo, quod viventis insigne est* ».[1]

Porro, si ab ipso civili pallio originem, quoad formam, pallium sacrum repetat; si iam medio saeculo quarto pallium contabulatum in coemeterialibus Christianis picturis cernebatur, licet minime tamquam pontificale ornamentum; si denique nullum habeatur de pallii imperatoria concessione certum indicium, quid ni pallium sacrum institutum esse ecclesiasticum dicemus? Praeterea, anno trecentesimo octogesimo secundo pallium istud ex imperatoria lege ortum habuisse haud sane veri simile dici potest, quandoquidem, eodem circiter tempore, iam pallio sacro symbolica seu mystica tributa erat significatio, quae a plurimis iam annis usitata fuisse supponitur. In antiquioribus Libri pontificalis recensionibus pontifex Marcus legitur episcopo Hostiensi pallii ferendi honorem contulisse,[2] quam tamen notitiam solummodo velut indicium hic afferre intelligimus.

(1) Ioann. Diac. *Vita Greg. M.* IV, 84; *P. L.* LXXV, 230 sq.

(2) Mommsen, *Gesta pont. Rom.* p. 73: « Hic constituit ut episcopus Hostiae, qui consecrat episcopum, pallium uteretur ... ».

Sententiam vero eorum, qui a commenticia Constantini donatione originem repetunt pallii, haud puto refutandam; neque maioris aliam, quam Baronius tuitus est, faciendam censeo, iuxta quam pallium esset ab Ecclesia quidem inductum, sed ad imitationem *ephod* et *rationalis,* quae in vetere Testamento a summo sacerdote usurpata invenimus. De his ac de aliis quibusdam veterum archaeologorum opinionibus et ego alibi tractavi,[1] ac mira eruditione et doctrina egregius Wilpert iam pridem locutus est.[2]

Ad sententiam autem de imperatoria pallii concessione corroborandam duo afferuntur exempla, quibus constare asseritur, tum Vigilii (527–555), tum Gregorii Magni (590–604) tempore,[3] Byzantinum imperatorem sibi quodammodo pallii conferendi potestatem vindicasse. Sed hoc nihil conficit, nam duo et tria fere post saecula a pallii institutione talia evenerunt, atque insuper alia eiusdem temporis facta a pontificibus principi huiuscemodi ius semper denegatum esse indicant.[4] Sic ipse Gregorius pallium tamquam *Apostolicae sedis benevolentia et provocatus* concedit, illudque *a beati Petri apostoli sede* vel *ex benedictione beati Petri apostolorum principis* mittit; neque illud indignis aut inobedientibus episcopis auferre dubitat: « . . . Usum ei pallii, ait de episcopo Natali, qui ab hac sede concessus est,

(1) P. Syxtus, *Vestimenta sacra* ap. *Ephem. liturg.* 1909 novemb., 1910 febr.

(2) Wilpert, *Un cap. di storia del vestiario,* Romae, 1898, I et II. — Vere dolendum est quod huiusce operis centum quinquaginta exemplaria dumtaxat in lucem prodierint.

(3) Cf. Vigilius, *Ad Auxanium Arelatensem, P. L.* LXIX, 27; idem, *Ad Aurelium Arelatensem, P. L.* LXIX, 59; Gregorius Magnus, *Ep.* IX, 11, *P. L.* LXXVII, 952.

(4) Hac super re egregie post Hinschium locuti sunt Grisar, Braun, Garnier ac Wilpert: huius vero aliqua referre praestat: « Vigilio e S. Gregorio hanno prudentemente ceduto alla forza maggiore, per evitare noie e gravi incomodi. In quanto specialmente a S. Gregorio, non bisogna dimenticare che il vescovo Siagrio, il ricevitore del pallio, era un personaggio influentissimo nella Corte, e che la stessa regina Brunilde domandò per lui questa onorificenza al papa, ciò che potè bastare per far nascere qualche sospetto all'imperatore » (Wilpert, *Un capitolo* etc. pp. 44 e 45).

ex auctoritate sedis apostolicae contradicito »; et ad Ravennatensem episcopum Ioannem: « ... Admoneo quatenus, nisi decessorum meorum munificentia tibi haec per privilegium attributa docueris, uti in plateis pallio ulterius non presumas; ne non habere et ad missas incipias, quod audacter et in plateis usurpas ». (1)

Verum quidem est Ravennatensem episcopum a pontifice postea obtinuisse, ut quater in anno, scilicet *die natalitio beati Ioannis Baptistae, beati Petri apostoli, et beati Apollinaris martyris, atque in ordinationis celebratione*, (2) pallium extra templum gestaret, quod *ad sola missarum solemnia* ex instituto *adhibendum* erat; sed hoc summis intercedentibus Urbis magistratibus necnon iteratis iteratisque supplicationibus tantum concessum fuit. Quanti vero in hac questione auctoritatem pontificis episcopus faceret, id ipso illius humili responso patet: « ... quibus ausibus, inquit, ego sanctissimae illi sedi, quae universali Ecclesiae iura sua transmittit, praesumpserim obviare, propter cuius conservandam auctoritatem ... multorum contra me inimicorum invidiam graviter excitavi? » (3)

Dictum est, idemque etiam hodie repetitur, omnes episcopos, praeter pallium Romanum eorum aliquibus concessum, aliud habuisse pallium fere pontificalis pallii simillimum, Wilpert vero, documenta quae ad hanc fulciendam sententiam efferebantur diligentissime et argutissime perspiciens et per-

(1) Gregorius Magnus, *Ep.* IX, CXXII, coll. 1052, 1056; *Ep.* II, XX, col. 556. Circa ultima Gregorii verba in textu relata haec scribit Wilpert: « Quest'incidente è tanto più importante in quanto si riferisce al Vescovo di Ravenna, strettamente congiunto colla Corte bizantina. Se il pallio fosse in origine un dono dell'imperatore, Giovanni ne avrebbe approfittato per rendere il papa più condiscendente, avrebbe anzi potuto rivolgersi allo stesso imperatore per ottenere direttamente da lui il pallio e la facoltà di servirsene a modo suo. Nulla di tutto ciò. Nell'umile lettera giustificatoria (*il vescovo di Ravenna*) esprime un profondo rispetto verso la Santa Sede » (Wilpert, *Un capitolo*, etc. p. 46).

(2) Gregorius Magnus, *Ep.* V, 11, col. 733.

(3) *Epistola Ioannis Ravennatis episcopi ad Gregorium papam* inter Greg. Magni opera *Ep.* III, LVII, col. 654.

pendens, non de pallio sacro in his textibus demonstravit esse sermonem, sed modo de orario, modo de palliolo quo nudi tegebantur humeri, modo denique de velo aut orario ad caput tegendum adhibito, quae omnia his possunt specialibus nominibus appellari: ἱμάτιον, *orarium, velum, mafors, ricinium.*(1)

Brevitati studentes, in hac demonstratione doctissimum auctorem haud sequemur; nihilominus unum animadvertendum ducimus, scilicet canonem sextum primi Masticonensis concilii quo praescribitur *ut archiepiscopus sine pallio missas dicere non praesumat,* minime de pallio sacro loqui e textuum collatione certo colligi, et insuper vocem *archiepiscopus* esse in vocem *episcopus* corrigendam.(2) De huiuscemodi autem altero et communi pallio en quid inter alios auctores S. Germanus, Parisiensis episcopus († 576), habet: « Pallium vero quod circa collum usque ad pectus venit, rationale vocabatur in vetere Testamento... Quod autem collo cingit, antiquae consuetudinis est, quia reges et sacerdotes circumdati erant palleo veste fulgente... Quod autem fimbris vestimenta sacerdotalia adnectuntur, Dominus Moysi praecepit in Numeris, ut per quattuor angulos palliorum filii Israel fimbrias facerent, ut populus Domini non solum opere sed etiam vestitu mandatorii Dei signum portaret ».(3)

In hoc textu de episcopali pallio quodam est quidem mentio sed quod collum descendens usque ad pectus cingat fimbriasque habeat. Non id igitur cum pallio sacro confundendum, sed veluti reputandum orarium quod, propter sua pretiosa ornamenta, minime dicebatur monachis convenire, ut ex non paucis textibus colligitur. Ita S. Fulgentius, quia monachus, *nunquam orario, sicut omnes episcopi, usus esse* legitur;(4) atque

(1) Wilpert, *Un capitolo* etc. vol. II, p. 48 sq.

(2) Vox *archiepiscopus* non nisi in posterioribus huius documenti codicibus reperitur, atque interpolata fuisse videtur, cum amplius pallii eiusmodi significatio non intelligeretur, illudque cum sacro iam confunderetur pallio. Cf. Loning, *Deutches Kirchenrecht,* II, 94, nota 1; Wilpert, *Un capitolo* etc. II, p. 50.

(3) S. Germanus, *Ep.* 2, *P. L.* LXXII, 97.

(4) *Vita S. Fulgentii,* 17, 37, *P. L.* LXV, 136.

S. Isidorus in sua *Regula monachorum* ait: « Porro linteo non oportet monachum indui; orarium, birros, planetas non est fas uti, neque indumenta.., quae generaliter cetera monasteria abutuntur ». (1)

Ex dictis, vero iam intelligi potuit, et, saltem obiter, nunc est attentius animadvertendum, pallium proprie sacrum non uti hodie habetur ita fuisse ab initio, sed ad praesentem formam triplici mutatione redactum. Primum quidem contabulatum fuit; sed, uti iam notavimus, ob paenulae amplitudinem, cuius usus saeculo quarto coepit, a sinistro humero ad humerum dextrum deductum est, ut, post amplissimum ante pectus sinum, iterum ad humerum sinistrum perveniret ac retro post dorsum penderet. Cruces quoque habuit duas, in extremis oris loco litterarum sutas aut acu pictas; quae quidem iam antea in communi sacrarum personarum pallio apparuerant. Saeculo ineunte quinto contabulatio exolevit atque vittae formam pallium sacrum exhibuit, idque ad nonum usque saeculum permansit. Postea pallium velut ampla torquis evasit super humeris disposita, et ex qua vittae duae seu zonae, altera ante pectus, altera per medium tergum, pependerunt. Ultimae huius mutationis ratio haec fuit, quod partes pallii ex humero sinistro dependentes, altera in medio pectore, altera vero in medio dorso simul cum reliqua sinuosaque pallii parte, fibulis firmatae fuerint. (2) Tabula 218 diversas pallii formas praebet, quae, cum monumentis tabulis hic passim adumbratis collatae, rem prorsus absolvit.

In Oriente, pallii usus valde invaluerat, nec ullus erat episcopus qui eo non uteretur; vocabatur autem ὠμοφόριον. Ad

(1) S. Isidorus, *Reg. monach.* 12, 2, *P. G.* LXXXIII, 882.

(2) Cf. Wilpert, *Un capitolo* etc. II, p. 41, not. 1: « Tre ritratti papali, copiati sopra originali della metà incirca del secolo IX, ci fanno vedere come il pallio sacro dalla forma sciolta passò a quella fissa, ossia dalla seconda alla terza trasformazione: invece di cadere *ex latere sinistro* (per usare l'espressione di Giovanni Diacono) l'estremità anteriore della striscia, essa è portata *in medium corpus* e fissata con quella parte che traversa il petto. Così la terza trasformazione era preparata; bastava cucire insieme le due parti posanti sulla spalla sinistra ».

Occidentem quod pertinet quaedam Wilpert verba praestat referre: « In Occidentali Ecclesia, pontifex maximus dum-



Tab. 217. Episcoporum imagines apud Christum depictae in ecclesia S. Maria Antiquae.

taxat pallium gerebat. Iuxta autem *Librum pontificalem*, papa Marcus (an 336) episcopum Ostiensem pallii honorem auxit, qui unus eorum erat qui summum pontificem consecrare de-

bebant: « *Hic* (scilicet Marcus) *constituit ut episcopus Ostiae*, qui consecrat episcopum, palleum uteretur et ab eodem episcopus urbis Romae consecraretur ». Serius vero nonnulli alii in Italia et extra Italiam episcopi pallio insigniti sunt. S. Caesarius, Arelatensis episcopus, illud a papa Symmacho (498-514) habuit. Ut enim in eius legimus *Vita*, ipse Romam venit, ubi



1 3 2

Tab. 218.

« *beato Symmacho tunc papae, ac deinde a senatoribus et senatricibus* » reverenter receptus est. « ... *Igitur virum apostolicum non iam fama vulgante, sed corporali praesentia comprobante, certatim diligere ac venerari coeperunt. Pro qua re etiam papa Symmachus, tanta meritorum eius dignitate permotus, non solum verissime eum metropolitano honore suspexit, sed et concesso specialiter* pallii decoravit privilegio ».[1] Pallii igitur collatio hic tamquam speciale consideratur privilegium, quo pontifex sancti episcopi virtutes ac merita honorare voluit; insuper de pallio tamquam de pervulgata sermo est re, quod usum pallii sacri

(1) *Vita S. Caesarii*, 4, 20, *P. L.* LXVII, 1016.

conferendi haud quidem recentem, sed veterem fuisse commonstrat »[1]

ART. II. — **Tunica, dalmatica, casula, stola, manipulus, mitra.**

TUNICA. — Vestis haec communis prorsus, apud antiquos Romanos, erat, ac cincta vel discinta, longa vel brevis, iuxta personarum conditionem, sexum, munera, aetatem ferebatur (Tabb. passim). Picturae coemeteriales eam albis coloris exhibent cruraque usque sub genibus tegentem, aut paulo infra; saeculo tamen quarto, talaris plerumque apparet, nempe ad talos usque pertingens, ac sub ista forma ut liturgica vestis, a saeculo quarto, adhibita est.

DALMATICA. — Genus quoddam tunicae dalmatica erat, manicis instructa amplis; gestabatur vero semper discincta et, sicut tunica, clavis purpureis ornabatur. Nominis eius originem ita explicat S. Isidorus: « Dalmatica vestis primum in Dalmatia provincia Graeciae (sic) texta est, tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura ». Saeculo quarto, Romae, haec indumentum diaconorum proprium facta est,[2] sed alibi non nisi

(1) WILPERT, *Un capitolo* etc. II, p. 42.

(2) In *Libro pontificali* de papa S. Silvestro haec leguntur: « Hic constituit, ut diacones dalmaticas in ecclesia uterentur et pallea linostema laeva eorum tegerentur » (MOMMSEN, *Gesta pont. Rom.* p. 50). Sed in vita S. Silvestri, hic pontifex colobium legitur diaconis dedisse, cuius in locum, propter manicarum brevitatem, dalmatica a papa Damaso est substituta (cf. DUCHESNE, *Liber pont.* 1, 89, not. 21). Hac de re notanda mihi videntur haec P. Grisar verba: « La *paenula* o pianeta comune era di qualche imbarazzo per i ministri sacri molto occupati, come i diaconi, intorno al celebrante, agli offerenti ed ai comunicanti. Si diede loro perciò sotto Silvestro (se non prima) il colobio; ed in questo si imitava forse i Greci, come sembra accennare anche la notizia della vita di S. Silvestro sulla presenza in Roma d'un vescovo Eufrosino di Panfilia, il quale entra nell'affare della mutazione. Ma alcuni decennii più tardi quel vestito senza maniche o con piccole maniche soltanto sembrava meno degno dei ministri dell'altare, che non stavano nell'ordine degl'inferiori gradi, e così fu scelta per uso loro la dalmatica colle maniche larghe e solenni, la qual veste allo stesso tempo offriva pure tutte le comodità del colobio » (GRISAR ap. *Civiltà cattolica*, 1898, pp. 727, 728).

saeculo ineunte sexto ac pontificum Romanorum concessione hoc indumento fuerunt diaconi insigniti. Sic, in vita S. Caesarii, papa Symmachus legitur, anno quingentesimo decimo tertio, usum dalmaticae *ad Romanae instar ecclesiae* diaconis Arelatensis ecclesie indulsisse. Diaconi vero Ravennatenses, tempore Iustiniani imperatoris (527–565), dalmaticis iam utebantur, eorumque in musivis basilicae S. Vitalis operibus effigies omnium antiquissimum huius ecclesiasticae vestis exemplum in Occidentali praebet ecclesia (Tabb. 213, 219).

Igitur dalmatica non fuit statim communis diaconorum vestis, sed tamquam privilegium ad saeculum usque octavum extitit, nec proprie quando eius generalis factus fuerit usus agnoscitur.

Casula. — Hoc indumentum, praesbyterorum proprium ac planeta quoque vocatum,[1] paenulae quoddam est genus in lateribus ita decurtatae, ut possit sacerdos ea indutus liberius brachia movere ad divina munera obeunda. Saeculo quarto videtur eius usus coepisse, at minime a paenula civili differebat quae, eodem tempore, communis pene omnibus civium ordinibus necnon senatoribus vestis fuit. Quinimmo et operarii ea utebantur, decurtata tamen, vel ante pectus aperta ut alibi iam diximus. Paenula super tunica vestiti apparent episcopi in imaginibus iuxta S. Cornelii sepulcri delineatis (Tab. 216) quas scimus ad saeculum sextum pertinere; in musivis operibus basilicae Ravennatensis S. Apollinaris *in Classi* tum ad sextum tum ad septimum saeculum pertinentibus;[2] in picturis ecclesiae Sanctae Mariae Antiquae septimum et octavum saeculum respicientes,[3] necnon in picturis ecclesiae inferioris S. Clementis (Tab. 219) quae paullo sunt

(1) Cf. Ch. Diehl, *Ravenne*, H. Laurent, Paris, 1907, pp. 63, 71, 72.

(2) Cf. Wilpert, *Sancta Maria Antiqua*, ap. Venturi, *L'arte*, 1910, fasc. I, passim.

(3) Planeta a graeca voce πλανάομαι = *vagor*, casula appellata est a *casa*, quod, iuxta S. Isidorum, *totum hominem tegat, quasi minor casa. Graeci planetas dictas volunt, quia oris errantibus evagantur* (Isidorus, *Ethymol.* l. 19, c. 24, *P. L.* LXXXII, 691).

anno millesimo octogesimo quarto anteriores. In his tamen planeta aliquantum a primaeva sua forma mutata apparet, scilicet brevior in anteriori est parte ac in angulum desinens.



Tab. 219. Picturae basilicae S. Clementis.

Ex aliis eiusdem loci picturis colligitur, pontifex omnia tunc ceterorum praecipuorum ordinum indumenta gestavisse, nempe, praeter planetam et pallium, etiam tunicam, dalmaticam et manipulum.

Stola — Mirum lectori forsitan videbitur stolam, diaconorum propriam, aliud origine non fuisse nisi linteum, seu orarium, quo diaconi vasa sacra tergebant, idque ad imitationem illorum qui sacrificiis vel mensis inserviendis addicti erant. Primum enim diaconorum munus fuit mensis pauperum sive agapis ministrare;[1] postea vero ad altaris officia isti addicti sunt,[2] unde linteum, quo prius ad profanam supellectilem mundandam utebantur, postea ad sacra vasa necnon ad manus tergendas sacerdotum adhibuere. Porro linteum hoc in stolam diaconalem mutatum fuisse e Patrum scriptis necnon ex ethnicis Christianisque monumentis clare colligitur. Linteum enim epulare, omnibus concorditer testantibus,[3] super humero sinistro ferebatur, et hoc quidem modo diaconos stolam gessisse Ioannes Chrysostomus affirmat. Immo quod diaconus se movendo stolam agitaret, hinc idem auctor occasionem arripit stolam alis angelorum assimilandi.

Praeterea, si, ut supra notavimus, relata S. Isidori Pelusiotae verba, circa pallii significationem, nequeunt originem huius indumenti explicare, sed eam e monumentis colligere debemus, non ita habenda sunt quae ille de stola dicit; nam optime et monumentis respondent: « Linteum illud, ait, cum quo diaconi in sanctis mysteriis munus suum obeunt, humilitatem Domini, qui discipulorum pedes lavit et extersit, nobis in memoriam redigit ».[4] Quibus quidem verbis quasdam anaglyptorum figuras quasi illustrari dixeris. Ut breves simus, unum adducemus exemplum, cuiusdam scilicet sarcophagi sculpturam, quae Christum, dum ad lavandos pedes Petri se accingit, repraesentat. Christus ibi super sinistro humero linteum portat, cuius pars anterior ita est longa, ut facile paululum se inclinando neque

(1) *Act.* VI, 1 sq.

(2) Cf. S. Ignatius, *Ep. ad Trall.* 2.

(3) S. Ioan. Chrys. *In parabolam de filio prodigo, P. G.* LIX, 519: Ἐπίστασθε τὴν πνευματικὴν εὐφροσύνην, οἱ ταύτης γευσάμενοι καὶ μεμνημένοι τῶν φρικτῶν μυστηρίων, τῶν λειτουργῶν τῆς θείας ἱερουργίας, τῶν μιμουμένων τας τῶν ἀγγέλων πτέρυγας ταῖς λεπταῖς ὀθόναις ταῖς ἐπὶ τῶν ἀριστερῶν ὤμων κειμέναις, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ περιστεχόντων τῶν βοώντων.

(4) Isid. Pelus. *Ep.* I, 136, *P. G.* LXXVIII, col. 271.

ex humero quidquam linteum detrahendo, pedes apostoli tergere Salvator possit. Hoc monumentum, quod verba Pelusiotae dixeris commemorare, eiusdem fere temporis est (saec. IV vel V), ac in Lateranensi museo asservatur; sed alia sunt quae eodem prorsus modo Christum repraesentant monumenta, ut in tabulis 34, p. 64, et 35, p. 70 videre est. (1)

Tab. 220. Pictura rotuli « Exultet nuncupati » (saec. XII) (Ex WILPERT, *Un capitolo*, etc.).

Ante finem saeculi quarti, stola, tam apud Latinos quam apud Graecos *orarium*, seu ὠράριον, vocata, ab omnibus minoribus clericis ferebatur; concilium autem Laodicense canonibus vigesimo secundo et vigesimo tertio praescripsit: « Ut lectores orario non uterentur, sive legerent sive psallerent », neque ostiarii, qui insuper non debebant ostia relinquere. (2)

(1) Cf. WILPERT, *Un capitolo* etc. II, p. 47, tab. 30.
(2) *P. L.* LXVII, 956 sq.

Saeculo sexto, stola iam diaconorum ordinis dumtaxat erat signum; quod quidem hoc concilii Bracarensis (a. 563) canone patet: « Item placuit ut, quia in aliquantis huius provinciae ecclesiis diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre a subdiaconis videantur, de cetero superposito scapulae (sicut decet) utantur orario ».[1] Exinde etiam evenit ut simul cum usu, etiam significatio indumenti mutaretur, atque vocabulum orarium, perinde ac si a verbo *orare*, id est sermonem facere, veniret, pro praedicandi potestatis signo acciperetur. En de hac re quid concilium Toletanum quartum (a. 633) habet: « Orariis duobus, nec episcopo quidem licet, nec presbytero uti, quanto magis diacono, qui minister eorum est. Unum igitur orarium oportet levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est praedicat; dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus sit et ministerium sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodo levita gemino uti orario, sed uno tantum, nec ullis coloribus aut auro ornato ».[2]

Quod, tamen de diversis regionibus in allatis textibus dicitur, haud ad diaconos Romanae ecclesiae attinere peribendum est; nam Romae linteo breviori utebantur ministri, quod

(1) MANSI, *Concil. nova et ampl. collect.* IX, 778.

(2) MANSI, *Concil. nova et ampl. collect.* X, 629 sq. — Praestat quasdam Wilpert ad hunc canonem animadversiones adducere: « Tale innovazione dei diaconi non era provocata da qualche motivo di estetica, per esempio, per completare le " ali angeliche "; essa venne dalla " superbia di alcuni diaconi ", come ce lo fa supporre il canone XXXIX dello stesso Concilio. In questo canone leggiamo che *nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, ut se presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare praesumant, presbyteris in secundo choro constitutis.* Per la stessa ragione pretendevano i diaconi di nascondere l'orario sotto la tunica (dalmatica): così lo portavano, come vedremo, i preti e i vescovi. Tali pretensioni comprenderà facilmente chi considera la posizione eminente dei diaconi nella chiesa primitiva ... In quanto all'ornamentazione dell'orario, che per tanti secoli conservò la primitiva *purezza*, ossia il colore bianco del *linteum*, la proibizione del Concilio toletano rimase senza effetto, poichè col tempo furono cambiati il colore e la materia, e ciò probabilmente sotto l'influsso dell'orario dei preti e dei vescovi » (WILPERT, *Un capitolo* etc. II, p. 75).

mappa, mappula, pallium, ac serius etiam sudarium appellatum est, fuitque, proprie loquendo, primaeva manipuli forma, ut infra videbimus.

Ad nomen vero stolam quod pertinet, orarium diaconorum primum a S. Germano Parisiensi episcopo († 576) sic stola vocatum reperitur: « Stola autem, quam super alba diaconus induit ». Sed hinc etiam apparet significationis novae inductio, nam ipse auctor haec subiungit: « ... Stola significat subtilitatem intelligentiae in divina mysteria, licet veteres stolam induentes gaudium solemnitatis se habere monstrabant » ;[1] quae quidem verba sacram Scripturam memorant.

Ceterum, nominis mutatio haud ubique simul facta est; etenim, initio saeculi noni Rabanus Maurus scribit: « Quintum (vestimentum) est, quod orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent »;[2] saeculo autem decimo adhuc orarii vocabulum invenitur apud Abbatem Reginum: « Stola vel orarium »;[3] ac saeculo undecimo Pseudoalcuinus ita explicat: « Orarium id est stola »;[4] denique apud Anglos vel saeculo decimo tertio, adhuc nomen orarii pariter ac stolae occurrit. Hic promiscuum stolae ac orarii vocabulorum usus iuxta Wilpert effecit, ut fere omnes liturgiae periti in errorem laberentur[5]

(1) S. Germanus, *Ep.* II, *P. L.* LXXII, 98.

(2) Rabanus Maurus, *De cleric. instit.* I, 19, *P. L.* CVII, 307.

(3) *De ecclesiae disciplina*, I, 62, *P. L.* CXXXII, 190.

(4) *De divin. offic.* 39, *P. L.* CI, 1242.

(5) Wilpert, *Uu capitolo* etc. II, p. 76. — Praestat huius loci notam 13 referri: « Sentiamo come Onorio di Autun (*Gemma animae*, I, 204, Migne, 172, 605) s'immagina l'origine della stola: (*Stola*) *erat vestis candida pertingens ad vestigia, sed postquam coepit portari alba, mutata est, ut hodie cernitur, stola.* Questa spiegazione ingenua piacque a Sicardo di Cremona († 1215 [*Mitrale*, 2, 5, Migne, 213, 74]) e a Durando († 1296 [*Rationale*, 3, 5, n. 6]). In tempi meno remoti e moderni si è cercato di aggiustarla un po'. Il Bona (*Rerum liturg.* lib. I, 24, n. 6), seguendo Ricardi (*Analect. S. Procli*, 238) deriva la *stola* dall'orlo inferiore (*ora* onde *orarium*) della veste matronale *stola*, ed il Bock (*Geschichte d. liturg. Gew.* I, 435 e segg.) dal clavo chiamato da lui *fascia*, *fasciola*, *limbus*. Altri (Martigny, *Dictionnaire*, s. vv. *Orarium* et *Vêtements*, 345 e 783), derivando

Manipulus. — In conviviis profanis, necnon in liturgicis seu eucharisticis mensis, linteum, quo ministrantibus, ut convenienter officio fungerentur, opus erat, duplici modo gestatum esse sciendum est, nec profecto mirandum. Praeter enim usum super sinistro humero hoc linteum vel mappam deferendi, alius mos etiam fuit, nempe ut super sinistro brachio illud poneretur. Aliunde monumenta tam ethnica quam Christiana utrumque modum exhibent, et exemplo sit quaedam coemeterii Ss. Petri et Marcellini pictura, in qua ex duobus qui funerario deserviunt convivio, alter super humero sinistro alter in sinistro brachio, mappulam gestat.(1)

Inde est manipuli liturgici origo repetenda.

Prima huiuscemodi mappae liturgicae mentio in *Libro pontificali* invenitur, ubi, inter alia, haec de S. Silvestro (314-335)

orarium da *orare* (= pregare), inventarono presso gli antichi cristiani un " velo da preghiera ", il quale avrebbe dato origine alla stola; secondo altri (Krieg nel Kraus, *Realencyclopaedie*, II, 197) l'*orarium* sarebbe stato un'insegna onorifica, dapprima secolare poi ecclesiastica; altri (per esempio Braun, *Die priesterlichen Gewänder*, 122 e segg.) ritengono che esso sia sempre stato un distintivo degli ordini maggiori e che la sua origine rimonti forse al tempo delle persecuzioni. Quest'ultima opinione propose già il P. Garrucci (*Storia*, I, 114 e seg.), basandosi sopra un rescritto di san Silvestro papa e sopra una pittura " del cimitero di S. Callisto ", nella quale egli vede rappresentata una " donna figura della Chiesa ", vestita " del pallio sacro " e " dell'orario episcopale insieme e sacerdotale ". Ma il rescritto si riferisce al manipolo, e l'affresco, tuttora visibile a S. Domitilla, ritrae un fornaio che indossa la *discincta*, ornata del *lorum* e di due *segmenta* sulle spalle; egli sta dietro il moggio, insegna dei fornai. Sbagliata è anche l'etimologia dell'ὡράριον (ὁ ὡράριον come si pretende da ὡραίζειν, ὁρᾶν ecc.) proposta dai Greci (Goar, *Euchologium*, 110), i quali hanno dimenticato che la parola in questione è una delle tante senz'altro passate dalla lingua latina alla greca; essa ricorre, nella degna compagnia di φακιάλια (facialia), nell'*Edictum Diocletiani* (ed. Mommsen-Blümmer, XXVII, 8-28, pp. 44, 171). Sbagliato, infine, è pure quello che dell'orario dei diaconi scrive Bingam (*Originum ecclesiast.* 3, 2, 4), chiamandolo addirittura *horarium, quod*, così egli, (tamquam κήρυκες) *de faciendis precibus et aliis ecclesiae ministeriis catechumenos, poenitentes et caeteros, quos eorum mandato mores gerere decebat, admonebat*».

(1) Cf. Vol. II, pars secunda, tab. 191. p. 294.

leguntur: « Hic constituit ut diaconi dalmaticas in ecclesia uterentur et pallea (pallis, palleis, pallia) linostima leva eorum tegerentur (levam eorum tegerent – leva eorum tegeretur) ». Zosimus etiam (417-418) eodem in libro dicitur « constitutum fecisse ut diacones leva (levam) tecta (tectum) tenerent de palleis linostimis ». Ex his textibus duo erui possunt, nimirum hoc pallium idem quidem non extitisse ac stolam, sed ab ista forma solummodo, id est longitudine, differret, unde facilius in manu vel in extremo brachio portaretur quam in humero; et dein hoc pariter a mappa (mappula) differre reputandum, qua imperatores et consules circensium dabant signum.

Nomen *manipulus* nonnisi sero usurpatum fuit ad mappam liturgicam designandam, ac multo post ipsius mappae usus mutationem. Haec enim primum ad servitia circa altare praestanda adhibita est, ac sensim sudarii ad instar usurpata, necnon sudarii nomine interdum cognominata. Cuius quidem invalescentis commutationis testem habemus Amalarium (saec. IX) qui ita scribit: « Postea ponit calicem in altari diaconus, et sudarium suum in dextro cornu altaris: est habile ad hoc, ut quidquid accesserit sordidi, illo tergatur et sacerdoti mundissimum maneat ».[1]

Sed plerique aevi medii auctores de ea velut de sudario etiam quoad usum loquuntur, unde ipse Amalarius: « Sudario solemus tergere pituitatem oculorum et narium, atque superfluam salivam decurrentem per labia »;[2] tandem sudarium, praeterquamquod episcopis et presbyteris omnibus etiam ministris tribuitur, nec solum sudarium sed et *sextace* et *phanon* appellatur. Igitur de manipulo idem quodammodo ac de pallio et stola dicendum est, nempe primum in tabulas plicaturis redactum est, deinde formam vittae assumpsit, quando scilicet merum ecclesiastici gradus signum factum est. Et haec quidem ultima mutatio non eodem ubique tempore obtigit; auctores vero qui a saeculo nono de manipulo tamquam de ornamento loquuntur antiquum eius plerumque usum et originem nihilo-

(1) AMALARIUS, *De eccles. off.* 3, 19, *P. L.* CV, 1131.
(2) AMALARIUS, ibid. 2, 24, *P. L.* CV, 1099.

minus commemorant. Eexemplo sint aliqua Rabani Mauri verba: « Quartum vero mappula sive mantile sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant, quod ob hoc eorum tunc manibus tenetur, quando missae officium agitur, ut paratos ad ministerium mensae Domini populus conspiciat... Mappulae sicut et mantilia, ut nomen ipsorum indicat, olim tergendis manibus praebebantur. Oportet ergo sacerdotes et ministros altaris mappulas manibus tenere, quorum officium est divina sacramenta conficere, ut cum devotione mentis opus spontaneum concordet, digne exerceatur officium, quod pie divino est munere collatum » (1).

Apud Graecos animadvertere iuvat, mappam saltem usque ad saeculum secundum in usu extitisse, nec solum veluti sudarium, sed etiam, ut quibusdam codicum picturis patet, uti signum ecclesiasticae dignitatis.

Mitra. — Huius tegumenti origo a cucullo seu cuculla verisimiliter repentenda est, nam mitra, qua episcopi caput in sacris caeremoniis tegunt, non nisi cucullus antiquitus videtur

(1) Rabanus Maurus, *De cleric. instit.* I, 18, *P. L.* CVII, 307. — Manipuli historia ita paucis a clarissimo Wilpert narratur: « Chiudiamo con una osservazione comparativa sul manipolo e sull'orario nel senso della primitiva ὀθόνη – *linteum*. Benchè ambedue fossero in origine la stessa cosa, con lo stesso scopo pratico, di servire cioè d'asciugatoio ai diaconi nel sacrifizio eucaristico, la sorte ne fu diversa. Il manipolo nacque a Roma; da un asciugatoio divenuto un fazzoletto (sudarium) si trasformò tardi in una mera insegna, e si propagò, come tale, sopratutto alle Chiese dell'Occidente. L'*orarium* diaconale, al contrario, fu in uso in tutte le Chiese orientali ed occidentali, ad eccezione della romana, dalla quale venne adottato tardi e dopo la sua assimilazione coll'orario dei preti e vescovi. Il manipolo poi non fu tenuto in gran conto nella città eterna, avendo i diaconi romani per distintivo principale la dalmatica ornata del clavo, i preti e vescovi la stola colla pianeta, il papa il pallio sacro. Questa è anche la ragione perchè l'insegna del manipolo ordinariamente non apparisce che nei monumenti in cui i suoi portatori sono rappresentati nelle funzioni liturgiche. Avendo entrambe le insegne la stessa origine, è naturale che la loro forma avesse sempre una grande rassomiglianza, come anche oggi la stola si distingue dal manipolo soltanto per la lunghezza ed il modo d'indossarla » (Wilpert, *Un capitolo*, II, pp. 92-93).

fuisse, quo servi prius, deinde monachi, humilitatis caussa, ac denique vel episcopi usi sunt, intextis tamen auratis ornamentis. Exemplum episcopalis mitrae parva quaedam papyracei voluminis, quod *Exultet* vocant, pictura exhibet (Tab. 220); quae quidem ad saeculum duodecimum spectat. Nihilominus mitrae usus antiquior, neque primum episcopis tantummodo reservatus est dicendus.

Tiara. — Eadem tabula tiarae quoque exemplum praebet, omni ex parte gemmis fere coopertae, conique formam reddentis. Prima tiarae mentio in vita pontificis Constantini (708-715) forsitan invenitur, in qua pontifex ille legitur Constantinopolim *cum camelauco, ut solitus erat Romae procedere,* ingressus esse. Vocabulum *camelaucum*, iuxta Graecum nomen καμηλαύκιον, capitis tegmen significat; atqui hoc tegmen,[1] seu pileum, Romani pontificis proprium, tiaram fuisse clare satis, e fictae Constantinianae donationis narratione, saeculo nono conscripta, eruitur. Ibi enim imperatorem Constantinum voluisse Silvestro papae coronam imperatoriam imponere, pontifice autem renuente, tunc *phrygium candido nitore*, ei imperatorem donasse perhibetur.

Primum tiarae exemplum imagines saeculo undecimo depictae Romae, in inferiori S. Clementis ecclesia, exhibent (Tabula 219) Tiarae praebet quoque effigiem tabula 220 sed paullo a priore diversae; in utroque tamen exemplo corona aurea vel auriphrygiata ac gemmata exornatam esse partem pilei imam deprehendere est. Hanc post saeculum dumtaxat octavum additam tiarae fuisse egregius Duchesne opinatur; secunda vero corona nullibi ante Bonifacium VIII cernitur; tertia denique ab uno ex Avenionensibus pontificibus addita fuisse videtur.[2]

(1) Cf. *P. L.* t. I, p. 390, l. 15.

(2) Duchesne, *Origines du culte chrét.* 3ª ed. p. 396: « Dans ces peintures (scilicet S. Clementis basilicae), le bonnet, de forme à peu près conique, s'appuie sur une couronne gemmée; cette couronne doit avoir été ajoutée postérieurement au huitième siècle, car la fausse donation constantinienne suppose qu'elle n'était pas en usage alors. La deuxième couronne ne se rencontre pas sur les monuments avant le temps de Boniface VIII; la troisième a été ajoutée par l'un des papes d'Avignon ».

Art. III. — Annulus, baculus, calceamenta.

Annulus. — Nulla, ante saeculum septimum, de annulo episcopali mentio est; quod tamen dignitatis episcopalis hoc ante tempus annulum fuisse minime excludit. Apud quoddam Bonifacii IV decretum, in tertio Romano concilio promulgatum (a. 610), *de monachis* fit sermo *anulo pontificali subarrhatis.*[1] Anno autem sexcentesimo trigesimo tertio, quartum Toletanum concilium statuit ut, « si quis episcopus, a gradu suo deiectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non possit esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari: de manu episcopi (rursum accipiendo) orarium, *annulum* et baculum ».[2]

Eodem fere tempore, ita in suo de ecclesiasticis officiis libro Isidorus († 636) scribit: « Huic (episcopo) autem dum consecratur, datur baculus, ut eius indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur et annulus, propter signum pontificalis honoris vel signaculum secretorum, nam multa sunt quae carnalium minusque intelligentium sensibus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculo, condunt, ne indignis quibusque Dei sacramenta aperiantur. »[3]

Documenta ista quae satis abunde annuli episcopalis usum saeculo incipiente septimo viguisse probant, haud quidem aetatem huius instituti determinant, sed illud perantiquum tunc temporis supponunt propter diversas eius mysticas significationes. Ceterum largiores annuli episcopalis notitiae apud vetera Sacramentaria aliaque liturgica et historica inveniuntur documenta, quorum aliqua ex parte saltem et quoad materiam prioribus supra relatis documentis antiquiora extant.[4]

(1) Labbe et Cossart, *Sacros. concil. collect.* t. V, col. 1618.

(2) Labbe et Cossart, loc. cit. t. V, col, 1714.

(3) S. Isidorus, *De eccles. off.* II, V, 12, *P. L.* LXXXIII, 783-784.

(4) De annulo egregie H. Leclercq tractavit apud Cabrol, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, ad quem studiosos plura cupientes mitto (vol. I, *Anneaux*, col. 2174 sqq.).

Baculus. — Quod de annulo supra protulimus, id etiam, ut animadverti potuit, de baculo pastorali dici debet, nam in iisdem prorsus documentis eius mentio habetur. Illud tamen notandum venit, nempe Romanum pontificem tam nunquam baculo usum fuisse; cuius quidem rei ratio, quidquid plebeiae fabellae ementitae fuerint, prorsus adhuc latet.

Calceamenta. — Ante saeculum quintum, nullum videtur speciale ac proprium calceamentorum genus liturgicum extitisse. Christi, apostolorum personarumque sacrarum imagines, apud coemeteria depictae, sandaliis instructae apparent, unde sane concludendum est haec, in liturgicis ritibus, potius quam alia adhibita fuisse. Saeculo vergente quinto, Romae ac Ravennae usus coepisse videtur campagorum, id est calceorum in hoc praecipue a sandaliis differentium, quod talos aliquantulamque pedum partem tegerent. Iam a saeculo quarto imperatorum eorumque officialium imagines eiusmodi calceis munitae in monumentis cernuntur ac postea velut propria episcoporum calceamenta evaserunt,(1) ita ut, saeculo sexto, haud mediocre existimaretur privilegium si diaconis campagorum usus a pontifice concederetur.(2) Romanus vero pontifex privis et peculiaribus quibusdam utebatur campagis, quos *nullus alius inter homines* gestaret, ut in quodam incogniti auctoris saeculi octavi opere legimus.(3)

In coemetarialibus picturis, bis compagi sunt efficti, nempe in episcoporum imaginibus iuxta S. Cornelii sepulcrum depipictis ac in S. Vincentii effigie apud Pontiani hypogeum.

Iam ex omnibus quae in hoc capitulo tractata sunt clarius colligitur quod iam obiter significavimus, scilicet primitus, quoad formam, inter profana et sacra indumenta, nullum extitisse discrimen, nec vestimenta quaelibet, si aliquatenus pallium episcopale excludas, ex proposito et modo decretorio ab Ecclesia introducta fuisse, pleraque vero paullatim specialia et ecclesiasticorum virorum propria eo facta esse, quia eorum

(1) Cf. Ch. Diehl, *Ravenne*, Paris, H. Laurent, 1907, pp. 3. 73, 74.
(2) S. Gregorius, *Ep.* VIII, 27.
(3) Ap. *P. L.* CXXIX, 685.

usus, dum apud hos immotus perstabat, apud laicos obsolescebat. (1)

(1) Id belle doctissimus P. Grisar expressit apud *La Civiltà cattolica* anni 1898, pp. 717-718, eiusque verba digna sunt quae huc afferantur: « È cosa ormai indubitata, che i nostri vestiti liturgici si svilupparono con un processo assai lento, ma chiaro e sicuro, dalle forme dei vestit: profani.

« Al principio non vi era nessuna differenza di forma fra gli abiti profani e gli abiti sacri. Sono abbandonate oggidì le teorie d'una introduzione delle vesti sacre per mezzo di antichissime ordinazioni ecclesiastiche (eiusmodi tamen ordinatio saltem pro Pallio est admittenda), che avrebbero prescelto per tipo degli abiti liturgici gli abiti del servizio della sinagoga ebrea, o per amore del simbolismo avrebbero inventato di sana pianta un nuovo modo fino allora sconosciuto di vestirsi nelle funzioni dell'altare. Per lo contrario ha ragione Walafrido Strabone († 824), il quale nel *Liber de exordiis et incrementis quarumdam in observationibus ecclesiasticis rerum* scrive: " *Vestes etiam sacerdotales* per incrementa ad eum qui nunc habetur, auctae sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti missas agebant ". Questa osservazione dell' intelligente autore del secolo nono è quasi un'eco della tradizione antica, prima che gli scrittori e i predicatori del medio evo colle loro interpretazioni simboliche delle vesti sacerdotali vengano ad occupare tutto il campo ...

« I vestiti principali dedicati all'uso dell'altare dovevano, per parlare in generale, servire solo a questo scopo, e non era lecito portarli anche nella vita comune e quotidiana; ciò per rispetto all'augusto sacrificio. Di poi essi si facevano di materie scelte, di lana e di tela fine e con qualche ornato, sebbene di colori semplici e con preferenza di colori bianchi.

« La differenza che s' incontra già al principio del medio evo e poi sempre più fra gli abiti liturgici del clero e le vesti dei laici nacque specialmente da due ragioni; prima perchè le vesti dell'altare ebbero col tempo qualche cambiamento nelle forme accidentali, senza mutare il proprio carattere, vogliam dire il taglio essenziale delle singole parti: vi contribuirono influenze locali, il gusto dei tempi e una tendenza a forme elevate sopra il comune. Secondo, e questa ragione era molto più decisiva, i laici cambiarono i loro abiti; si abbandonava a poco a poco la foggia antica del modo romano di vestirsi, per adottare le vesti più comode dei nuovi popoli conquistatori dell'Occidente; si lasciavano le vesti solenni e lunghe del tempo passato, cambiandole colle brevi e spedite. Solamente il clero non prese parte in questa mutazione. Egli rimase romano, come anche nella legislazione canonica. Romano si mantenne il suo abito usuale, il talare ...; e romani restarono molto più ancora gli abiti liturgici usati nell'officiatura ».

Ut tota de sacris indumentis tractatio apte concludatur, en quaedam « miniatura », quam plerique rei periti nono tribuunt saeculo, varios hierarchiae gradus exhibens. Est scilicet in altiori parte, medius inter presbyterum et diaconum, pontifex

Tab. 222. Miniatula pictura Sacramentarii Augustodunensis.

cum pallio, iurisdictionis signo; ad eius dexteram presbyter sedet, paenula convestitus, ad sinistram vero diaconus adest dalmatica stolaque indutus, necnon librum evangeliorum gerens. In inferiori parte medius est subdiaconus, et ipse dalmaticam super tunica ferens, cum vasis ministerii sui in manibus; ceteri per se patent, sed vestimenta sunt animadvertenda, quae scilicet civilibus saeculi tertii personis probe convenirent.

BIBLIOGRAPHIA

Aliqua e praecipuis operibus antiquitatem vel artem in universum tractantia.

1863. De Rossi, *Bullettino di archeologia cristiana*, Roma.
1865. Martigny, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, Paris.
1873. Garrucci, *Storia dell'arte cristiana.*
1879. Bayet, *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétiennes en Orient jusqu'à la querelle des Iconoclastes*, Paris.
1887. De Waal, *Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte.* 1887–1911. Rom.
1895. Marucchi, *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana*, Roma.
1895. Kraus, *Geschichte der christlichen Kunst*, Freiburg.
1896. Molinier, *Histoire générale des arts appliqués à l'industrie*, Paris.
1897. Prou, *La Gaule Mérovingienne*, Paris.
1899. Venturi, *L'Arte*, 13° fasc., Roma.
1901. Venturi, *Storia dell'arte italiana*, Milano.
1901. Rivoira, *Le origini dell'architettura lombarda*, Roma.
1902. *Atti del II Congresso internazionale di arch. crist.*, Roma.
1902. Crum, *Coptic monuments*, Cairo.
1902. Gayet, *L'art copte*, Paris.
1903. Cabrol–Leclercq, *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de liturgie*, Paris fasc. I–XXII.
1903. Baldwin Brown, *The arts in early England*, London.
1904. Butler, *Architecture and other arts*, New York.
1905. Michel, *Histoire de l'art*, Paris.
1907. Delattre, *Du culte de la Sainte Vierge en Afrique.*
1908. Muñoz, *Iconografia della Madonna*, Roma.
1910. Diehl, *Manuel d'art byzantin*, Paris.

Sculptilia marmorea.

1773. Dionigi, *Sacrarum Vaticanae basilicae monumenta*, Romae.
1825. Lasinio, *Raccolta dei sarcofagi, urne e monumenti di scultura del Camposanto di Pisa*, Firenze.
1843. De Minicis, *Sarcofago cristiano nel tempio di Fermo*, Roma.
1873. Garrucci, *Storia dell'arte cristiana*, t. V et VI.
1878. Le Blant, *Etudes sur les sarcophages chrétiens de la ville d'Arles*, Paris.
1885. Grousset, *Etudes sur les sarcophages chrétiens*, Paris.
1886. Le Blant, *Etudes sur les sarcophages chrétiens de la Gaule*, Paris.
1890. Ficker, *Die altchristlichen Bildwerke im christl. museum des Laterans*, Leipzig.
1895. Botel, *Sarcophagos romano-cristianos esculturados que se conservan en Cataluña*, Barcelona.
1898. Marucchi, *Guida del museo cristiano Lateranense*, Roma.
1900. De Waal, *Der Sarcophag des Junius Bassus in den Grotten von St. Peter*, Rom.
1900. Fatigati, *Escultura romanica en España*, Madrid.
1902. Altmann, *Architektur und Ornamentik der antiken Sarcophage*, Berlin.
1906. Michon. *Sarcophage du type d'Asie-Mineure*, ap. *Mélanges d'arch. et d'histoire.*
1906. Wittig, *Die altchristlichen Sculpturen in Museum der deutschen Nationalstiftung am Campo Santo in Rom*, Fom.
1910. Marucchi, *I monumenti del museo crist. Pio-Lateranense*, Milano.

Opera musiva ac picturae sacrae.

1570. Molanus, *De picturis et imaginibus sacris*, libri IV, Lovanii, 1771.
1690. Ciampini, *Vetera monimenta, in quibus praecipue musiva opera sacrarum profanarumque aedium structura ac nonnulli antiqui ritus dissertationibus iconibusque illustrantur*, vol. 3, Romae.
1730. Interian de Ayala, *Pictor christianus eruditus, sive de erroribus qui passim admittuntur circa pingendas atque effingendas sacras imagines*, libri VIII, Matriti.
1759. Furietti, *De musivis*, Romae.
1855. Isabelle, *Les édifices circulaires et les dômes classés par ordre chronologique et considérés sous le rapport de leur disposition, de leur construction et de leur décoration*, Paris.
1859. Gravina, *Il duomo di Monreale*, Palermo.
1863. Bardet de Jouy. *Les mosaïques chrétiennes de Rome*. Paris.

1872. De Rossi, *I musaici cristiani e saggi dei pavimenti delle chiese di Roma anteriori al secolo XV*, Roma.
1872. Grimouard de Saint-Laurent, *Guide de l'art chrétien*, vol. 6, Poitier.
1873. Garrucci, *Storia dell'arte cristiana*, t. III et IV.
1888. Pohl, *Die altchristliche Fresco- und Mosaik Malerei*, Leipzig.
1888. I. B. de Rossi, *I mosaici delle chiese di Roma*, Roma.
1890. Amoroso, *Le basiliche cristiane di Parenzo*, Parenzo.
1893. Müntz, *La mosaïque chrétienne des premiers siècles*, Paris.
1894. Lethaby et Swaison, *The church of Sancta Sophia*, London.
1895. Clausse, *Basilique et mosaïques chrétiennes: Italie – Sicile*, Paris.
1895. Ainalov, *Mosaïque du IVe et du Ve siècle*, Pétersbourg.
1896. Redin, *Die Mosaïken der ravennatischen Kirche*, Pétersbourg.
1897. La Blanchère, *Tombes en mosaïque de Trabaca*, Paris.
1898. Müntz, *Une industrie ancienne à resusciter (La mosaïque)*, Paris.
1898. Diehl, *Justinien et la civilisation byzantine au VIe siècle*, Paris.
1904. Richter and Cameroun Taylor, *The golden age of classic christian art. A study of the Mosaico of S. Maria Maggiore*, London.
1910. Wilpert, *S. Maria Antiqua*, Roma.
1910. P. Sisto Scaglia, *I mosaici antichi di S. Maria Maggiore in Roma*, Roma.

Ars Byzantina et « Miniaturae ».

1727. Albani, *Menologium Graecorum*, Urbin.
1862. Filiminoff, *Copies photograph. des miniatures des manuscrits grecs*, Moskow.
1862. Kanitz, *Serbiens byzantinische Monumente*, Wien.
1874. Rohault de Fleury, *L'Evangile*, Tours; *La Sainte Vierge.*
1878. Kondakoff, *Miniature d'un psautier grec du IXe siècle de la collection Chloudof à Moscou*, Moscou.
1879. Ch. Bayet, *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétiennes en Orient avant la querelle des Iconoclastes*, Paris.
1878. Unger, *Quellen der Byzantinischen Kunstgeschichte*, t. I, Wien.
1878. I. P. Richter, *Quellen der Byzantinischen Kunstgeschichte*, t. II, Wien, 1897.
1882. Kondakoff, *Voyage au Sinaï*, Odessa.
1883. Bayet, *L'art byzantin*, Paris.
1883. Bordier, *Description des peintures et autres ornements contenus dans les manuscrits grecs de la Bibliothèque Nationale*, Paris.
1885. Strzygowski, *Iconographie der Taufe Christi*, Munich.
1886–91. Kondakoff, *Histoire de l'art byzantin considéré principalement dans les miniatures*, 2 voll., Paris.

1886. MÜNTZ, *Etudes sur l'histoire de la peinture et de l'iconographie chrétiennes*, Paris.
1888. STRZYGOWSKI, *Die Kalenderbilder des Cronographs von Jahre 354*, Berlin.
1890. KONDAKOFF, *Description des monuments de l'antiquité dans quelques églises et monastères de Georgie* (lingua moscovita), Pétersbourg.
1890. COMTE UVAROV, *Album byzantin*, Moscou.
1890. POKROVSKIJ, *Peintures murales dans les anciennes églises grecques et russes*, Moscou.
1890. PEKROWSKIJ, *Monument de l'iconographie et de l'art orthodoxe*, Pétersbourg.
1891. STRZYGOWSKI, *Das Etchniadzin Evangeliar* (*Byz. Denkmäler*), Wien
1892. POKROVSKIJ, *L'Evangile*, Pétersbourg.
1895. TIKKANEN, *Die Psalter Illustration im Mittelalter*, Helsingfors.
1895. SCLUMBERGER, *Mélange d'archéologie byzantine.*
1895. HARTEL UND WICKHOFF, *Die Wiener Genesis*, Wien.
1896. BOCK, *Die byzantinische Zellenschmelze der Sammlung Dr. A. Sw.*, Aachen.
1897. KRUMBACHER, *Geschichte der byzantinischen Litteratur*, München.
1897. NOLHAC, *Le Virgile du Vatican*, Paris.
1898. HASELOFF, *Codex purpureus Rossanensis*, Berlin.
1901. STRZYGOWSKI, *Orient oder Rom*, Leipzig.
1902. OMONT, *Fac-similés des miniatures des plus anciens manuscrits de la Bibliothèque Nationale, du VIe au XIe siècles*, Paris.
1903. MILLET, *La collection chrétienne et byzantine des Hautes Etudes*, Paris.
1904. BERTAUX, *L'art dans l'Italie méridionale*, Paris.
1904. BRÉHIER, *La querelles des images*, Paris.
1906. MUÑOZ, *L'art byzantin à l'exposition de Grottaferrata*, Roma.
1907. MUÑOZ, *Il codice purpureo di Rossano*, Roma.
1911. GRÜNEISEN, *Sainte-Marie Antique*, Rome.
1911. GRÜNEISEN, *Le portrait. Tradition hellénistiques et influences orientales*, Rome.

Parva suppellex, resculae pretiosae, textilia.

1657. MACARIUS, *Abraxas seu apistopistus, quae est antiquaria de gemmis Basilidianis disquisitio, accedit Abraxas proteus seu multiformis gemmae Basilidianae portentosa varietas*, Antuerpiae.
1694. DOUGHT, *De calicibus eucharisticis veterum Christianorum*, Bremae.
1695. GORLAEI, *Dactyliotheca, seu gemmarum annulorumque sculpturae.*
1702. CAPELLO, *Prodromus iconicus sculptarum gemmarum Basilidiani, amuletici atque talismanici generis*, Venetiis.
1716. BUONARROTI, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi, di vetri ornati di figure trovati ne' cimiteri di Roma*, Firenze.

1750. Passeri, *Thesaurus gemmarum antiquarum astriferarum, interprete I. B. P.*, vol. 3, Florentiae.
1753. Donati, *De' dittici degli antichi, profani e sacri*, Lucca.
1757. Ficoroni, *Gemmae antiquae litteratae aliaeque rariores*, Romae.
1759. Gori, *Thesaurus veterum diptychorum consularium et ecclesiasticorum*, Florentiae.
1779. Borgia, *De cruce vaticana ex dono Iustini Augusti*, Romae.
1808. Sanclementi, *Musaei Sanclementiani numismata selecta*, Romae.
1845. Odorici, *Monumenti cristiani di Brescia*, Brescia, 1845-1855.
1853. De Witte, *Médailles de Salonine*, Bruxelles.
1856. Macarius, *Hagioglypta*, ed. Garrucci, Parisiis.
1858. Garrucci, *Vetri ornati di figure in oro*, Roma.
1860. De Lasteyrie, *Description du trésor de Guarrazar*, Paris.
1868. Marriott, *Vestiarium Christianum*, London.
1868. Fugin and Smith, *Glossary of ecclesiastical ornaments and costumes*, London.
1873. King, *Early christian numismatics*, London.
1889. Bock, *Katalog frühchristlicher Textilfunde*, Düsseldorf.
1889. De Rossi, *La capsella argentea africana*, Roma.
1892. Kondakofg, *Les émaux byzantins, collection Swenigorodskoï*, Francfort.
1898. Stassoff, *Geschichte des Buches: Byzantinische Zellenmails, A. V. Swenigorodskoï*, Pétersburg.
1899. Wilpert, *Un capitolo di storia del vestiario*, Roma.
1900. Delattre, *Musée Lavigerie de Saint-Louis de Carthago*, Paris.
1901. Dalton, *Catalogue of early christian antiquities... of the British Museum*, London.
1901. Barrière-Flavy, *Les arts industriels des peuples barbares de la Gaule du VIe au VIIe siècle*, 3 vol., Toulouse.

DOMINVS ECCLESIAE
CONSER PVDENTI
VATOR ANAE

INDEX

Ad Lectorem . . . . . p. VII

DE POSTCONSTANTINIANA ARTE

Consideratio praevia 1

Caput I. Anaglypta funeraria et statuae 3

Art. I..... Anaglypta funeraria Praeconstantiniana . . . 3
Art. II..... De architectonica sepulcralium apud Christianos anaglyptorum forma eiusdemque origine 11
Art. III..... De anaglyptorum sepulcralium indole . . . 19
Art. IV..... Argumentorum e picturis depromptorum apud anaglypta mutationes 24
Art. V..... Argumenta sarcophagorum propria 50
Art. VI..... Signa et symbola quaedam, seu allegoricae prorsus nonnullae, apud anaglypta, imagines 67
Art. VII.. Imagines ad viventium aut defunctorum personas proprie et directe respicientes 79
Art. VIII. De statuis 84

Caput II. Anaglyptorum funerariorum interpretatio 95

Art. I..... Interpretationis fontes ac praecipuae normae . 95
Art. II..... Interpretationis anaglyptorum nonnulla exempla 105
Art. III.... Plura de Christo interpretanda argumenta . . 119
Art. IV.... Anaglyptorum quaedam, quoad interpretationem, minus obviae effigies, Eucharistiam, ut videtur, significantes 122
Art. V..... Quae ad Mariam virginem, licet subobscure, spectare videntur argumenta 127
Art. VI.... Quaedam ad primatum et praerogativas S. Petri spectantia 139
Art. VII.. Argumenta hominis novissima adumbrantia . 177

CAPUT III. Opera musiva sacra et basilicarum picturae . . . p. 183

Art. I..... Musivorum operum origo, modus et usus apud Christianos 183
Art. II..... De nova quadam, praesertim apud musiva opera, Christianae artis indole et de eius vicibus 188
Art. III..... De basilicarum picturis 202
Art. IV..... De « Byzantina » quaestione 207
Art. V..... Argumentorum sive ex vetere, sive ex novo Testamento depromptorum, apud basilicarum musiva vel picturas, series seu cycli, eorumque ratio 213
Art. VI..... Aliorum quorumdam, e Biblicis argumentis depromptorum cyclorum ratio, peculiaris indoles ac progressus . 241
Art. VII... Musivorum, seu picturarum apud basilicas, aliqua argumenta, ex apocryphis evangeliis praesertim deprompta, et ad Virginis Mariae integritatem, Christi infantiam, passionem eiusque in morte triumphum attinentia 250

CAPUT IV. Minutae, seu miniatulae, apud codices picturae . . . 285

Art. I..... Minutarum picturarum primordia; codicum sacrorum, huiuscemodi picturas exhibentium, praecipuae classes . 285
Art. II..... Bibliae 287
Art. III..... Evangeliaria 300
Art. IV..... Psalteria 307
Art. V..... Opera Patrum 313

CAPUT V. Eburnea et lignea sculptilia, vitra aurata, vitreae seu smaltitae picturae, encolpia, supellex instrumentumve domesticum, textilia 317

Art. I..... Parva anaglypta eburnea 317
Art. II..... Anaglypta lignea 341
Art. III..... Vitra aurata vel incisa 368
Art. IV..... Picturae vitreae seu smaltitae 379
Art. V..... Thecae ex metallo. – Encolpia et numismata . 386
Art. VI..... Instrumentum domesticum 404
Art. VII... Textilia 408

CAPUT VI. Altare eiusque supellex 417

Art. I..... Altare 417
Art. II..... Suppellex sacra 426

CAPUT VII. Vestimenta sacra 439

Animadversio praevia 439
Art. I..... Pallium 441
Art. II..... Tunica, dalmatica, casula, stola, manipulus, mitra 455
Art. III..... Annulus, baculus, calceamenta 466

BIBLIOGRAPHIA 471